

Estante 53  
Ord 2  
Vol 13

R. P. IOANNIS  
MARIN  
SOCIETATIS IESU.

Oconensis, Sacrae Theologiae Docto-  
ris, & in Academia Complutensi  
Primarij, necnon Archiepiscopa-  
tus Toletani Synodalis  
Examinatoris.

TRACTATUS  
DE  
FIDE DIVINA.

TOMUS PRIMUS.

*Secunda editio correcta per  
Authorem.*

Anno


1716.



SORI M A T R I T I.

---

Typis D. Gabriëlis del Barrio.





# A D AUGUSTISSIMAM MARIAM.

VIRGINEM DEI  
parentem, pulcherrimum Empy-  
tei Complementum : fulgentissi-  
mum Cœlestium Decus : gratia-  
tum omnium culmen : Vni-  
versi terrarum Orbis fa-  
lutem , fœlicitatem , &  
tutamentum.



UM sub umbra illius,  
quam desideraveram, *Ex cant.*  
sedens fructus guttu- cap. 24  
ti meo dulcissimos vers. 34  
carpserim: Cuius Mœ-  
cenatis protectionem ambiam,  
nisi tuam , ò Virginalis Aula sa-  
pientiae? Septem enim in Pri-  
mam secundæ opusculis sub fœ-

lici excusis, ac divulatis auspi-  
cio tuo, ingratitudinis, imò &  
vecordiae nota inurerer, si octa-  
vum de Fide divina bipartitum  
tractatum tuis aris non consecra-  
rem. Verum enim verò, quam-  
**Ex Ha-**  
**bac. cap.**  
**2. vers.**  
vis ego tacerem; sicut *lapis de pa-*  
*riete*, *folia ipsa te de ipsorum com-*  
*pagine vocitarent.*

**I I.** Sed quid ego? Septies die,  
ac nocte laudem dicam tibi: sa-  
tius tamen est elogia Sanctorum  
personare: Te *Primam post Deum*  
**Ex Ps.** *Mariam incomprehensibilem*, testor  
**I I 8.** cum insulato Nisseno: *Ineffabilem*,  
**vers.** cum Damiano profiteor: *Indi-*  
**I 64.** *cibilem*, dico cum Augustino:  
*Ineffabilitè sublimatam*, cum Hu-  
**Ap. P.** gone Extollo: *Inexhaustam bono-*  
**Nicolaū** *rum Abysum*, nomino cum Epi-  
**Avanci-** phanio: *Visibilem iustitie Solis*  
**nnum,** *imaginem*, compellam cum sa-  
**orat. 4.** *pientissimo Idiota*: *Deificatam*, &  
**de Imma-** *Deiformem*, cum Damiano, &  
**cula con-** Dionysio concludam: Quid plura?  
**cep.** Si, iuxta pium Sanctorum Pa-  
trum axioma, *de dilecta nunquam*  
*satis*, de Diligente, de tot me  
bene*t*

beneficijs commulante quid? Gratulor ingenuus: gratulor devincatus: gratulor addicti simus, & nolem à gratulando cessare: sed quibus verbis, quibus affectibus, quibus gratitudinis testimonij? Nullis: quia omnia imparia beneficentiae cedunt, cuius magnitudine obtutus hæreo, cuius dignatione pavidus obstupescor: tibi sit satis; quod gratitudine languens obmutescam, silenti potius cordis prælo, quam verborum sonanti confidens, dum ipsum de Fide munuscum sapiente natura loquitur, & eloquens proprio eloquio ad tuas sistitur *Ad Gas* aras, quia *Fides*, quia *obscura*, lat. cap. quia *difficilis*, quia *Insti vita*, iux. 3. vers. *tà Pauli assertum Instus ex fide II. vivit.*

Quià *Fides* Te Patronam profitetur, adeò est enim Mariæ Germana, ut si fides ex Divinæ Sapientiæ Mente, & veracitatis Ore partus existit: *Ego eruditis intersum cogitationibus*: *Ego ex Ore Aliissimi prodivi*, haud diffi-

*Prov.* tetur MARIA, nec tantum divi-  
*cap.* 8. norum consiliorum ad intrà con-  
*vers.* 12. ceptorum inquilinæ, sed ad ex-  
tra in lucem ex divino ore pro-

*Eccl.* deuntium Filia gloriatur. Gloria-  
*cap.* 24. tur, & Fides verbis Canissij Ma-  
*vers.* 5. riæ plaudens, *Beata quæ credidisti!*  
*Beator etiam credendo, quam Chris-*  
*ti carnem concipiendo, nunc autem,*  
*& carne, & quadantenus Spiritu*  
*Domini Mater nostri prorsus Fide se-*  
*cunda...* *Credidisti quæ dicta sunt*  
*tibi à Domino quantumvis ardua,*  
*sublimia, inaudita, & ante alios*  
*Lue. cap.* firma fide complexæ stupendum, &  
*I: vers.* adorandum illud Sanctissimæ, indi-  
vidueque Trinitatis Sacramentum:  
*45.* *Beata prorsus, in qua semper heroi-*  
*ca fides ad mysteria divina mirabi-*  
*lior, & contemplanda, & percipien-*  
*da praluxit.*

*P. Petr.*  
*Canissius*  
*de Ma-*  
*ria Deip.*  
*vers. 14:*  
*cap. 2.*

*Quià obscura : Totius siqui-*  
*dem illustrationis satagens Ma-*  
*riæ mutuat claritatem : nihil*  
*enim est maiestatis in Cœlis, lu-*  
*cis in Sole, pulchritudinis in Lu-*  
*na, splendoris in Stellis, venus-*  
*tatis in Aurora decoris in luce,*  
*quod*

quod non amplissima lucem in-  
habitantis inaccessibilem ma-  
nus contulerit in MARIAM : ex  
Cœlo siquidem lucem sumpfit in  
speciem , Auroram prætulit in  
signum , Stellas ordinavit in co-  
ronam , Lunam subiecit in thro-  
num , Solem detraxit in anice-  
tum.

Quia *difficitis* : Illius tute-  
lam quærit , quæ indissolubiles  
Gordij nodos , non Alexandri  
ense , sed facili negotio dissol-  
vat. Quæ (ò Sacra Ariadna )  
filum aureum porrigat , ne fide-  
lis , seu Discipulus quisque tot  
intèr devia perplexitaris com-  
pita aberret , ne in tanto dubie-  
tatum labyrintho à secura via  
deflectat , sed in tanto *non appa-*  
*rentium argumento* seculo ingre-  
diatur pede , felici progrediatur  
tramite , & ovanti egrediatur  
vestigio. Illam quærit , quæ si-  
dissima *Stella Maris* , naviganti-  
bus mysteriorum pelagus pre-  
pitia Cynosura ( ne sub obscura  
sali spuma unquam aspersa ) du-

*Ex Apoc.*  
cap. 2.

eat ; doceatque inter salebras  
Fidei procellas intemerato  
fluxu natare , abditos *substan-*  
*rie sperandarum rerum* , scopulos  
scelici superare , & celeriore tem-  
po percurrere , quo usque men-  
tes gaudiorum teneant por-  
tuhi.

Qui à *Iusti vita* : *Cunctorum*  
enim *Matrem viventium requi-*  
*rie* , qui i *Eva infidelitate mor-*  
*tales eramus geniti* : se se *Mariæ*  
*offerens* , ipsam celebrat , plau-  
dit , è verbis Irænei vitam  
omnium esse proclamat , quod  
alligavit *Virgo Eva* per ineredu-  
litatem , hoc *Virgo Maria* solvit  
per fidem . Solvit etiam Fides  
suos eloquentiæ rivulos diri-  
gens erga nos , vivificamque  
viventium Matrem , ipsam Ie-  
suitici Oratoris declamationem .  
Vbi primum Augustissima Vir-  
go materni nominis dignita-  
tem est consecuta ? Nempe in  
fumestissimo illo , & ad feralem  
Catastrophen tumente calva-  
riæ colle , in quo patibulata ,  
mor-

Iræneus  
1.3. cap.  
33.  
contra  
Hereses.

P. Ava-  
ruius,  
Orat. 6.)  
de B.  
Virgin.

mortalium vita inaudito ab  
hominum memoria exemplo  
emoritur; in eodem vobis cum  
expirante vita propè expiratu-  
ris ad novam vitam reservan-  
dis MARIA Vniversorum Ma-  
ter pronuntiatur. Nonne tene-  
riores vobis persuadent affectus,  
cùm Ioannem sub trabali ligno  
in Filium suscipit, in vos adop-  
tandos materna viscera aperire?  
Nefas est refragrari, cùm Prin-  
cipis est patesfacta voluntas: illa  
enim verba *Mulier, ecce filius*  
*tuus*, aut illa, *ecce Mater tua,*  
quos obsecro animis vestris  
affectus ingeneraverunt? Erra-  
tis profecto, nisi Deum ita  
loquentem animo concipiatis:  
sum vita, sed morior! ne  
commoriatur quidquid per me  
vixit: Matrem sufficio, à qua  
*vitam trahant Mortales.*

Ecce Virgo fidelis, ecce *Can. cap.*  
tibi plaudentium duorum ver- 8. vers.  
ba, & ipsius de Fide munusculi,  
& de corde ipsum offerentis.  
Ergo: *Qua habitas in hortis, ami-*  
*ci*

*Ioav. cap.*  
19. vers.  
26.

*Ex Cant.*  
cap. 2.  
vers. 12.

*Ad Rom. ci auscultant, fac me audire vox  
cap. 10. cem tuam. Respondere dignator,  
vers. 17. Placet. Hac vox turturis audiatur  
Cät.c.2. in terra nostra, Placet. Si Fides  
vers. 14. exaudiens, sonet vox tua in auri-  
Luc.c.1. bus meis, vox enim tua dulcis;  
vers. 28. sed super mel, & favum vox  
Aug.lib. Placet. Ave cum Gabriele, gra-  
de Santa tua plena: Pleniūs cum Augusti-  
Viagini- no, Santa Maria plena fide,  
tate.c.3. plena gratia Ave.*

& 5.

CEN-

CENSURA DOCTORIS  
Joseph à Yermo, olim Collegij Matris  
Dei Theologorum Alumni, Ecclesiæ  
Magistralis SS. MM. Iusti, & Pas-  
toris Canonici, & in Universitate  
Liberalium Artium ante à Cathedra-  
tici, & pro obtinendis Sacrae  
Theologie Cathedris nunc  
Decretatoris,

**S**upremi, & Regalis Castellæ Sena-  
tus imperio Coactus, ut quid sen-  
tiam exprimam de Opere Theologico  
*super Secundam Secundæ Angelici Precepto-  
ris*: Quod in Lucem edere desiderat  
Meus Carus Magister, & nostræ Com-  
plutensis Academiæ Primarius, R. P.  
**Doct. Ioannes Marin**, Collegij Maximi  
Societatis Iesu Rector: Quid aliud dicere,  
quid verò, verè Supremo Senatui re-  
pondere possum, nisi, quod aqua de  
suo originario fonte, & flumen de Ma-  
re censurare auderem? Ab hoc *Marin*,  
vèl à Mare hoc rivulus exivit meum  
intellectum rigans, Fons iste aqua Sa-  
pien-

pientiae Salutaris me potavit, & Eructans,  
quod alte biberam: cum Psalmista Psal.  
n<sup>o</sup> 18. *Mirabilia opera eius, & Anima mea  
cognoscit nimis.* Vélt in Ps. 92. *Mirabiles  
elationes Maris;* quia dum *Marin,* iste  
elevatur, vt *Mare,* ad fidem divinam  
tractandam: *Testimonia tua credibilia facta  
sunt nimis.* Vélt addam meum carum  
beneficium Magistrum, secundum So-  
cietas Iesu Suarium, in hoc opere si-  
cut, & in iam ante à luci datis, & in  
ceteris, quæ parat, semper infatigabi-  
lis eius Scolasticus Labor, totam com-  
pendiasse doctrinam, Eximij Marianii,  
& Iesuitæ Doctoris Suarez: Hic au-  
thoris animus fuit, ex quo in nostra  
Universitate docens laborat, collocare  
velut in Compendio in Corpore parvo  
immensam Iesuisticæ doctrinæ Lucem,  
quæ in Suaristica diffusione reperitur,  
hoc eius desiderium, vt mihi non pau-  
cis ab hinc diebus revelavit, sum igit-  
tur, meum, & universæ Scolæ Iesuitæ  
desiderium implet, implet, & imple-  
vit, & fœlicitè vidimus collocari tan-  
tam lucem in Marinum Solem, qui  
primarius præest Iesuisticæ Scholæ, vèl  
congregantur in locum unum aquæ sa-  
pientiae Iesuisticæ, & hæ Congregatio-

ines aquarum appellantur Maria ; vēl  
*Marin*, quia sunt *In Mar.* Exeat , er-  
go , à Marin hic secundus fluvius , sicut  
exivit primus ; & ô ! Deus salutem  
optatam ab eius caris Discipulis illi  
restauret , ut tertius , & quartus fluvij ,  
primæ , & tertiaræ partis Divi Thomæ  
ex Paradiso Societatis ab hoc Fonte  
*Marin* in quator partes diviso exeant  
irrigantes Vniversitatem nostram , to-  
tamque Ecclesiam Catholicam. Sic sen-  
tio , & desidero. Compluti die 4. Maij.  
Anni 1708,

*Doct. Do. Ioseph à  
Termo.*

CEN.

**CENSURA Rev.P. M. D. Antonij  
Mariæ Casiani , suæ Religionis Ma-  
gистri , Sacræ Theologiæ in Vniver-  
sitate Complutensi Cathedratici, Exa-  
minatoris Synodalis , Ex-Difinito-  
ris Provincialis , atque semel , &  
iterum in suo Collegio Complutensi  
optatissimi , & optimi  
Abbatis.**

**V**isu (imò singulari privilegio specia-  
lique beneficio) Domini Doctoris  
Don Ioannis Ruiz de Castañeda,  
Toletanæ Dicecensis Vice-Vicarij Gene-  
ralis , & huius Complutensis Iurisdictio-  
nis Vicarij : Regij Collegij Roctoris , &  
Magistralis Eccles. SS. MM. Iusti , &  
Paltoris, Canonici Argutè elaboratas in  
2. 2. Div. Thomæ partem , à R. Sapien-  
tissimoque P. Magistro , ac Doctore Ioanne  
Marin , Societatis Iesu ; deliciosa solici-  
tudine perpendi , attente , serioquè  
Iustravi subtile斯 disputationes , seu Com-  
plutenses labores , quos Vespertinam , &  
Primariam Regiam moderando Cathe-  
dram , sudavit ; sed ad quid hoc præscrip-  
tum?

rum? Est ne ut iudicium censura com-  
probatum proferam, vel ut panegyrim  
in operis gloriosam proclamationem ca-  
nam? Sane non ad censuram, sed ad pa-  
negyricam laudem decantandam me  
impellit haec tanti Authoris doctrina.  
Omnia enim, quae in huius operis cir-  
cunscribuntur ambitu talia sunt, ut ne-  
que excogitari altius, neque discurri  
queunt acutius, & quod dignius admira-  
tione conclamari debet, est, quod  
difficile Socrates in panegyrico recogno-  
vit his verbis: *Difficile est ea argumenta*  
*tractare, in quibus iam olim clarissima in-*  
*genia se exercuerunt.* Hoc ergo quod diffi-  
cile credidit Socrates sic facile nostro  
apparet Authori, ut ipsi, quasi nullus  
ante a ex sua Sacra Docta, & innume-  
rabilis familia, & Societate in secundam  
secundae Disputationes edidisset, vni-  
commentatoris devolvi mereatur gloria,  
dum nodosas Theologicas difficultates  
Subtilissimi sui ingenij altissimo volatu,  
incredibili claritate, in communis lucis  
vsuram, & Scholasticorum proficuita-  
tem noviter enodat. Et quod inter alia  
præstantissima non infimum tenet lo-  
cum, quae alij de hac materia latiori ca-  
lamo scripserunt, ipse breviori, faciliori,  
ditio-

ditioni, neenon efficaciori complexus est, nihil indecisum relinquens, immo plura singularia, & scitu digna addit Orthodoxae fidei dogmatibus, conciliorum statutis, Sanctorum Patrum dictis valde consona.

Plurima sunt, quæ ad huius Authoris opus, diurna, nocturnaque manu versandum allicitant, stylus absque affectatione, tersus, ac nitidus, discurrenti, ratio solida gravis, atque ingeniosa: exulant hic omnia superflua, nihil utile, aut necessarium omittitur. Et quod Doctores alij in his materijs longissime disputant, hic Author brevissime comprehendit. In quem aptè cadunt illa Divi Hyeronimi tom. 2. epist. ad Iloan. Hierosolymit. Verba: certe pauca multis, & multa paucis posse dicere, eiusdem eloquentiae est. Addiderim, multa paucis premere saepè difficultioris esse doctrinæ. Porro in hoc opere Author (vti solet in alijs) clara docet, breviter comprehendit, & eligit prudenter, ac solide. Locum hic non habet Oratianum illud: *Brevis esse labore, obscurus fio*: nam mirabiliter annexit duas in quovis scriptore difficiles vias, brevitatem, scilicet, & claritatem. Et quidem ita mis-

misceret veramque, ut neque brevitatis, obscura sit, neque claritas manca, ut quisquis hoc opus acurate perlegerit mirabitur. Succinctum, breve, & longum pariter opus, non mole, sed virtuti, ut in Doctoribus Doctorum Maximus desiderabat epist. 130. *Succinos, & breves, pariter, & longos; breves in verbis, longos in sententijs:* Omnia complectitur apud istud, maximum in minimo est, iureque possum canere cum Poeta:

*Maior in exiguo regnabat corpore virtus.*

*Laconice loqui* ( aiebat Nacianus Parens meus epist. 3. ) *Non est ut putas paucas syllabas, scribere, sed de plurimis rebus paucas.* Hinc bene componitur stylus brevis cum libertate doctrinæ, ut consimili sententia iudicavit Salvianus: *Legi librum stylo brevem, doctrina uborem, lectione expeditum, instructione perfectum.* *Brevis vos* ( aiebat Hieronym. in Vitam Div. Pauli primi Erem. ) *si litteras, & syllabas species, si sensum, mentemque dicentis per-*

ampli. Enim verò ( teste Seneca )  
*Magni artificis est clausissè totum in exi-*  
gno. Id brevi Adamantis spatio  
ingens valor concluditur. Et in  
Myrmecide magno illo Artifice ( ut  
testis est Plinius lib. 7. cap. 21.  
& rursus lib. 35. cap. 5. ) intèr  
eius magna opera , nullum cele-  
bratur maius , nullum mirabilius,  
quam illud in quo quadrigam ex  
ebore fabrefecit , quam musca in-  
tegeret alis : & návem , quam  
apicula pennis absconderet. Plane  
in parvo Artifex magnus. Quod  
egregie operis æstimabilitatem  
adauget iuxta Oxomensis Angli  
Epigram. lib. 1. num. 168.

*Nostra tibi brevit as ignavia forte  
videtur,*

*Crede mihi, labor est non levis, esse  
brevem.*

Studit , & multum sudavit Au-  
thor in hoc opere adiungere bre-  
vitati claritatem , & ita brevis , &  
clarus fieri , vt succinto , & non  
obscuro stylo necessaria , & suffi-  
ciens doctrina non deficiat. Me-  
dium tenet calamus inter dilata

volumina , & compendia breviora. Maiorum librorum prolixitatem fugit. Breviorum compendiorum parvitatem , inopiam , & nuditatem vitat. Et etsi florilegium sit ex varijs Doctorum Societatis floribus contextum ; potius in illo invenies fructus , quam flores iuxta illud B. Ennodij lib. 1. epist. 12. *Pulchra sunt , qua scribis , amo plus fortia. Redimita sunt floribus , sed poma plus diligo.*

Quibus , & alijs adductus censi  
sui ( si fas sit ita loqui ) opus hoc la-  
conicum numeris omnibus abso-  
lutum , utilissimum tyronibus , si-  
mul ac proiectis Theologis , præ-  
loque dignissimum , ut commu-  
ni bono , è manibus prædictorum  
non excidat ; sed frequenti usu  
teratur. Prosequere obsecro cum  
meo P. Chrysost. hom. 9. in Genes.  
& ad te eruditissime Author ipsius  
verba converto : *Nolli claudere  
rivos doctrine tuae , sed iuxta Sa-  
lomonem deriventur fontes tui fo-  
ras , & aquas tuas in plateis di-  
videre.*

Denique tuum opus nihil continet correctione dignum. Omnia enim valde consonant Orthodoxæ fidei. Hoc meum iudicium. Salvo semper, &c. In hoc S. P. N. Basiliij Magni Complutensi Collegio, die 12. Septembris 1708.

*P. Doct. D. Antonius  
Maria Castanis.*

*Lis*

*Licencia del Ordinario:*

**N**os el Doctor D Juan Ruiz de Castañeda, Canonigo en la Santa Iglesia Magistral de S. Justo, y Pastor de esta Ciudad de Alcalà de Henares, Visitador del Partido de ella, y de los de Guadalaxara, Briguega, y Alcolea de Torre, y Teniente de Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobispal de esta dicha Ciudad, y en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda sacar à luz, e imprimir un libro escrito por el R. P. Doct. Juan Marin, Rector en su Colegio de la Compañía de Jesvs de esta dicha Ciudad, Examinador Synodal de este Arçobispado, y Cathedratico que ha sido de Prima por dicho su Colegio de esta Universidad, intitulado *Secunda Secunda de Santo Thomás*, en tres Tomos de à octavo: Atento que por nuestro mandado ha sido visto, y examinado, y en él no se hallado cosa que se oponga à nuestra Santa Fè Catholica, y loables costumbres. Fecha en Alcalà en 26. de Agosto de 1708. años.

*Doct. D. Juan Ruiz de Castañeda.*

Por su mandado.

*Mro. Francisco Lopez Mogro.*

FA-

# FACULTAS ORDINIS.

**A**ntonius Portillo, Societatis Iesu,  
in Provincia Toletana Præpositus  
Provincialis, potestate ad id mihi  
facta à R. A. P. N. Michaële Angelo  
Tamburini, Præposito Generali, facul-  
tatem facio, ut *Tractatus de Fide, Spe,*  
*& Charitate*, Authore P. Ioanne Marin  
nostræ Societatis Theologo, & eius-  
dem Societatis gravium Doctorumque  
virorum approbati Typis mandetur.  
In quorum fidem has literas manu no-  
stra subscriptas, & sigillo nostro mu-  
nitas dedimus Matriti in nostro Impe-  
riali Collegio die 12. Augusti 1708.

*Antonius Portillo.*

SUMA

*SVMA DEL PRIVILEGIO.*

Tiene licencia , y Privilegio  
del Rey Nuestro Señor , el  
*P. Juan Marin* , para que  
nadie sin su licencia pueda impri-  
mit , ni vender este libro , como  
mas largamente consta de su ori-  
ginal. Madrid , y Mayo 20.de 1708.

*Don Bernardo de Solis.*

---

*SVMA DE LA TASSA.*

TAssaron los Señores del Con-  
sejo este libro à ocho ma-  
ravedis cada pliego , como  
consta de su original. Madrid , y  
Mayo 20. de 1708.

*Don Bernardo de Solis.*

## *Errata sic corriges.*

**P**ag. 17. lin. 13. *contra*,  
leg. *controversia*. Ibid.  
lin. 18. Munic. leg. *Muniesza*.  
Pag. 41. lin. 8. *secundain*, leg.  
*secundum*. Pag. 53. lin. 12. *at-*  
*tingitur*, leg. *atttingitur*. Pag.  
79. lin. 1. *illas*, leg. *alias*. Pag.  
91. lin. 11. *saipenit*, leg. *sa-*  
*pientia*.

¶ Corregidas estas erra-  
tas, corresponde con su ori-  
ginal. Madrid , y Julio 3.  
de 1716.

Lic. D. Juan Antonio de Alvalà  
Inigo.



R.P. IOANNIS  
MARIN,

OCONENSIS  
SOCIETATIS IESU.

TRACTATUS  
DE FIDE.

PRO OEMIUN.

**D**E necessitate Fidei , & Spei  
ad salutem latè egimus dis-  
put. 6. de Iustific. secl. vlt.  
& præcipue de necessitate  
Fidei , & Spei ad iustifica-  
tionem tām intra , quām extra Sacra-  
mentum in lapsis post baptismum: & ni-  
hil occurrit addendum. Ideo alias que-  
stiones tractabimus.



## DISPUT. I.

### De obiecto formalis fidei divinæ.



Biectum formale , quod alij vocant *ratio sub qua, obiectum quo, motivum obiectivum, suadibilitas obiectiva* , est ratio , & motivum assentiendi : sive hoc obiectum distingui debeat ab obiecto materiali , ut aliqui volunt , sive non , vt verius iudico ; differt à pura conditione , quia hæc non movet , sed manifestat obiectum , quod propositum movet . Obiectum formale aliud est intrinsecum , aliud extrinsecum : intrinsecum est , quod per actum attingitur , vt in hoc actu ; datur calor , quia datur ignis ; & in hoc : credo Trinitatem , quia Deus dicit . Extrinsecum est , quod

quod licet moveat, non attingitur per actum: sic plures dicunt, veritatem, si-  
vè formalem, sive obiectivam p̄̄mis-  
sarum esse obiectum formale conclusio-  
nis, & non attingi à conclusione: Alij  
dicunt carentiam esse obiectum formale  
actus intellectus negativi, & non attin-  
gi ab actu negativo.

## SECTIO I.

*An actus credendi Deo indigeat obiecto  
formali?*

**W**illielmus Parisiensis, vir ad-  
modum pius, & doctus, qui flo-  
ruit anno 1240. lib. 1. de Fide, cap. 2.  
dicit, actum credendi non habere obie-  
ctum formale, quod moveat intellectum  
ad fidem, voluntas namque est quæ de-  
terminat ut credamus, quia Deus p̄̄cipit,  
quin expectetur ratio, seu verid-  
tas apparet, & movens intellectum,  
alias non esset ita obsequiosus actus fi-  
dei, nec per fidem captivaretur intellectus  
contra Apost. 2. ad Corinth. 1.  
idemque possibile iudicat Guillelmus de  
Rubione in 3. dist. 23. quæst. 2. Sco-  
tus in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 2. pro-

babilitè afferit , habitum fidei suppleret posse defectum obiecti formalis distincti à mysterijs, quia ex vi habitus assentitur intellectus immediate mysterijs revelatis ac si essent per se nota , habitus enim supplet defectum apprehensionis, & speciei determinantis. Hanc sententiam defendit Gabriel ibi quæst. 2. artic. 1. Ocham quodlib. 3. quæst. 7.

2 Dico ergo cum ferè omnibus actum credendi Deo indigere obiecto formalis; imò Rip. disp. 2. num. 12. ait, oppositum his temporibus sine temeritate defendi non posse. Prob. 1. Quia de ratione assensus est moveri ex veritate , sicut de ratione amoris moveri ex bonitate ; ideo Arist. lib. 2. de Anima dixit , nos præ natu posse qualibet imaginari ; non tamen opinari : quia ad opinionem , ut potè assensum requiritur veritas. Sed actus credendi est assensus : ergo debet moveri ex veritate , & consequenter debet habere obiectum formale. Prob. 2. Actus credendi est actus virtutis Theologicæ. Sed virtus Theologica differt ab alijs ex motivo : ergo actus credendi Deo indiget motivo. Prob. 3. Actus credendi hominibus habet motivum , & obiectum formale iux-

ta vos: ergo & actus credendi Deo  
Prob. 4. Per actum credendi obsequium  
præstatur dicenti venerando eius autho-  
ritatem. Sed hoc nequit aliter contingere,  
quam respiciendo illius authorita-  
tem tanquam motivum, ut Adversarij  
fatentur in fide humana: ergo actus cre-  
dendi Deo debet habere motivum. Mit-  
to alia pro conclusione ferè certa.

3 Unde quidquid sit, an intelle-  
ctus possit immediate assentire myste-  
rijs absque motivo distincto, quod ve-  
rius iudico: dico contra Scotum eius-  
modi actum non esse actum credendi:  
quia non respicit motivum fidei: neque  
per illum præstari obsequium veneran-  
do autoritatem Dei. Imò neque elici  
potest ab habitu fidei, quia hic solum  
elicere potest actus respicientes moti-  
vum fidei; alias similiter posset elici ab  
habit u spei. Et si Scorus, vt alij Sco-  
tum intelligunt, dicat, talem actum ne-  
que moveri à veritate misteriorum; hoc  
difficilius erit: quia de ratione actus  
credendi Deo est, quod sit prudens, &  
obsequiosus, saltē dum non datur  
evidentia in attestare: quæ ergo pru-  
denter, & quod obsequium erit impe-  
rare assensum obiecto, quod non appa-

ret verum? Si autem apparet verum ante assentum quomodo suadebit, quod ille assensus non moveatur ex vero?

4 Dices cum Guillielmo, de ratione fidei est captivare intellectum in obsequium dicentis; sed si ad credendum prærequiritur motivum suadens obiectum non erit de ratione fidei captivare intellectum: ergo ad credendum non prærequiritur motivum. Resp. neg. maior. Absolutè loquendo, quia aliqui dantur actus credendi in quibus non captivamus intellectum, scilicet quando illa veritas non est supra, sed iuxta rationem naturalem, ut actus, quo credimus existentiam Dei, & alij similes, licet enim ad hos actus requiratur imperium voluntatis, etiam requiritur imperium voluntatis ad assentiendum existere Romanum, quin per hunc assensum dicamus captivare intellectum: captivamus igitur intellectum, dum assentimur mysterio Trinitatis, & alijs similibus, non quia tunc credamus sine motivo apparenti; sed quia illa mysteria sunt supra rationem, & iuxta plures contra rationem naturalem.

5 Dices 2. Ad credendum Deo sufficit, Deum præcipere, ut credamus, quin

quin ergo eamus alio motivo: Deus enim præcipere non potest, ut credamus, quod falsum est, ne sit causa per se erroris. Respondeo verum esse sufficere ad assentendum, quod Deus præcipiat assensum ( antecedenter ad suppositionem contingentem ) quia talis authoritas præcipiens assensum connexa est cum veritate obiecti; verum si tunc præceptum est motivum assentiendi, quomodo dicit nos assentiri sine motivo? An vero talis authoritas præcipiens sufficiat ad credendum, dicemus postea, agentes de perfectionibus constituentibus authoritatem.

6 Dices 2. Fides cæco modo tendit in suum obiectum, nec spectat rationem, sed illam praævenit. Sed non tenderet cæco modo si expectaret motivum apparere: ergo non expectat motivum. Mai. pat. ex Ambrolio citato à Glossa, in 15. Genesis de Fide Abraham: *Reputatum est illi ad iustitiam, quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit: Bonum est, rationem preveniat fides,* & ex Aug. tract. 40. in Ioann. ad illud Isaiae 7. *Nisi credideritis non intellegetis, ubi ait: Credimus, ut cognoscamus; non cognoscimus, ut credamus:* Vi-

de plura apud Suarez disp. 3. se<sup>t</sup>t. 12  
vbi PP. dicunt, fidem non habere me-  
ritum, vbi humana ratio prebet expe-  
rimentum, & Eccles. canit: *Quod non  
capis, quod non vides, &c.* ergo ad fi-  
dem non requiritur suadibilitas obiecti-  
va veritatis, seu motivum.

7 Respondeo, fidem cæco modo  
tendere cæcitate excludente indigen-  
tiam rationis naturalis. Hic enim erat  
error Manichæorum, & Petri Abaylars-  
di, & Arnoldi Brixiensis, anno 1130:  
tempore S. Bernard. (à quo errore res-  
puit Abaylard. & Sancte obiit teste Pe-  
tro Cluniacensi lib. 5. epist. 3.) dicen-  
tium, nihil esse credendum nisi humana  
ratione probaretur; non verò excludit  
fides, quod habeat pro ratione assen-  
tiendi autoritatem dicentis: imò hoc  
ipso cæco modo tendit: nam cæco mo-  
do tendit, qui attenta precise authori-  
tate dicentis, credit contra id, quod  
videt, scilicet in hostia non dari sub-  
stantiam panis, & hoc est quod inten-  
dunt autoritates allatæ, scilicet, quod  
fides non indiget alijs rationibus ad cre-  
dendum, quam autoritate dicentis: si  
verò mysterium etiam ratione naturali  
appareat suabile, minus habebit diffi-  
cul-

ultatis intellectus in credendo. Quia tamen fides nostra est valde rationalis, rationem debet habere ad credendum, vi cuius mysterium appareat possibile, & verum, & in hoc sensu verum est, ad credendum esse prærequisitam non repugnantiam mysterij, quod scilicet per argumenta credibilitatis appareat possibile mysterium.

8 Dices q. Innocent. in 1. propositione damnata decernit, ex imperio voluntatis posse actum fidei habere maiorem firmitatem, quam exigit pondus rationis. Nunc sic: non minus est subiectus actus fidei imperio voluntatis, quoad existentiam absolutam, quam quoad existentiam comparativam maioris firmitatis: ergo si voluntas potest imperare assensum magis firmum quam exigit pondus rationum poterit imperare assensum absque motivo, & pondere rationum. Respondeo, actum fidei habere duplicem firmitatem 1. *inhabitam*, scilicet connexionis subiectivæ cum obiecto, & hæc provenit efficienter ab habitu fidei, obiectivè motivè ab obiecto formalí, & determinativè à voluntate. Secunda est firmitas *adhesionis*, vi cuius reiicit tanquam imprudentem.

dentem formidinem , & hæc comensuratur cum pondere rationum , ita ut si non daretur tale pondus rationum, non posset imperari assensus firmus prudenter , nec magis firmus quam exigit pondus rationum. Quam ergo firmitatem maiorem potest accipere ab imperio voluntatis ? Hanc.

9 Propositis argumentis credibilitatis poterat intellectus assentiri mysterio , præcisè propter argumenta credibilitatis : & hic assensus solum esset moraliter firmus : quia motivum solum habet connexionem moralem cum mysterio ; & poterat assentiri quia Deus dicit mysterium , & hic assensus esset metaphysicè firmus , ut potè metaphysicè infallibilis : quia motivum habet connexionem metaphysicam cum mysterio , & principium effectivum non potest elice-re assensum falsum : quod facit ergo voluntas in his circumstantijs , est imperare , vt in illis assentiat mysterio ex hoc motivo : *Quia Deus dicit* , & non ex hoc , quia dantur argumenta credibilitatis : & sic tribuit determinativè assensi firmitatem metaphysicam inhæsivam , quæ major est , quam firmitas moralis , quam solam haberet assensus , qui mo-

veretur ex pondere rationum, & hoc solum intendit Innocentius.

10 Dices 5. Si Deo crederemus: quia nec potest fallere, nec falli, nihil, deferremus Deo, plusquam homini si quidem homini, quem iudicamus, nec fallere, nec falli, similiter, credimus. Resp. Multum nos deferre Deo plusquam homini. 1. Quia testimonium Dei non est physicè evidens, quale est testimonium hominis. 2. Quia Deo credimus etiam supra, & contra rationem naturalem, præferendo autoritatem Dei evidentiae visus, & tactus, & cuilibet rationi in contrarium se offrenti; non autem adeò firmiter credimus homini dicenti. Hinc sit, quoties credimus Deo, movemur ex motivo fidei, et si sæpè præ facilitate credendi reflexe non advertamus, imò cū facilitas sit ad actus similes illis, ex quibus nata est, si nata est ex actibus habentibus motivum, erit facilitas ad actus habentes motivum. Similiter quidquid dicat Puentz Hurtad. disp. 6. sect. 3. & Arriaga disp. 3. sect. 4. dicendum est cum Lug. disp. 1. sect. 6. Quoties repetimus conclusionem, ut talem, attendimus ad veritatem præmissarum propter rationem

immediate datam , etli reflexe non ad-  
vertamus. Et similiter si ex repetitione  
alicuius actus , accidat clarior cognosci  
objecum , hoc non provenit ex eo quod  
habitus acquisitus suppleat apprehensio-  
nem proponentem , sed quia ex repe-  
titione excitatur clarior species obiecti.  
Itaque si per assensum non attenditur ad  
motivum fidei ille assensus non erit  
actus credendi,& si in repetitione con-  
clusionis , non attendatur motivum  
conclusionis, illa repetitio non erit con-  
clusio formalis: quia non habebit mo-  
tivum conclusionis , sicut non erit actus  
charitatis , qui non habeat motivum  
charitatis,

## SECTIO II.

*Quodnam sit obiectum formale Fidei  
Divinae?*

**S**upr. Posse aliquod esse constitu-  
tivum alicuius denominationis,  
& ingredi in obliquo in tali denomi-  
natione , v. gr. albedo est constituti-  
vum intrinsecè constituens denomina-  
tionem albi , sanctitas intrinsecè consti-  
tuit denominationem *Sandi*. Et haec for-

hæc ingrediuntur in obliquo in his designationibus. Vnde casu quo authoritas, & revelatio intrinsecè constituant motivum fidei, parum refert, quod una ingrediatur in recto, & altera in obliquo. Imò respectu aliquorum actuum revelationis ingreditur in recto, seu attingitur in recto, & authoritas in obliquo; v. gr. in hoc actu: *Credo incarnationem, quia datur testimonium Dei.* A liquando authoritas attingitur in recto, & revelatio in obliquo, vt in hoc actu: *Credo incarnationem, quia Deus dicit.* Semper enim authoritas Dei est obiectum formale principale, sive attingatur in recto, sive in obliquo: quia ab authoritate accipit actus specificationem Theologici, & ab authoritate redditur revelatio infallibilis. Respectu tamen huius actus, *Authoritas movet, revelatio movet;* & huius, *authoritas, & revelatio movet,* utraque se habet in recto: quia de utraque affirmatur prædicatum, & utriusque convenit ratio per actum affirmata.

12 Sup. 2. Revelationem aliam esse internam, aliam externam; seu ut alij volunt, aliam esse activam, aliam passivam; revelatio interna, seu activa sunt actus voluntatis, & intellectus divini effe-

efficienes revelationem **externam**, & passivam. Revelatio externa, seu passiva sunt signa externa, & distincta à Deo, per quæ manifestantur conceptus interni Dei, & obiecta, quæ revelantur: sive obiecta manifestentur primario, & conceptus interni secundario sive & contra. Dixi signa externa, & distincta a Deo, quia Deus potest loqui per voces formatas in aëre, & per cognitiones infusas, quæ etiam dicuntur revelationes externæ. Adverte. cum à Thomistis assertur cum D. Thom. contra Gentes, cap. 31. & 35. Deum nihil agere se solo à dextra per actionem trâseuntem: hinc dicunt, revelationem **internam**, seu actus voluntatis, & intellectus esse actionē productivam revelationis externæ, & passivæ. Imò alij cum Salmanticens. disp. I. dub. 7. vocant actum, & habitum fidei revelationem passivam: quamvis hoc modo sumptam dicant, certum esse non pertinere ad motivum, cum non se teneant ex parte obiecti: vocant actum, & habitum fidei revelationes passivas, quia sunt effectus revelationis, & effectivè aliquando tribuitur denominatio cœsæ: quod habitus sit effectus revelationis,

in-

inde statuunt cum Ferre , quia producē non potest nisi per revelationem ( ex Matth. 11. *Abscondisti hæc à Sapienti- bus , & Prudentibus , & revelasti ea para- vulis* ) verum quamvis ibi habitus intel- ligeretur nomine revelationis , vnde probabunt non posse produci habitum fidei nisi per revelationem ? Nisi forte statuendo omnes effectus ad extra pro- ductos esse revelationes externas , & omnes actus Dei illos producentes esse internas revelationes , quod voluntariū videtur.

13 Sup. 3. Deum tripliciter dici primam veritatem , primo in essendo , quia est primum ens repugnans chymæ- ræ , & à quo dimaniant omnia entia , quæ habent verum esse. Secundo in cog- noscendo : quia determinatus est ad cog- noscenda omnia , ut sunt in se. Tertio in dicendo , quia determinans est ad non loquendum aliter ac iudicat , seu quia determinatus est , ut si loquatur , loqua- tur iuxta mentem. In præsenti casu pro authoritate intelligimus determinatio- nem illam ad infallibilizandum divinum testimonium , præscindendo modo à per- fectionibus constituentibus authorita- tem hanc.

14 His suppositis, prima sententia dicit solam authoritatem esse obiectum formale fidei, se habente revelatione divina tanquam conditione, sine qua non, sicut promulgatio legis est conditio, ut lex obliget. ita Aragon quæst. 1. art. 1. Tortes disp. 2. dub. 2. Ocham, Gabriel, Esforcia, cap. 5. num. 90. & alij apud Rip. Secunda sent. asserit, obiectum formale fidei intrinsecè constitui ex autoritate, & revelatione interna; ita Caetan. Salmant. disp. 1. citantes plures Thomistas, & Scotistas, & Maistrius in 3. disp. 6. quæst. 3. hi tamen omnes censent revelationem externam esse requiritam tanquam conditionem sine qua non: Tertia sentent. dicit, solam revelationem internam sumptam pro actione locutione immanente esse motivum adæquatum fidei. Ita Ioann. à S. Thom. disp. 1. artic. 1. Ferre quæst. 2. n. 34. Palanco disp. 1. nūm. 53. dicens potentiam locutivam Dei ad extra esse intellectum, & locutionem esse operationem intellectualem, quæ ex imperio voluntatis ordinat conceptum internum ad audientem: quomodo explicat Div. Thom. locutionem Angelorum 1. part. quæst. 107. artic. 1. sed locutio Dei  
sear-

temper producit signum ad extra: vi cuius  
ius percipiatur: *Quarta sentent.* afferit  
solam revelationem externam esse mo-  
tivum adæquatum immediatum dicendo  
tanquam conditionem authoritatem. Ita  
Lago disp. 1. sect. 10. Puente Hurtada  
disp. 13. sect. 4. Pontius disput. 29.  
quæst. 2. *Quinta sentent.* afferit obie-  
ctum formale resultare ex authoritate,  
& revelatione externa, intrinsecèque ab  
eis constitui, ita Suac. disp. 3. sect. 2.  
Lorca disp. 2. & communiter N.N. quos  
sequuntur Ovied. contra 2. Lug. disp. 1.  
à sect. 6. Rip. disp. 2. quamvis hic addat,  
etiam ipsum mysterium posse esse moti-  
vum solum intrinsecè attractum, modo  
authoritas, & revelatio sint motivum  
extrinsecum. Ita sect. 5. Munic. disp. 4.  
sect. 3. 6

15 Nostra sententia per varias  
conclusiones resolvetur. Dico 1. Divi-  
nam authoritatem constituere obiectum  
formale fidei. Prob. 1. Ex Matth. 16:  
*Caro, & sanguis non revelavit tibi, ex*  
*Ioann. 1. Unigenitus, qui est in simu Pa-*  
*teris ipse narravit, & cap. 12. Sicut di-*  
*xit mihi Pater; sic loquar.* Probat. 2.  
Authoritate PP. ex Agust. tom. 2. ep. 3:  
*Quemens contra divine authoritatis cul-*  
*De Fide. I.* B mea,

*men, lumenque contendat. Ex Chrys.  
in illud Genes. 15. Credidit Abraham  
Deo: homil. 36. Per fidem intendit men-  
tes nostras in dignitatem Dei. Ex Leone  
serm. 7. de Nativit. Divina est enim au-  
thoritas cui credimus, tandem iterum ex  
Aug. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 31. Di-  
vine authoritati humana credat infirmi-  
tas: vide plura apud Rip hic num. 16.*

16 Prob. à ratione: de ratione fi-  
dei est assentiri propter authoritatem di-  
centis, saltem in fide humana ita acci-  
dit, idèò enim sàpè non credimus ho-  
mini loquenti, quia non est fidedignus:  
dum authoritati namque dicentis insisti-  
mus, tunc credimus: ergo de ratione fi-  
dei Divinæ est assentiri propter autho-  
ritatem divinam. Probat. 2. Fides divi-  
na vi potè Theologica debet habere mo-  
tivum divinum. Sed non est aliud mo-  
tivum divinum, quod habeat, præter  
divinam authoritatem, vt postea con-  
statbit, quando dicamus revelationem in-  
ternam non esse motivum fidei: ergo  
fides divina habet pro motivo authori-  
tatem divinam. Prob. 3. Motivum fidei  
debet esse connexum cum obiecto testi-  
ficato; sed sola revelatio externa, quæ  
est aliud constitutivum motivi, non est

connexa cum obiecto testificato , nisi addatur authoritas divina : quia illæ voces externæ ex se indifferentes sunt , vt earum obiectum existat , vel non existat , cum ex se indifferentes sint , vt à creaturis proferantur , vel à Deo : ergo authoritas divina constituit motivum fidei.

17 Dico 2. Divina revelatio constituit motivum fidei. Prob. 1. De ratione fidei est assentiri propter autoritatem dicentis , seu , quia alter dicit , *ly* , *quia* denotante rationem motivi , & non solius conditionis : in hoc enim differt fides à reliquis assensibus non fidei , & ideo licet homo sit fidedignus , si non loquitur , non ipsi credimus : ergo revelatio constituit motivum verum. Prob. ant. si *ly quia* non denotaret rationem conditionis exactæ ad manifestandam divinam autoritatem , si aliunde appareret per possibile , vel per impossibile divina authoritas , quin daretur revelatio , possemus credere mysterium : si enim solum requiritur revelatio tanquam conditio ad manifestandam autoritatem , existente aliunde huius manifestatione , cessat necessitas revelationis. Sed etiam iuxta Adversarios , præcisæ

Deficiente revelatione , non possumus credere mysterium : ergo ly *quia* denotat rationem motivi, & non præcisè rationem conditionis. *Confirm.* Revelatio, vel est exacta ex se , & propter se ad fidem , vel propter aliud ; si est ex se , & propter se exacta ; hoc est esse motivum ; si propter aliud scilicet ad manifestandum authoritatem : ergo si aliunde manifestetur authoritas, quin detur revelatio, poterit dari fides.

18 Dicere namque esse necessariam revelationem ut authoritas manifestetur per revelationem , videtur ridiculum : quia etiam ut revelatio manifestetur per Parochum , est determinatè necessarius Parochus , & tamen Parochus non est conditio *sine qua non* ad fidem ; non alia ratione nisi , quia aliundè potest manifestari revelatio. 2. Præcisè deficiente revelatione non datur connexio absoluta cum obiecto testificato in ijs , quæ constituunt motivum fidei communiter receptum , siquidem authoritas solum connectitur conditionatè , sub conditione , quod loquatur ; & locutio , utpote purificatio conditionis constituit connexionem absolutam. Sed motivum fidei debet esse absolute connexum cum obiec-

objeto testificato : ergo revelatio est motivum. Hinc patet quomodo cognitio , etsi essentialiter exacta ad amandum, sit conditio, & non motivum : quia deficiente cognitione datur motivum, etsi non appareat : si enim per impossibile posset aliunde apparere , quam per cognitionem , voluntas sine cognitione posset amare.

19 Obijc. Quamvis promulgatio legis requiratur , ut lex applicetur , & obliget: sola lex est motivum obediendi, & promulgatio conditio : ergo licet revelatio requiratur ad credendum , sola authoritas est motivum , & revelatio est conditio applicans authoritatem. 2. Quod sufficit ad assentiendum veritati universalis, sufficit ad assentiendum veritati singulari, si constet contineri sub universalis. Sed sola authoritas sufficit ad assentiendum huic veritati universalis : *Quidquid Deus dicit est verum* : ergo si constet , Deum dicere Incarnationem , sola authoritas sufficiet ad assentiendum , & consequenter ad credendum existentiam Incarnationis. Mai. & conseq. probat. Quia revelatio universalis sufficit ad hunc assensum , omnis ritè electus est verus Ponis sex, sufficit ad hunc, hic est verus

*Pontifex si constet esse ritè electum . Sed authoritas sufficit ad hunc assensum , Quidquid Deus dicit est verum : ergo si constet , Deum dicere Incarnationem , sola authoritas sufficit ad assentiendum existere Incarnationem , vel saltem ad hunc , Revelatio de Incarnatione est vera.*

20 Ad argumentum in primis aliqui cum Vazquez dicunt , legem essentialiter constitui per actum internum Legislatoris , & promulgationem : quia lex est locutio ad subditos : sicut contractus matrimonij constituitur per manifestationem , & consensum . *Resp.* deinde , & neg. ant. Quia motivum obediendi non est lex ; sed honestas se subjiciendi legi . *Ad 2.* Dist. mai. ea ratione , qua sufficit ad assentiendum veritati universalis , conc. mai. alia ratione , neg. mai. & dist. min. Sufficit ad assentiendum huic , quidquid , &c. faciendo assensum conditionatum , seu per assensum conditionatum , conced. min. faciendo sensum absolutum , seu per assensum absolutum , neg. min. & conseq. Quia solum sufficit ad hunc assensum , *Si Deus quidquam dixerit , erit verum :* id enim significat illa universalis , *Quidquid Deus dicit est verum , quæ est conditionalis , ut dicimus etiam*

etiam de illa, *Omnis ritè electus, &c.* Et sic sufficit ad assensum conditionatum de veritate revelationis de Incarnatione: & ad similem de existentia Incarnationis, si detur revelatio; non vero sufficit ad assensum absolutum; & minus ad credendum: quia credere, est assentiri, quia alter dicit. Ad prob. dist. mai. Sufficit ad hunc assensum conditionatum, conc. mai. absolutum; neg. mai. quia ad assensum absolutum movere etiam inadæquatè rita electio, quæ est pars locutionis, ut dicemus disp. 4. ex qua doctrina sequitur, quod revelatio Incarnationis movebit ad assensum absolutum de existentia Incarnationis: & de infallibilitate absoluta revelationis de Incarnatione, vide disp. 2. sect. 1.

21 Obijc. 2. Esparza: Quod est indifferens ad assensum, & dissensum, ad verum, & falsum, nequit movere determinatè ad assensum præ dissensi. Sed locutio, & revelatio externa est indifferens ad assensum, & dissensum, ad verum, & falsum: ergo & consequenter revelatio externa erit conditio, & non aliter dicetur, rem credi, quia ab alio dicitur, quam dicitur ignem comburere, quia est applicatus. Confirm. Sicut in

physicis, ita in intentionalibus, causa inadæquata debet præcontinere inadæquatè effectum. Sed revelatio externa non continet inadæquatè assensum fidei: quia hic est valde perfectus: ergo non movet inadæquatè *Resp.* dist. mai. Quod est indifferens nequit moveare adæquatè, se solo, concedo mai. inadæquatè, & simul cum alio, neg. mai. Quia intellectus, & potentia visiva est indifferens ad videndum, & non cognoscendum hoc, vel illud; & simul cum hac, vel illa specie determinat hanc, vel illam visionem. Et dist. min. Revelatio externa se sola est indifferens, conced. min. simul cum Authoritate, neg. min. & conseq. Solutio non eget maiori explicatione. *Ad confirm.* Dist. mai. Debet continere ea ratione, qua est causa, conc. mai. alia ratione, neg. mai. & dist. min. Revelatio externa non continet physicè assensum fidei, permitto min. non continet determinativè, neg. min. & conseq. Quia ex ipsa, & authoritate resultat assensus connexus cum mysterio, quod sufficit ad determinandum assensum.

22 Obijc. 3. Esforc. Id est obiectum formale virtutis, cuius attingentia distinguit eam virtutem ab alijs. Sed at-

tingentia revelationis externæ non distinguit credentem à non credente, fidem à non fideli: ergo. Prob. min. Cognitio revelationis externæ est communis credenti, & non credenti; & discretio stat in eo, quod ille iudicat talia signa esse locutionem Dei; iste non: ergo licet actus credendi attingat intrinsecè revelationem; discretio credentis à non credente stat in assensu ut respiciente Deum; non ut aspiciente revelationem. *Respond.* conced. mai. dist. min. Quæcumque attingentia conced. min. attingentia revelationis externæ, talis ut hic assentiat, quia Deus dicit: secus alter, neg. min. & conseq. Ad prob. concessa prima parte ant, & secunda quoad aliquam discretionem; non quoad omnem discretionem credentis à non credente; disting. conseq. Discretio stat in assensu ut respiciente Deum inadæquatè, & inadæquatè revelationem, conced. conseq. ut respiciente solum Deum, neg. conseq. quia debet respicere Deum ut loquentem. Itaque credens distinguitur à non credente per assensum, quo quis iudicat, motus ex revelatione, illam esse revelationem Dei. Et discernitur etiam per actum, quo quis credit

dit mysteria, quia dicta à Deo: qui assensus attingunt saltem inadæquatè revelationem tanquam motivum, & ab eius attingentia discernitur credens à non credenti, quamvis maior pars meriti sit in assensu revelationis, ut dicemus. De modo quo Deus loquebatur Prophetis, dicimus disp. 3.

23 Prob. iam 2. conclus. ab autoritate ex prima ad Thesalonicenses, 2. *Cum accepissetis à nobis verbum Dei, accepisti illud, non ut verbum hominum, sed ut est verè verbum Dei.* Ex 1. Ioan. 5. *Qui credit in Filium Dei, testimonium Dei habet in se.* Idem: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Et sœpè in Prophetis dicitur, *Verbum Domini: quod factum est ad Isaiam, &c.* Prob. 3. ex Agust. tom. 22. & 23. in Ioannem ad illa: *Testimonium perhibeo de me, qui misit me ubi ait, non sufficere Fidelibus, ut credant testimonium Ioannis; sed requiri testimonium Dei.* Ex Athanas. in tract. de Epiphania: *Quod unus sit Christus, non habet humilern rationem, ut credant, sed sublimem, scilicet attestacionem Dei.* Ex Salviano lib. 3. de Providentia Dei sermonem Fidelibus ipsum sibi testem esse, & incur-

*ruptum testimonium veritatis.* Tandem ex D. Thom. hic aiente , revelationem se habere in fide , sicut prima principia in conclusionibus demonstrativis ; sed prima principia se habent , ut motivum in conclusionibus demonstrativis : Ergo revelatio se habet ut motivum in Fide.

24 Ex his constat ex autoritate , & revelatione constari motivum fidei divinæ. Primo , quia illa duo ingrediuntur in hoc quod est *assentiri quia Deus dicit.* 2. Quia ex illis resultat fundamentum connexum cum mysterio , quod non dabatur absque illis. 3. Quia autoritates Scripturæ , & PP. aliæ dicunt , autoritatem esse motivum , aliæ revelationem: aliæ ex vtraque resultare motivum ; ex quibus sequitur , quod quævis sit motivum inadæquatum , & vtraque motivum adæquatum fidei. 4. Ex Div. Thom. quæst. 14. de Verit. art. 8. ad 16. *Testimonium veritatis prime se habet in fide , ut principium in scientijs demonstrativis;* sed prima principia ( quæ sunt medium ) non sunt motivum adæquatum assentiendi conclusioni : quia hoc resultat ex tota veritate præmissarum ; sed est motivum inadæquatum:

Ergo similiter accidit in revelatione.

25 Dico 3. Revelationem exteri-  
nam, & non internam esse motivum fi-  
dei. Prob. 1. Ex illo ad Rom. 10. Ergo fi-  
des ex audiū, audiū autem per verbum  
*Christi*. Iuxta Paulum verba Dei, quæ  
præcipiuntur per auditum sunt moti-  
vum fidei; sed hæc, ut patet, sunt re-  
velatio externa: ergo revelatio externa  
est motivum fidei. Idem patet ex textu  
ad Thesal. relato numer. 19. Item ex  
Div. Thom. hic quæst. 5. art. 3. *For-  
male obiectum fidei est prima veritas se-  
cundum quod manifestata est in Scripturis  
Sacris, & doctrina Ecclesie*. Sed ibi ma-  
nifestata est, per verba externa: ergo  
revelatio, & verba externa sunt obie-  
ctum formale fidei. Prob. ratione. Quo-  
ties ad loquendum alicui sunt necessa-  
ria signa externa, in illis consistit locu-  
tio: quia locutio est, quæ se ipsam &  
præter se aliud manifestat, ideoque mea  
cognitio non est locutio respectu Petri;  
sed Deus ad loquendum cum hominibus  
indiget signis extra Deum: quia actus  
interni Dei minus manifestantur se ipsis;  
quam mea cognitio respectu Petri: er-  
go signa, & verba extra Deum, & re-  
velatio externa est, quæ vera est rever-

Iatio , & motivum fidei , sc̄cūs revelatio  
interna , quā non est propria revelatio ,  
saltim respectu hominum : imò ut plures  
dicunt , neque respectu Angclorum .  
**Confirm.** Non credimus alteri , quia vult  
dicere ; sed quia dicit : non quia conatur  
attestari ; sed quia attestatur . Sed revela-  
tio interna est voluntas , & conatus di-  
cendi , & attestandi hominibus in via ; &  
revelatio extēna , & passiva est dictio ,  
docutio , & attestatio : ergo .

26 Prob. 2. evertendo rationes Ad-  
versariorum. Ideò revelatio extēna non  
esset motivum fidei : quia fides est adæ-  
quate Theologica , & Divina ; sed hoc  
non probat , quod eius motivum adæqua-  
tum debeat esse Divinum : ad hoc enim  
ut totus actus sit Theologicus , sufficit  
quod obiectum inadæquatum sit Divi-  
num : sicut obiectum formale spei , scili-  
cēt Deus , ut possidendus , solum est in-  
adæquate Divinum , & tamen ipes est  
adæquate Theologica ; hoc est , totus  
actus est Theologicus , & sic differunt  
sufficienter virtutes Theologicæ , à vir-  
tutibus moralibus. **Confirm.** Actus cre-  
dendi habentes pro motivo inadæquate  
miracula , sunt actus fidei . Sed hi actus  
habent pro motivo inadæquato aliquid

creatum, vel revelationem externam: era  
gò. Prob. mai. ex Ioan. 10. *Si mihi non  
vultis credere, operibus credite.* Deinde  
non obstat, quod revelatio externa non  
sit se sola connexa cum mysterio, sed si-  
mul cum authoritate: quia cum non sit  
ipsa motivum adæquatum; sed hoc resul-  
tet ex ipsa, & authoritate, sufficit quod  
hoc complexum sit connexum, ut ex illa  
summat actus fidei certitudinem obiecti-  
vam consistentem in connexione obiecti  
formalis cum materiali. Deinde non ob-  
stat, quod obiectum inadæquatum fidei  
esset multiplex in specie physica, siqui-  
dem revelationes externæ sàpè differunt  
in specie physica: 1. Quia hoc non tol-  
lit obiectum formale esse vnum vnitate  
universalitatis sub hoc conceptu *revela-  
tio*, quod sufficit ad vnitatem motivi, si-  
cūt intellectus attingit omnia obiecta sub  
ratione veri. 2. Quod actus differant  
specie physica non facit eos differre spe-  
cie morali: sicut actus, quo amo Deum,  
quia *bonum* distinctus est specie physica  
ab aëtu, quo eum diligo, quia *misericor-  
dem* propter diversum modum tendendi;  
& tamen non differunt specie morali; &  
actus, quo spero beatitudinem, differt  
specie physica ab actu, quo eam sperat

'Angelus'; & tamen non differunt specie morali: imo & obiectum adæquatum actus potest esse distinctum specie physica ab alio, & esse eiusdem speciei moralis: quia revelatio adæquate post movere ad sui assensum, qui assensus est fidei, ut dicemus, & revelatio differt specie ab authoritate, & sçpè ab alia revelatione, quæ etiam adæquate possunt movere ad sui assensum: ergo cum ex nullo capite repugnet, quod revelatio externa sit motivum, & aliundè illa sit, quæ propriè est revelatio, illa est motivum fidei.

27 Dices ex Gaspare Hurtado, stante revelatione externa tanquam conditione, apparet iudicium divinum, in re connexum cum obiecto testificato, & quod scimus esse sic connexum: ergo stante tali revelatione externa, tanquam conditione, hoc iudicium, seu hæc revelatio interna est sufficiens motivum ad credendum: & consequenter revelatio externa non constituit necessario motivum. 2. Ideò per nos revelatio constituit motivum, quia præcisè deficiente revelatione, non datur antecedens connexum cum obiecto testificato; sed stante revelatione externa tanquam conditione datur antecedens connexum cum obiec-

objecto testificato , scilicet iudicium di-  
vinum, seu revelatio interna: ergo reve-  
lacio externa non constituit necessario  
motivum fidei. *Resp.* Verum esse , quod  
in dicto casu daretur sufficiens motivum  
ad assentiendum mysterio ; non vero ad  
credendum : quia illud iudicium ex di-  
ctis non est revelatio respectu hominam,  
& ad credendum requiritur assentiri, *quia*  
*Dens revelat.* Explicatur: Si hoc iudi-  
cium esset sufficiens ad credendum , au-  
thoritas divina in actu primo , scilicet  
veracitas , & sapientia , non se haberet  
necessario ut motivum; sed solum ut co-  
ditio ad manifestandum revelationem in-  
ternam , ex qua vicepotè divina , & conne-  
xa specificari posset actus fidei, quod ipse  
negat. Secundò, si hoc iudicium divinum  
esset sufficiens ad credendum , si aliundè  
appareret , quam per revelationem ex-  
ternam , etiam posset movere actum cre-  
dendi , quod non fatetur : ergo signum  
est , quod revelatio externa non se habet  
præcisè ut conditio ostendens motivum,  
sed etiam ut motivum.

28 Ad 2. resp. Ratio nostræ con-  
clusionis non ideo probat, revelationem  
externam esse motivum , quia ipsa defi-  
ciente non datur aliquid connexum cum  
obie-

objecto testificato ; sed quia ipsa defi-  
ciente non datur aliquid connexum  
pertinens ad motivum fidei , comuni-  
tèr receptum : qualiter non pertinet  
hoc iudicium : siquidem , neque est re-  
velatio , neque authoritas , vt dicemus  
dum de authoritate loquamur. Præter  
hoc iudicium dantur alia connexa , ipsa  
namque veritas objecti est connexa per  
identitatem secum ipsa : Verbum con-  
tingentium exprimens illam veritatem  
est connexum cum tali objecto , &  
scientia visionis , & sic de alijs : & ta-  
men licet hæc omnia sint motivum suf-  
ficiens ad assentiendum tali veritati,  
non tamen ad credendum ; quia non  
sunt motivum adhuc inadæquatum fi-  
dei , cum neque sint authoritas , neque  
revelatio , ideoque non ingrediuntur  
in hoc , quod est assentiri , quia Deus  
dicit , ly *quia* sumpto pro motivo , vt  
debet summi , & non præcisè pro con-  
ditione , vt accipitur , quando dicimus ,  
nos credere , quia Parochus dicit.

29 Itaque ly *quia* aliquando sig-  
nificat motivum , vt cum dicitur ama-  
ri objectum *quia bonum* ; aliquando sig-  
nificat conditionem , vt cum dicitur  
amari objectum , *quia bene cognitum*.

Quando verò *quia* significat motivum , & quando conditionem , colligendum ex prædicato affirmato, si prædicatum affirmatum sit eiusmodi , ut possit requirere ly *quia* tanquam motivum , denotabit esse motivum ; si solum possit ei correspondere tanquam conditio denotabit esse conditionem : sicut etiam suprà diximus , colligendum esse , quando forma denominationis summatur in recto , & quando in obliquo ex simili regula , scilicet ex convenientia prædicatorum cum forma , aut cum subiecto . Itaque revelatio specificat formaliter actum credendi , qua fides est discernendo eum ab alijs actibus non fidei prescindendo ab humana , & divina : & authoritas divina illum specificat qua divina est .

30 Adverte quod licet hoc nomen intellectio sit equivocum , & iam accipiatur pro actione productiva verbi interni , seu speciei expressæ , iam pro ipso verbo interno ; iam pro productione vniōnis ; iam pro complexo aliquorum ex dictis , ex quo oritur diversitas sententiarum circa constitutum intellectiōnis : cum tamen in Philosophia dixerimus intellectiōnem

proprius in verbo consistere, seu species expressa hinc est revelationem exterioram non esse accipiendam pro actione productiva verbi, quae iuxta Adversarios identificatur cum Deo.

1. Quia haec actio non est propriè locutio respectu huminum: cum respectu iliorum non sit signum.
2. Quia authoritates PP. & Scripturæ supra aliatæ melius intelliguntur de ipso verbo externo, quam de actione productiva, præsertim interna, & intrinseca Deo: Adverte etiam contra Palancorum.
3. Prima principia non esse adæquatum motivum proximum (quid quid sit de remoto) assentiendi conclusioni scientificæ per syllogismum comparatæ, quæ prima principia se habent ut medium: quia motivum proximum, & obiectum formale conclusionis est tota veritas præmissarum, quæ includit medium, & extremitates.
- Si vero prima principia se haberent ut motivum adæquatum, revelatio in fide non assimilaretur in omnibus primis principijs conclusionis scientificæ, sed solum in hoc quod est, esse motivum, et si inadæquatum.

## SECTIO IIJ.

*Solvuntur obiectiones intendentes, nullam revelationem, neque internam, neque externam esse motivum fidei.*

31

**O**bijc. i. Existentia Dei credi potest fide divina. Sed non potest credi ex motivo revelationis: quia notior est existentia Dei, quam existentia revelationis, & ineptum est persuadere magis notum per minus notum, sicut, & persuadere ignotum per æquè ignotum: ergo revelatio non est motivum fidei. Secundò, ineptum est quærere notitiam obiecti clarissimi per motivum obscurum, aut minus clarum: ideoque ineptum esset media die, aliquid quærere cum lucernis: ergo cum existentia Dei sit clarissima, ineptum erit quærere eius notitiam per motivum obscurum, aut minus clarum revelationis. Respondent. RR. Sapientissimi per argumenta credibilitatis notiorem esse revelationem, quam existentiam Dei: quia argumenta credibilitatis immediate inten-

tendunt persuadere revelationem, & secundario mysterium; ideoque dicunt relata ad notitiam per motivum revelationis non suaderi ignotum per æquè ignotum. Hæc solutio non satisfacit: quia argumenta credibilitatis non solum suadent immediatè dari revelationem; sed etiam illam revelationem esse Dei: si enim non esset Dei, non haberet vim ad suadendam fidem: ergo æquè primo suadent existentiam Dei, ac revelationem: quidquid sit, an in obiectis revelatis distinctis ab existentia Dei primario, & immmediatus suadeant revelationem, ac mysteria, quod verum iudico: quia vero in præsentí subiectum revelans est obiectum, revelatum: cum argumenta æquè immmediatè suadeant subiectum revelans, ac revelationem, æquè immmediatè ac revelationem, suadent obiectum revelatum.

32 Respond. Conces. mai. nego min. Ad subsumpt. conc. mai. neg. min. quoad primam partem, absolute loquendo. Ad 2. Dist. ant. si non detur causa rationalis sic querendi, conces. ant. Si detur, neg. ant. & conseq. Itaque stultum esset suadere omnino ignotum per æquè ignotum, si enim ipi

Ium non est suasibile , quomodo poteris illud suadere ; at vero suadere magis notum , per id quod est notum , & si non adeo notum , non est stultum : quando dantur fines prudentes ad sic suadendum : quia quod sic apparet eam habet vim proximam suadendi : cum autem assentiri existentiae Dei propter revelationem , possit habere finem se subiiciendi Deo , obediendi Deo præcipienti ; accedendi ad Deum , se disponendi ad iustificationem : hinc est , quod potest prudenter intendi talis assensus ; at cum nullus sit finis prudens generali ter loquendo , querendi notitiam obiecti per lucernam media die , imprudens est , media die querere notitiam obiecti per lucernam : Adde argumentum probare , quod non possumus assentiri authoritati Dei propter ipsam , quia ipsa non est notior se ipsa : neque primis principijs propter ipsa , propter eandem rationem .

33 Obijc. 2. Saltem revelatio non potest esse motivum ad credendum Deum esse veracem. 1. Quia stultum videtur credere , aliquem esse veracem , quia ipse dicit se esse veracem : cum hoc etiam mendatores dicant. 2. Quia non

potest fieri rectus syllogismus ad probandum, Deum esse veracem, in quo revelatio sit motivum: si enim aliquis fieri posset esset hic: *Quidquid Deus dicit, est verum: sed Deus dicit, se esse veracem: ergo Deum esse veracem, est verum*, in hoc autem syllogismo assumitur probandum, seu ponitur pro medio ad probandam conclusionem, non solum medium formaliter idem, sed etiam synonome idem: quia mai. & conseq. sunt synonome idem. Respondeo negando assumptum: ad primam probationem. Respondeo: Stultum esse credere aliquem esse veracem: quia ipse dicit se esse veracem nisi aliundē constet eius veracitas; si vero aliundē constet, ut nobis constat non est stultum: quia etiam in creatis homini fidedigno, prudenter credimus, dum ipse testatur se non fallere. Ad secundum omnes fatemur esse rectum syllogismum, in quo assumitur medium formaliter idem cum extremo probando, dummodo non sit synonome idem: sic esse animal rationale est motivum ad probandum esse hominem.

34. Respondeo ergo: non esse illam maiorem, & consequentia omnino sy-

nonomas: quia maior est propositio  
universalis attingens ex parte prædica-  
ti omne verum; quamvis solum habeat  
pro motivo assentiendi veracitatem di-  
vinam: & in cœlclusione deducitur vnum  
verum determinatè, scilicet *Deum esse*  
*veracem*: qui modus arguendi rectus  
est in *Darij*: Ab subsumptam: *Resp.*  
nos assumere pro medio veracitatem,  
non ad probandum primo veracitatem,  
seu non ad probandum veracitatem  
contra illam negantes: quia sic non te-  
stè probaremus; sed ad secundo pro-  
bandum veracitatem, hoc est ad pro-  
bandum veracitatem ex testimonio di-  
vino apud illos, qui ex se, vel a iude  
cognoscunt veracitatem, & hoc nihil  
continet absurdī: absurdum enim esset  
assumere motivum æquè ignotum ad  
probandum ignotum; at verò assume-  
re motivum notum ex uno capite ad  
probandum ipsum per aliud motivum,  
& sub terminis aliqualiter diversis non  
est stultum: præserium: dum dantur  
fines honesti ad assentiendum: imò  
propter hos fines non esset stultum  
ita discurrere *Credo Deum esse veracem*:  
*quia Deus summe verax dicit se esse ve-*  
*racem*: quia hic actus conducit ad

Salutem, obseruationem præceptorum, &c. ideoque talis modus assentiendi, ut potè observativus præcepti, est prudens. Deinde in physicis causa, quæ non potest causare se ipsam quoad primum esse, potest se ipsam synonome eandem causare per secundā, & diversam actionem, seu quoad secundam esse: si ergo potest se ipsam synonome causare quoad secundum esse: quid? Quod possit ad alium assensum ex parte objecti materialis synonomum secundò movere.

35 Adverte etiam per actum, quo credimus mysterium revelatum, attingitur revelatio propter ipsam, ille tamen actus non est actus credendi respectu revelationis: quia revelatio, quidquid dicat Oviedo, non revelat necessario se ipsam: siquidem ex eo, quod se ipsam ostendat, non probatur revelare se ipsam: sicut eo ipso, quod habeam cognitionem de existentia Petri, non possum negare me existere, existere meam durationem, & præsentiam, & ex hoc non probatur cognitionem illam affirmare se ipsam, meam existentiam, meam durationem, & præsentiam. Et lux materialis dum offendit alia, se ipsum

Nam ostendit ; & tamen absurdè dicere  
 ut reflectere suprà se. Dum ergo di-  
 cimus revelationem esse necessario ob-  
 jectum motivum fidei , loquimur de  
 actibus credendi , hoc est , de actibus  
 assentientibus objectis revelatis , *quia*  
*revelatis*. Ad verte secundò , iuxta sen-  
 tentiam dicentem , voces immediate sig-  
 nificare conceptus , revelatio externa  
 verè , & propriè revelat conceptus in-  
 ternos ; iuxta sententiam verò dicen-  
 tem , voces solum substitui pro concep-  
 tibus internis revelatio non revelat  
 conceptus internos ; quia hæc substitu-  
 tio , & si ostendat conceptus internos ,  
 non ostendit illos per significationem ,  
 seu loquendo illos ; sed solum per mo-  
 dum fundamenti connexi cum illis : &  
 in hoc sensu , revelatio ostendit se ip-  
 sam ; non per modum locutionis , & sig-  
 nificationis. Adde fortè , non esse de ra-  
 tione substituti ducere in cognitionem  
 alterius , pro quo substituitur : si qui-  
 dem si ad significandum vinum vendi-  
 bile pro ramo opponeretur pictura sig-  
 nificantia vinum vendibile , pictura sub-  
 stitueretur pro ramo , & non duceret in  
 cognitionem rami , per se loquendo ,  
 seu ratione sui .

36 Obijc. 3. Sola authoritas sufficit ad assentiendum, & consequenter ad credendum dari mysterium Incarnationis se habente tanquam conditione revelatione externa. Prob. Sola authoritas sufficit ad hunc assensum,  
*Quidquid Deus dicit est verum*; ergo dummodò constet per revelationem tanquam per conditionem Incarnationem absolute contineri sub illa veritate universalis, sola authoritas sufficiet ad assentiendum existentia Incarnationis; sicut revelatio, quæ est motivum sufficiens ad assentiendum *omnem hominem esse animal*, sufficit ad assentiendum, *Petrum esse animal*, si tanquam conditio appareat, Petrum esse hominem: ideoque hic actus erit fidei, *Credo Petrum esse animal, quia Deus dicit omnem hominem esse animal*. Aliter: sola authoritas sufficit ad hunc assensum, *Omne testimonium Dei est infallibile*; ergo sufficit ad assentiendum testimonium de Incarnatione esse infallibile, saltet si detur tale testimonium: ergo apparente existentia testimonij de Incarnatione tanquam obiecto materiali, & particulari illius universalis, sola authoritas sufficit ad hunc assensum absoluto-

tum, *Testimonium de Incarnatione est  
absolutè infallibile: sicut dum constet,  
hunc Pontificem contineri absolutè tā-  
quam obiectum materiale sub illa uni-  
versali, Omnis rite electus est verus Pon-  
tifex, revelatio vniuersalis distincta à  
verò Pontificatu sufficit ad absolutè af-  
fentiendum hunc esse verum Pontificē.*

37 Hoc argumentum est fallax. Respondeo negando assumptum. Ad probationem dico, authoritatem solam sufficere ad hunc assensum, *Quidquid  
Dens dicit est verum*, facientem sensum conditionatum: quia authoritas solum connectitur conditionatè cum veritate sui testimonij, scilicet si loquatur; non verò connectitur absolutè cum veritate absoluta sui testimonij: quia non connectitur cum eo, quod loquatur: ideoque connexio absoluta cum veritate testimonij resultat ex autoritate, & revelatione. Vnde revelatio non se habet solum ut conditio proponens illam particularem contineri absolutè in vniuersali, respectu assensus absoluti; sed ut motivum illius: quia motivum debet esse absolutè connexum cum tali veritate. Id quod additur, explicabit nostram solutionem. Dico ergo non suffi-

sufficere solam revelationem vniuersalē, quam suppono conditionatam; *Omnis homo est animal*, ad assentiēdum; & minus ad credendum *Petrum esse animal*, sc̄ habente præcisē tanquam conditione, *Petrum esse absolute hominem*; quia revelatio conditionata solum potest mouere ad assensum cōditionatum; Itaque *Petrum esse hominem*, se haberet tanquam pars revelationis, ex qua, & revelatione conditionata vniuersali resultat revelatio absoluta, *Petrus est animal*: Deus enim iuxta August. tract. 44. in Ioan. *Etiā rebus loquitur*; & ex Ioan. cap. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*; & cap. 14. *Alioqui propter opera ipsa credite*. Sed de hoc plura dicemus.

38 Argumentum secundo modo propositum est magis failax. Respondeo solam authoritatem esse motivum sufficiens ad hunc assensum, *Omne testimonium Dei est infallibile*: habentem modum tendendi conditionatum, scilicet, si existat testimonium; at verò cum existentia testimonij sit purificatio conditionis, & consequenter pars motivi respectu assensus absoluti, *Testimonium Dei de Incarnatione est absolute infallibile*:

bile : falso dicit , solam autoritatem sufficere ad assensum illum absolutum , se habente solum tanquam obiecto materiali existentia testimonij . Adverte fallaciam in exemplo , quod ponit . Verum est , quod e lectio distincta à vero Pontificatu sufficit ad assentiendum Clementem esse verum Pontificem , si constet hunc contineri sub universalis : sed hoc ideo est , quia revelatio universalis non affirmat sic : *Omnis homo , si fuerit Pontifex , erit Pontifex ;* sed sic : *Omnis homo , si fuerit rite electus , erit Pontifex ,* hoc est , non ponit pro conditione Pontificatum ; sed electionem : & ideo electio est pars locutionis absolute , non Pontificatus ; at in nostro casu : *Omne testimonium Dei est infallibile ,* seu quod est idem : *Si existat testimonium Dei erit infallibile ,* sumitur pro conditione ipsum testimonium : ideoque de existentia testimonij de Incarnatione , & revelatione universalis resultat connexio absoluta , & motivum absolutum assentiendi infallibilitati absolute testimonij de Incarnatione . Adeo admissum , quod auctoritas sola connegetur absolute cum existentia Incarnationis , revelatio de bebat esse motivum;

ritum : quia non assentimus Incarnationi , vt cumque ; sed quia dictæ à Deo , ad quem assensum exacta est tanquam motivum existentia revelationis.

39 Obijc. 4. ex Palanco. Fides in omnibus assimilatur spei quantum ad hoc , quod sicut obiectum formale spei est auxilium divinum , cui inhæret , qui sperat , ita obiectum formale fidei est diuinum testimonium , cui inhæret , qui credit. Sed motivum totale spei est auxilium divinum : ergo motivum totale fidei est divinum testimonium. Prob. mai. & min. ex D. Thom. quæst. vnic. de Spe, art. 1. *Fides non habet rationem virtutis , nisi in quantum inhæret testimonio primæ veritatis : Unde , & spes habet rationem virtutis ex hoc ipso , quod homo inhæret auxilio divina potestatis :* & ad 4. *Spes secundum quod respicit obiectum formale , scilicet auxilium divinum , sic est dispositio perfecti. Et simile etiam est de fide , quæ :: habet perfectionem ex eo , quod inhæret testimonio divina veritatis.* Explicat. Quamvis auxilium Dei debeat provenire à misericordia , quæ inclinet ad auxiliandum , & sapientia , quæ dirigit auxiliantem , nullus dixit , esse motivum formale

speci

spei misericordiam, aut sapientiam; sed solum auxilium divinum, seu omnipotentiam ut auxiliantem. Sed iuxta Div. Thom. similiter dicendum est de fide ergo quamvis testimonium Dei necessario procedat ex veritate inclinante ad loquendum verum, & sapientia dirigente divinum testimonium; non veritas, nec sapientia; sed solum testimonium Dei erit motivum formale fidei. Prob. conseq. Ideò primum est verum, quia in auxilio divino invenitur infallibiliter efficacia victrix difficultatum. Sed in divino testimonio ut distincto à sapientia, & veritate inventur veritas infallibilitè: ergò. Prob. min. ex D. Thom. quæst. 14. de Verit. art. 8. *Opportet igitur, quod hoc habeat ex eo, quod adhæret alicui testimonio, in quo infallibiliter veritas invenitur.*

40 Resp. neg. mai. per ly *in omnibus.* Quia testimonium Dei necessario est motivum saltem inadæquatum fidei; & omnipotentia ut auxilians, ut dicimus disp. 1. de Spe, sect. 3. non est motivum necessarium spei, nec ut intellatio est, quia ut talis ipsa beatitudo est motivum; nec ut securè tendit: quia sic sufficienter potest movere futuritio for-

formalis auxiliij creati. Vnde D. Thomæ solum intendit, omnipotentiam ut auxiliantem sufficiētē posse movere in adæquatē spem: quia potest esse motivum spei, ut securē rendit, quamvis non ut intentio est: & in hoc convenit fides, quæ movet ut inadæquatē ex testimonio Dei ut distincto à sapientia & veritate. Ad explicationem. Permis. mai. sensu explicato, & permis. min. nego conseq. Quia cum omnipotentia ut auxilians solum sit motivum inadæquatum spei ex dictis loco citato: si sunt omnino similes, testimonium solum erit motivum inadæquatum fidei. Ad prob. conc. mai. neg. min. Quia testimonium Dei extetnum, seu ad extra, quod solum est locutio ad homines, saltem pro statu viæ, se solo indifferens est ut sit verum, vel falsum, præscindendo à sapientia, & veritate; at est infallibiliter verum, ut est testimonium Dei, quia sic involvit sapientiam, & veritatem. Permissi mai. quia supposita omnipotentia, misericordia Dei potest reddere moraliter futurum auxilium, & in ea potest securē niti spes: immo frequenter speramus bona nixi misericordia, & bonitate Dei.

41 Obijc. 2. Id est motivum formale fidei, ratione cuius mysteria sunt proximè, & formaliter credibilia. Sed per solum testimonium Dei mysteria constituuntur proximè credibilia: ergo. Maior videtur vera. Quia obiectum formale cuiusvis facultatis est id, vi cuius obiectum materiale redditur proximè attingibile à tali facultate. Probat. min. Ea sola ratio, qua sola superveniente, mysteria transeunt de esse remotè, ad esse proximè credibilia, constituit mysteria proximè credibilia. Sed sola superveniente revelatione Dei transeunt mysteria de esse remotè ad esse proximè credibilia: ergo. Maiorem dicit evidentem, min. prob. Quia mysteria antequam esset revelatio non erant proximè, sed remotè credibilia: quia erant revelabilia; & adveniente revelatione iam sunt proximè credibilia, quia revelata.

42 Resp. Permissa, vel concef. mai. neg. min. Ad prob. dist. mai. Ea sola ratio constituit inadæquate proximè credibilia, conc. mai. constituit adæquate, neg. mai. & conc. min. vel permissa, neg. conseq. Itaque permitto, quod sola superveniente revelatione reddantur.

seddantur mysteria proximè credibili-  
lia : quia multa sunt revelata , quorum  
revelatio non est satis proposita , & hæc  
non sunt proximè credibilia. Sed hoc  
admisso , quod præcisè superveniente  
revelatione , iam sit proximè credibile ,  
quod non erat , probat , id esse consti-  
tutivum proximæ credibilitatis ; non  
vnicum : sicut præcisè superveniente  
creatura , datur complexum Dei , & crea-  
turæ , quia presupponitur Deus , &  
creatura est constitutivum , non vero  
vnicum constitutivum huius complexi.  
Præcisè superveniēte vniōne albedinis  
ad Petrum , si reliqua supponantur , Pe-  
trus est albus : & vnio non est vnicum  
constitutivum huius concreti. Simili-  
z̄. Cum iam supponantur veracitas , &  
sapientia , sola superveniente revelatione ( ad quam vnicè suadendam est ne-  
cessaria propositio Ecclesiæ : quia vera-  
citas , & sapientia iam sunt notæ ) da-  
tur antecedens connexum cum myste-  
rio : & ideo revelatio est constituti-  
vum ; sed non tota connexio cum my-  
sterio .

43 *Insistit.* Divinum testimonium  
intrinsecè , & ratione sui habet , quid-  
quid requiritur ad movendam fidem :

ergo est motivum adæquatum fidei;  
 Prob. ant. Divinum testimonium, ratione sui est connexum, & conforme  
 cum obiecto prout est in mente, & in  
 re: ergo. Prob. ant. Quia ratione sui  
 habet perfectionem propriæ linea.  
 2. Divina locutio intrinsecè, & ratio-  
 ne sui est maximè perfecta in ratione  
 locutionis: & opposita imperfectioni-  
 bus in tali linea. Sed disconformitas  
 cum obiecto in mente, aut in re, est im-  
 perfectio in linea locutionis: ergo in-  
 trinsecè, & ratione sui est conformis  
 cum obiecto prout in mente, & in re.  
 Prob. min. Quia locutio ex natura sua  
 ordinatur ad manifestanda obiecta, non  
 solum ut in mente; sed etiam ut sunt in  
 re: ut patet in omni locutione sive ver-  
 bo, sive scripto fiat. Prob. 2. min. Di-  
 vina authoritas est summa, & infallibili-  
 lis inclinatio ad loquendum verum in  
 re, & locutio est instrumentum huius  
 authoritatis. Sed instrumentum natura  
 sua ordinatur ad finem agentis princi-  
 palis: ergo ita ordinatur: & hæc est  
 perfectio propria locutionis. 3. Infal-  
 libilitas, quæ movet fidem, est infalli-  
 bilitas in actu secundo loquendi; non  
 infallibilitas in actu primo, quæ præ-  
 suppos.

Apponitur ad actum secundum. Sed veracitas, & sapientia sunt infallibilites in actu primo; & sola locutio est infallibilitas in actu secundo: ergo sola locutio movet fidem. Prob. mai. Infallibilitas, quæ movet fidem, est infallibilitas Dei ut loquentis. Sed haec est sola infallibilitas in actu secundo, quæ est revelatio: ergo. 4. Motivum fidei debet attingi immediatè per fidem; non per scientiam. Sed sola revelatio attinguitur per fidem: quia veracitas, & sapientia attinguntur per scientiam: ergo.

44 Resp. neg. antec. Ad prob. neg. ant. Ad prob. disting. Ratione sui habet perfectionem intrinsecam propriæ lineæ. conced. antec. perfectionem extrinsecam, neg. antec. Perfeditio intrinseca divini testimonij est esse signum locutivum aptissimum ad exprimendum res, & mentem; qnod verò sit connexum cum re, & mente est illi extrinsecum: quia hoc provenit ab authoritate loquentis, ut accidit in testimonio humano, & Angelico. Ad 2. dist. mai. Locutio divina ratione sui est maximè perfecta in ratione locutionis, secundum quod est ipsi in-

extrinsecum in ratione locutionis , conc. mai. secundumquod est ipsi extrinsecum , neg. mai. vel implicat in terminis habere ratione sui , & esse illi extrinsecum . Et dist. min. Disconformitas est imperfectio extrinseca , conc. min. est imperfectio intrinseca , neg. min. propter rationes conclusionis , & neg. conseq. Ad prob. dist. Locutio ex natura sua ordinatur ad manifestanda obiecta , ut sunt in mente , & in re per modum signi locutivi , concedo ; aliter nego . Et hoc ipso , quod ex se ordinatur ad manifestandam mentem , & res per modum signi locutivi , ex se est indifferens , ut eas manifestet ut sunt in mente , & in re , propter nostras rationes ; alias etiam locutio externa Dei ( quæ sola iuxta nos est locutio ad homines ) esset ex se connexa cum obiecto ut in mente , & in re , quod non satentur .

45 *Ad 2.* Prob. concess. mai. distingu. min. Natura sua ordinatur , modo proportionato naturæ ipsius , conc. min modo non proportionato , neg. min. & conseq. Quia modus proportionatus naturæ locutionis est indifferenter ex se ad veritatem , & falsitatem .

*Ad 3.* Concess. mai. quoad primam partem ,

em , dist. quoad secundam; non infal-  
libilitas in actu primo, adæquate conc.  
mai. non infallibilitas in actu primo  
inadæquate , neg. mai. & conces. min.  
quoad primam partem , neg. quoad se-  
cundam , & neg. conseq. Quia infalli-  
bilitas in actu secundo , est totum re-  
sultans ex infallibilitate in actu primo,  
& ex locutione : quia infallibilitas in  
actu primo est connexio subiective ab-  
soluta , & obiective conditionata ad  
loquendum verum , si loquatur; & lo-  
cutio est purificatio conditionis , ex  
qua purificatione , & connexione con-  
ditionata resultat connexio absoluta  
cum veritate locutionis. Ad prob.  
conces. mai. neg. min. propter dicta.

*Ad 4. conc. mai. quoad primam par-  
tem , neg. quoad secundam:* quia mo-  
tivum , fidei attingitur per actum crea-  
dendi , et si non credendo motivum:  
& veracitas , & sapientia attingi pos-  
sunt per actum fidei , & possunt credi;  
licet simul attingantur per aliud  
actum scientiarum. De quo  
disp. 6.



## SECTIO IV.

*En Deitas ut ab attributis precipia sua sufficiens authoricas pro revelationibus assertorijs, & promissorijs.*

**S**up. i. Evidens esse ex terminis Deum esse sitedignum pro quacumque revelatione, sive hoc sit evidens ex terminis solius Deitatis, & alterius praedicati. Revelationes alias sunt assertoriae, illae scilicet, quae simpliciter narrando aliquid affirmant de praesenti, praeterito, aut futuro, v. gr. *Datur incarnationis: Antechristus existet.* Aliæ sunt decretoriae, in quibus includentur comminatoriae & promissoriae, & sunt illae, quae intimant aliquid Dei decretum, seu Deum aliquid futurum: & haec revelationes, versantur circa obiecta futura. Usque ad P. Ripalda, AA, inquirentes de perfectiōnibus constituentibus autoritatem in discriminatim loquebantur de revelationibus; ipse vero suadere conatus est, alias perfectiones constituere auctoritatem pro revelationibus assertorijs, alias promissorijs.

47 Sup. 2. Quodvis antecedens  
sive mediatè, sive immediate conexum  
cum termino, cum sit impotentia exi-  
stendi sine termino, esse sufficiens ad  
assentiendum existentiæ termini, si ap-  
pareat talis connexio: sic decretum de  
actione productiva Petri, & si mediatè  
connexum cum Petro est sufficiens ad  
assentiendum existentiæ Petri: neque  
facit ad rem, quod non sit formaliter;  
sed solum realiter conexum cum ter-  
mino, alijs solum antecedens formaliter  
connexum cum termino esset suffi-  
ciens ad assentiendum existentiæ termi-  
ni: quod utique falsum est: cū connexio  
antecedentis, vnde cumque appareat,  
sit impotentia existendi sine termino:  
ex his patet quod quamvis Deitas, &  
idem de quovis attributo, & prædicato  
divino, non haberet formaliter infalli-  
bilizare divinum testimoniuw; si tamen  
appareat habere connexionem, sive me-  
diatam, sive immediatam cum eo, quod  
testimonium sit infallibile ( qualem ha-  
bet quodvis prædicatum divinum ra-  
tione identitatis realis cum veritate,  
& sapientia) Deitas ut sic connexa; &  
quod vis prædicatum divinum est suffi-  
ciens ad assentiendum testimonium Dei

esse infallibile, & Deitas (idem de omnipotentia, & immensitate) ut sic conexa, & coniuncta cum testimonio est sufficiens ad assentiendum obiecto, quia dicto à Deo: qui actus cum sit Theologicus, & non pertineat ad spem, neque ad charitatem, pertinet ad fidem: ideoque actus quo credimus mysterio, quia dicto ab omnipotente, immo & ab omnipotentia, est strictè fidei: sicut propter similem ratione actus amans Deum non propter naturam divinam, nec propter attributū bonitatis; sed propter misericordiam pertinet ad charitatem: & ratio est, quia authoritas pro Fide, est perfectio illa divina, quæ infallibile reddit divinum testimonium, sive si hæc, sive illa; hoc enim ipso, quod infallibile illud reddat, præferri potest Dei testimonium cuivis fundamento; verum quæstio non procedit in hoc sensu reali, qui supponendus est.

48 Procedit ergo in sensu formalis, hoc est, cum in Deo pro diversitate munerum, & operationum assignentur perfectiones ratione nostra distinctas, scilicet voluntas pro volitionibus, intellectus pro cognitionibus; iustitia, & misericordia, &c. & cum perfectio, sit

loqui verum præ falsò , assignanda est perfectio cuius munus sit, Deum loqui verum potius, quam falsum. Inquirit ergo quæam sit perfectio in Deo formaliter, & immediatè destinata ad loquendum verum; vel formaliter identificata cum perfectione immediatè destinata; vel ad summum, quæ per modum radicis formaliter afferat , & connectatur cum tali immediata perfectione. Quia divina sapientia realiter connectitur cum eo , quod Deus honestè operetur: Immensitas connectitur cum eo , quod omnia sciat , & nihilominus assignatur in Deo perfectio formaliter distincta à sapientia, destinata ad benè operandum, quæ se habet tanquam ratio, quam redderemus interroganti , cur Deus semper benè operatur ? Cui non ita aperte redderemus, dicendo , quia immensus, aut sapiens est: & sic de alijs virtutibus. Inquirit ergo quæstio ; an Deitas formaliter habeat immediatè infallibilizare divinum testimonium, vel saltè Deitas formaliter , ut talis afferat , & connectatur cum perfectionibus infallibilizantibus divinum testimonium?

49 Sup. 4. Quæstionem hanc maximè dependere à concepcione Deitatis, qui

qui variè ab AA. designatur si enim es-  
sentia metaphysica Deitatis constitu-  
tur, ut vult Suarez, per complexum  
divinum attributorū, proculdubio Dei-  
tas est sufficiens authoritas. Ideò ne  
hæc quæstio pertineat ad tractatum de  
Essentia, & attributis, assignandus est  
conceptus in quo pro præsenti quæ-  
stione conveniamus. Isque sit quæ  
assignat P. Ripalda, qui primus, vel af-  
seruit, vel promovit, sufficere solam  
Deitatem pro omni revelatione. Con-  
ceptus Deitatis ab ipso assignatus est,  
*Ens dicens omnem perfectionem sine im-  
perfectione.* Qui explicandus est ita ut  
dicat omnem perfectionem genericè  
sumptam, non specificè: quia non dicit  
formaliter esse sapientem; habere stri-  
ctam iustitiam, neque formaliter haber  
connexionem cum his perfectionibus;  
& similiter excludit omnem imperfe-  
ctionem genericè sumptam, & sub con-  
ceptu inadæquato, non specificè, & sub  
conceptu adæquato. Ita explicat hunc  
conceptum Ribadeneira disp. 3. de Vo-  
luntate, cap. 4. cui explicationi non  
dissentit Ripalda hic disp. 2. num. 10. s.  
quamvis intendat Deitatem aliquas per-  
fectiones dicere, vel saltem afferre spe-  
cificè

cificè , & secundum conceptum adæquatum , & similitèr , aliquas imperfectiones formaliter excludere secundum conceptum adæquatum .

50 His suppositis , quidam superpresso nomine citati ab Oviedo infra num. 25. dicunt , quodvis prædicatum *divinum* , etiam æternitatem , esse sufficientem authoritatem pro quavis revelatione : quia quodvis ex dictis formaliter habet excludere secundum conceptum adæquatum omnem imperfectionem physicam , & moralem . Verum hi videntur confundere attributa , cum cuivis tribuant munera omnium . SS. Antecessores Primarij non solum Deitatem , sed quodvis prædicatum *divinum* , ut *divinum* , dicunt sufficiente pro authoritate , quia quodvis prædicatum *divinum* , ut *divinum* connectitur cum eo , quod testimonium sit verum . Et quidem si Deitas esset sufficientis authoritas hoc esset verum : quia quodvis prædicatum *divinum* , ut *divinum* , includit ipsam Deitatem ; unde dicere quodvis prædicatum , ut *divinum* esse sufficientem authoritatem , est dicere , Deitatem esse sufficientem authoritatem . Imò , si Deitas esset sufficientis

ciens authoritas , quodvis prædicatum divinum , non solum *ut divinum* , sed secundum se , & specificativè acceptum , dici potest sufficiens authoritas ; quia *ut verius iudico* , ex tract. de Essentia , & Attribut. quodvis prædicatum divinum ostendit ex conceptu suo identitatem realem sui cum Deitate : ideoque formaliter est Deitas , ex conceptu identitatis formalis assignato in philosophia ; & insinuato tract. de Essent. & Attrib. à Ripalda , disp. 2. à num. 101. citans Caietanum , & Aureolum , dicit , Deitatem esse sufficientem authoritatem pro qualcumque revelatione . Oppositum defendit Arriaga disp. sect. 2. Oviedo contr. 2. num. 24. Ojea disp. 2. sect. 4. & communiter aliarum Scholarum Magistri.

51 Placet hæc sententia , quæ sic probatur. Illa entitas , quæ formaliter præscindit ab eo , quod eius testimonium sit connexum , vel inconnexum , cum re testificata , non est sufficiens authoritas , sed Deitas ex conceptu formalis assignato prescindit ab eo , quod eius testimonium sit connexum , vel inconnexum cum re testificata : ergo . Prob. min. quamvis Deitas ex concep-

eu assignato ex se habeat ; quod eius testimonium sit perfectum , tamen ex hoc conceptu , præscindit ab eo , quod connexio cum re testificata sit perfectio potiusquam non connexio : ergo . Prob. antec. Non magis determinata est Deitas ex conceptu dicendi omnem perfectionem ad loquendum verè , ac ad effendum vbique , sed Deitas non est formaliter determinata ad effendū vbique . Sed ex suo conceptu præscindit , seu nō dicit , nec ostendit hanc esse perfectionem : quia si rogaremur cur Deus est vbique non recte formaliter responderemus : quia est Deus ; sed quia est immensus : ergo neque est formaliter determinata ad loquendum verè . 2. Eatenus Deitas esset formaliter determinata ad loquendum verè , quatenus formaliter esset radix veracitatis , & sapientiæ sub proprijs conceptibus , sed Deitas ex hoc conceptu , Ens dicens omnem perfectionem sine imperfectione . Quidquid sit ex alio conceptu , qui præ oculis habendus est . Non est formaliter radix veracitatis , & sapientiæ sub proprijs conceptibus ; sed solum sub conceptu generico omnis perfectio , præscindendo à veritate , & sa-

pientia , & consequenter ab eo ; quod veracitas , & sapientia sit perfectio , si-  
cūt neque habet formaliter esse radi-  
cēm potentiae locutivæ , iustitiae strictæ ,  
quæ solum radicantur in esse tanquam  
in principio , non vero tanquam in prin-  
cipio formalis ipsarum , hoc est quod ex  
proprio conceptu sit tale : ergo Deitas  
nō est formaliter determinata ad loquē-  
dum vere : adde iuxta conceptum assig-  
natum Deitatis , Deitas non solum non  
est formaliter rationalis , ceterum ne-  
que formaliter , est radix intellectus ,  
voluntatis neque rationalitatis ; quid-  
quid sit ex alijs conceptibus Deitatis .

52 Tertiò . Qui credit aliquo  
speciali modo signat veracitatem quo  
non signat Deitatem , ex Ioanne 3. *Qui  
aceperit eius testimonium significabit ,  
quia verax est , & cap. 8. Qui me missit ,  
verax est ; & ad Roman. 3. Nunquid  
omnis incredulitas eorum fidem Dei eva-  
cuavit . Absit ; enim est Deus verax , &  
omnis homo mendax . Sed veracitatem  
signat tamquam perfectionem determi-  
nantem ad loquendum vere : ergo non  
ita signat Deitatem . Item qui non cre-  
dit , aliquo speciali modo signat , Deum  
esse mendacem , quo non signat non  
esse*

esse Deum, ex 1. Ioan. 5. *Qui non credit, mendacem facit eum.* Sed formaliter signat Deum esse mendacem; ergo non ita signat non esse Deum: & consequenter Deitas non determinat formaliter ad loquendum verè: alias qui non crederet, formaliter signaret, illum non esse Deum. 4. Illæ perfectiones movent intellectum creatum ad credendum, quæ formaliter inclinant Deum ad semper loquendum verè; sed non Deitas, & multo minus immensitas; sed veracitas, & sapientia formaliter inclinant Deum ad semper loquendum verè: sicut Deitas non inclinat formaliter Deum ad essendum ubique, neque ad loquendum, neque ad omnia cognoscendum: ergo Deitas non movet intellectum creatum ad credendum. 5. Non maiorem determinationem dicit Deitas ad loquendum verè, quam immensitas, & paternitas: quia ex dictis solum dicit determinationem realiter, non formaliter. Sed iuxta Ripalda immensitas non est sufficiens authoritas: ergo neque Deitas.

53 Dices 1. Plura Scripturæ loca, & authoritates PP. allatæ à Ripalda sect. 7. revocant fidem in Deum, nulla

facta mentione attributorum: ergo sola Deitas sufficit ad movendam fidem.  
 2. Eo ipso, quod apprehendatur, Deum testari aliquid, apprehenditur illud esse verum, quamvis Deus non apprehendatur, ut verax, & sapiens: ergo sola Deitas sufficit ad reddendum testimonium verum. *Resp.* dist. ant. Script. & PP. revocant fidem in Deum physicè, seu in concreto sumptum, & quatenus dicentem omnia sua prædicata, conc. antec. in Deum formaliter, & in abstracto sumptum, præscindendo à reliquis prædicatis, nego antec. sicut etiam nulla mentione facta attributorum dicunt, Deum esse Creatorem, Gubernatorem, Providentem, &c. Et tamen hæc dicuntur de Deo physicè, & in concreto sumpto, qua ratione involvit omnia sua prædicata; non de Deo formaliter sumpto, & in abstracto, seu de Deitate, ne confundant attributa cum Deitate.

54 Ad 2. dist. anteced. Eo ipso, quod Deus apprehendatur testari aliquid nulla facta mentione, veracitatis, & sapientiae sub his terminis, apprehenditur esse verum, conc. antec. Nulla facta mentione veracitatis, & sapientiae sub his fide dignis, vel similibus, neg. antec.

rec. & conseq. Itaque apprehensa Deitatem physice, & in concreto apprehenditur testimonium esse verum; sed tunc apprehenditur veracitas, & sapientia, et si non sub proprijs terminis; sub his tamen fide dignus, vnde humanitas Christi non apprehenditur mundissima ab omni labe specificè sumpta, & ab omnī errore ex eo præcisè, quod formaliter apprehendatur unita Divinitati in abstracto; sed ex hoc, & ex alijs prædicatis repertis in Deitate; sicut ipsa Deitas non habet in se formaliter omnem perfectionem specificè; sed eam habet à reliquis perfectionibus: itaque dum apprehendis aliquod speciale peccatum repugnare Deitati, iam non apprehendis solam Deitatem; sed illam cum eis perfectionibus formaliter repugnantibus tali peccato. Vnde quamvis duæ res possunt esse immediate oppositæ alteri, quia furto mortali opponuntur immediate sive realiter, sive formaliter gracia habitualis, visio Beata, & si velis unio hypostatica; tamen propter nostras rationes, Deitas non est formaliter opposita; sed solum realiter furto, sub hac expressione; est tamen formaliter opposita peccato lethali in genere,

non in specie, hoc est, non ostendit ex conceptu suo talem speciem esse peccatum lethale.

55 Dices 2. Maiestas se sola conciliat attentionem, venerationem, & respectum, additque maiorem irreverentiam actus non credendi ipsis, quam actus non credendi personæ privatae. Sed hoc non potest esse nisi, quia maiestas se ipsa sit fidedigna: ergo formaliter est fidedigna per se ipsam. Hoc argumentum intendit Deitatem formaliter, & immediate esse authoritatem, & non solum per modum radicis, quod quidem difficilior est: quia facilius apprehenditur, cum Deitas sit radix attributorum, & unum ex attributis quæ videmus, quod dignitas ut credatur, formaliter sit authoritas per modum radicis. Resp. Maiestatem se sola esse quandam authoritatem latam consistentem in eo, quod super alios evicitur, sicque dignus est majori cultu exteriori, & magis alienus ab irreverentia externa: indeoque maior irreverentia est discredere exteriori Regi, quam personæ privatæ. Addo etiam, quod attenta maiestate, quæ ex se petit aliena esse à proprietatibus indignis genericè sumptuosa

& aliundē cognita indignitate mend  
tiendi , per se loquendo magis digna  
est fide maiestas , quam persona pri-  
vata , quamvis , ut dixi , non formaliter  
titulo maiestatis , sed quia iam in  
ipsa debet supponi veracitas , & sapien-  
tia , cum appareat indignitas mendatijs  
et verò per accidens recte potest con-  
tingere , quod magis digna sit fide per-  
sona privata , quam maiestas , eo quod  
persona privata comp̄ta sit magis ve-  
rāx. Ad id , quod additur. Deitas sub  
conceptu assignato ( quidquid sit sub  
alio ) non est formaliter radix *Autho-  
ritatis* , nec *dignitatis* , ut credatur , sub  
his conceptibus ; sed solum sub con-  
ceptu *Perfectionis*. Nec authoritas , &  
dignitas , ut credatur , est attributum for-  
maliter distinctum à veracitate , & sa-  
pientia ; sed est complexum ex utraque  
resultans.

56 Dices 3. Tam determinatus  
est Beatus ratione visionis Beatus ad  
non mentiendum , nec dicendum fal-  
sum , quam Deus titulo veracitatis , &  
sapientiae : & tamen Deus est dignior  
Fide , quam Beatus: ergo cum hæc ma-  
ior dignitas non proveniat præcisè à  
determinatione ad loquendum verè

proveniet à Maiestate , seu Deitate , & sic Deitas formaliter constituet dignitatem ad fidem . *Resp.* permisso , quod Beatus ratione visionis sit determinatus ad non loquer dum falsum , Deum esse magis dignum fide : quia Deus est dignus fide per perfectiones secum identificatas , & infinitas , quales sunt veracitas , & sapientia ; ideoque cum reddant Deum dignorem , quam visio reddit Beatum , & alias sint determinatae ad loquendum verè ; inde reddunt Deum magis dignum fide .

57 Dices 4. Posito assensu revelationis potest suspendi assensus mysterij : quia in assensu mysterij datur novum meritum , & quia Abraham , Genes. 15. posito assensu revelationis , suspendit assensum mysterij : hocque supponunt disputantes , *an sit Hereticus credens aliquid esse revelatum , & dubitans de eius existentia?* Sed si veracitas , & sapientia constituunt autoritatem , supposito assensu revelationis , non potest suspendi assensus mysterij : quia tam evidens est summam veracitatem , & sapientiam non posse loqui falsum , ut nulla apparentia dari possit in oppositum : ergo pro assensu mysterij

rij obsequioso , & meritorio Deitas constituet authoritatem. *Resp.* Verum esse , quod posito assensu revelationis suspendi potest assensus mysterij , quidquid sit an Abraham suspenderit : quia ad assensum mysterij movet existentia revelationis , quæ frequenter obscure proponitur : & consequenter cum maneat obscurum mysterium , non est cur intellectus sit necessitatus quoad exercitium ad illius assensum ; manet tamen necessitatus , quoad speciem , si bene advertat connexionem , quam habet revelatio cum mysterio.

58 Dices difficilius. Deitas ex terminis excludit omnem imperfectiōnem , et si genericē ; sed loqui falsum ex terminis est imperfectio : ergo Deitas ex terminis , seu formaliter excludit hanc imperfectionem. *Resp.* conces. mai. dist. min. loqui falsum est imperfectio ex terminis *Deitatis* , neg. min. ex terminis *loqui falsum* , quod formaliter opponitur veracitati , & sapientiæ , quæ ex terminis ipsarum sunt perfectiones , conced. min. & neg. conseq. quia hoc ipso , quod hæc imperfectio excludatur , & non ex terminis solius Deitatis ; sed requiratur na-

cessatio , quod appareat alia nova veritas , ut possim assentiri , non dari in Deo tale loqui falsum , aperte denotatur Deitatem formaliter sumptam non esse sufficientem , & illam novam veritatem esse exactam tanquam motivum , & non solum tanquam conditionem , ut appareret Deitas , quæ iam apparebat . Ad modum , quo attenta præcisè Deitate , sub hoc conceptu : *Dens habet omnem perfectionem sine imperfectione* , non possum assentiri , Deum habere iustitiam strictam ; sed vita requiritur non solum tanquam conditio , sed tanquam motivum , formaliter loquendo , hæc veritas , seu hæc minor : *Sericta iustitia est perfectio sine imperfectione* : ita similitè accidit in Deitate respectu locutionis falsæ .

59 Sicut propter eandem rationem , cum autoritas divina , in quo cumque consistat , solum de terminis conditionatè ad loquendum verè , scilicet si forte loquatur : autoritas non potest movere assensum absolutum circa veritatem absolutam testimonij , & ad hunc assensum absolutum requiritur tanquam pars motivi ipsum testimonium

nium. Similiter , hic conceptus : *Animal* , & solum animal est principium sensiendi , attingit omnia animalia , & excludit cætera : ex vi tamen huius conceptus solius , nescio , an attingat , vel excludat Cœlum: quia ex vi huius nescio , an Cœlum sit animal. Imò ex vi solius conceptus *animal* nescio , an attingat Petrum , Paulum , &c. Quia hoc scio per hunc conceptum: Petrus , Paulus : qui conceptus ostendit Petrum esse animal. Imò neque ex vi huius conceptus *animal* scio an attingam plura , vel vnum , an sit genus , vel species; an sit aptum ad essendum in multis , vel non , an sit universale , vel singulare: cum ab his omnibus præscindat , & hæc omnia aliundè sciantur per alios conceptus.

60 Instabis , quod formaliter excludit partem alicuius totius , formaliter excludit totum. Sed Deitas formaliter excludit imperfectionem genericè sumptam , & imperfectio est genus repertum in mendacio : ergo formaliter excludit mendacium. Resp. conc. mai. dist. min. Deitas formaliter excludit imperfectionem , quæ est genus repertum in re in mendacio , conc. min.

quoad

quoad nos attenta præcisè Deitatem,  
neg. min. vel clarus : & attenta præ-  
cisè Deitate apparet imperfectionem  
esse genus mendacijs , neg. min. & non  
apparet esse genus mendacijs , attenta  
præcisè Deitate , conc. min. & neg.  
conseq. Itaque quamvis Deitas forma-  
litèr excludat , quod in se est genus  
mendacijs ; cum tamen attenta præcisè  
Deitate , non apparet , an illud sit, vel  
non sit genus mendacijs : attenta præ-  
cisè Deitate , non habemus sufficiens  
fundamentum ad assentiendum esse ex-  
clusum genus mendacijs , neque menda-  
cium à Deitate. Ad modum quo casu  
quo iustitia stricta non detur in Deo ,  
Deus excludit formaliter imperfectio-  
nem, quæ esset genus iustitiae strictæ ;  
quia tamen attenta sola Deitate , non  
apparet imperfectionem esse genus iusti-  
tiae strictæ , sola Deitas non sufficit ad  
assentiendum , non dari in Deo iustitiam  
strictam. Et idem patet in exemplo po-  
sito animalis , & solius animalis : qui  
conceptus excludit differentiam , &  
speciem Celi , & ex vi illius concep-  
tus nescio , an excludatur. Et includit  
genus hominis , & equi , & ex vi illius  
conceptus animal , nescio an hæc in-

cludat : similiter accidit Deitati respectu locutionis falsæ.

61 Dices : ergo saltem si appareat tanquam conditio, *imperfectionem* esse genus mendacij, sola Deitas sufficiet ad assentiendum, non dari in Deo mendacium. *Resp.* neg. conseq. vel suppositum formaliter loquendo : quia quod se habet tanquam conditio obiectiva respectu Deitatis, solum se habet ut lux ad manifestandum Deitatem : cum ergo Deitas iam esset manifestata, & ipsa sufficeret ad assentiendum, hinc est quod illa nova veritas non se habet tanquam conditio, sed tanquam motivum. Vel aliter. Tunc sufficit sola Deitas formaliter talis, seu formaliter loquendo, neg. conseq. propter rationem iam datam. Sufficit sola Deitas realiter sumpta, seu *realiter* loquendo, conced. conseq. ( si forte non implicet in terminis sola Deitas realiter loquendo : cum sic dicat reliquias perfectiones ) quia iam Deitas apparebat connexa cum eo, quod loqueretur verum, & consequenter erat sufficiens ad movendum actum strictæ fidei, et si hæc notitia aliunde habetur, quam ex conceptu Deitatis. Sicut

cum

Cum video animal à longe, quin possim dicere esse rationale, nescio, an illa cognitionis animal attingat *rationale*, si tamen postea competiam, esse rationale, iam possum dicere illam cognitionem attingere rationale; non tamen hoc scio ex vi solius cognitionis animal, sed quia aliundè novi illud animal esse *rationale*.

62 Inferes, quod si oppositio cum falsitate proveniat ab extrinseco scilicet à decreto divino de eo quod Petrus non loquatur falsum: tunc non constituet autoritatem respectu Petri, quia infallibilitas locutionis non est perfectio intrinseca Petri adhuc per unionem: itaque testimonium Petri, esset sufficiens ad assensum firmum, & talis assensus prout ita firmus esset fidei latæ, quia est propter testimonium Petri, quod per accidens, & ab extrinseco est infallibile; non verò esset fidei strictæ, quia Petrus non est dignus, seu non habet perfectionem reddentem illum dignum assensu firmissimo. Inferves 2. Quod si unio hypostatica sit essentialiter opposita cum locutione falsa Christi (de quo non dispergo) erit authoritas realiter loquendo, quia sit perfectio intrinseca Christi reddent illum

filium dignum assensu firmissimo. Et si sit formaliter opposita cum locution falsa, erit formaliter authoritas properter eandem rationem. Inferes 3. Deitatem posse esse motivum partiale fideis coniunctam scilicet cum veracitate, & sapientia quamvis sit motivum reddundans, & ratio est, quia Deitas se sola formaliter excludit omnem imperfectionem: ergo cum ex veracitate, & sapientia constet, loqui falsum esse in perfectionem, ex Deitate, veracitate, & sapientia resultat totum formaliter oppositum cum loqui falsum: ad modum, quo ex genere animal ex se praescindente ab homine, & bruto, & differentia hominis resultat formaliter homo.

## SECTIO V.

*An veracitas connotando sapientiam, ana  
sapientia connotando veracitatem  
sit sufficiens authoritas?*

63     *S*up. i. D. Thom. & antiates primam veritatem in dicendo esse authoritatem, intellexisse, ut observas Sua-

Suarez, per primam veritatem in dicendo non solum veritatem, sed illam, & sapientiam. Sanè Div. Thom. hic quæst. 109. artic. 3. ad tertium satis insinuat veracitatem formaliter, & immediatè solum intendere conferre locutionem cum mente, non cum obiecto. Sic ait, *Essē veritatem iustitia...*  
*Et quacumque alia veritas, qua quis manifestat verbo, vel facto, quod cognoscit.*  
 Sup. 2. Veracitatem realiter sumptam esse autoritatem: quia habet conformare testimonium cum iudicio, & connectitur cum eo quod iudicium sit verum, siquidem identificatur cum sapientia: sed ut diximus quæst. præced. non in sensu formalis. Suppono 3.  
 Quæstionem non querere, an sapientia ingrediatur in recto, an in obliquo ad construendam autoritatem, quam quæstionem vocat Oviedo parvi momenti; sed an sola veritas absque alio constituto intrinseco sit sufficiens auctoritas.

64 Sup. 4. Veracitatem titulo infinitæ, & quia primum analogatum solum exigere habere in summo gradus id, quod pertinet ad lineam, & conceptum veritatis, non quod pertinet

ad illas lineas: ut patet in potentia, &  
sapientia Dei. Vnde cum de ratione  
veracitatis sit conformare testimoniu-  
mum cum mente; veritas Dei habet  
infinitam determinationem subiectivam  
ad conformandum testimonium cum mé-  
te quando loquatur; non vero habet  
formalem determinationem infinitam  
adæquatam ad conformandum testimo-  
nium cum re dicta, quia hoc non per-  
cinet ad lineam veracitatis: sicut iu-  
stitia ex eo, quod sit infinita non ha-  
bet infinitam determinationem adæ-  
quatam ad servandum illæsum ius al-  
terius in re. Et ratio est, quia vtra-  
que hæc virtus cum pertineat ad vo-  
luntatem solum intendit adæquate for-  
maliter, & per se perficere volunta-  
tem, non intellectum: cum ergo con-  
formare testimonium cum mente sic  
perfectio volutatis, & mentem esse ve-  
ram sit perfectio intellectus, hinc est  
quod veritas non intendit formaliter  
adæquate mentem esse veram.

65 Vnde maior perfectio est con-  
formare locutionem cum mente vera,  
quam solum cum mente, quia prima  
perfectio importat veracitatem, & sa-  
pientiam, & secunda solam veracita-  
tem.

tem ; quia tamen primum est inadæquatè extra sphæram veracitatis , non assertur formaliter adæquate à veritate. Sicut maior perfectio est omnia posse , & scire , quam præcisè omnia posse , & tamen omnipotentia quamvis infinita habet formaliter omnia posse , non vero omnia scire , quia hoc secundum est extra sphæram omnipotencie. Explieatur : veracitas formaliter adæquate solum intendit adstruere perfectionem moralem actualem ; quam mendacitas intendit destruere : & haec intendit disconformare locutionem cum mente , non quod mens sit falsa : ergo veracitas immediate intendit conformare locutionem cum mente , non quod mens sit vera.

66 His suppositis , Gaspar Hurt: cum D. Bonav. dicit sapientiam esse motivum connotando veritatem. Ferre quæst. 2. & Carmel. disp. 1. dub. 2. §. 2. Gonet , disp. 1. artic. 1. §. 2. dicunt : veritatem connotando sapientiam sufficere pro revelationibus assertorijs. Idque illustravit SS. M. Bayona , Suarez , disp. 3. sect. 4. num. 6. Oviedo controvers. 2. p. 2. &c. Communiter nostri dicunt non suffit

Sufficere solam veracitatem. Ripalda disp. 2. sect. 9. dicit, Veracitatem sufficere pro revelationibus actuum interiorum Dei. Esforcia, & Aunol. ultra veracitatem, & sapientiam requirunt aliud praedicatum, vi cuius Deus non possit permettere loqui sine tanta apparentia credibilitatis, quantam debet habere obligatus ad credendum. Munies. disp. 4. sect. 4. dicit sufficere solam Deitatem, sufficere solam sapientiam: & multo magis complexum, credimus enim, quia Deus infallibilis: ergo ex motivo authoritatis, & dicit quantum attinet ad rem, & substantiam fidei, dissidium non est tanti momenti, quantum ab aliquibus iudicatur. Hoc ultimum placet. Alij forte dicent, sufficere sapientiam, & sanctitatem. Nobiles alij AA. de quo infra dicunt, non sufficere veracitatem, & sapientiam. Sed ultra requiri sanctitatem, vel aliquid aequivalens sanctitati.

67 Censeo loquendum cum distinctione. Dico 1. Veritas sola est sufficiens authoritas mediata pro revelationibus assertorijs, seu veritas sola divina habet formaliter mediate connectere testimonium cum obiecto. Pro-

batur. Quod formaliter habet connectere testimonium cum iudicio, quod formaliter, & ex suis terminis est verum; formaliter mediate habet connectere testimonium cum iudicio vero. Sed veracitas formaliter habet connectere testimonium cum iudicio, quod formaliter, & ex suis terminis est verum: ergo veracitas formaliter habet connectere testimonium cum iudicio vero. Prob. min. quoad secundam partem. Veracitas formaliter mediate habet connectere testimonium cum iudicio divino. Sed iudicium divinum formaliter, & ex suis terminis est verum: ergo veracitas formaliter habet connectere testimonium cum iudicio vero. Aliter: veracitas, ut potest divina, formaliter habet conformare testimonium cum iudicio perfectissimo, quale est divinum. Sed iudicium perfectissimum ex suis terminis est verum: ergo veracitas saltem mediate habet conformare testimonium cum iudicio vero. Nunc sic: connexio formalis mediata cum veritate testimonij sufficit per nos ab constituedam autoritatem. Sed veracitas formaliter mediate connectitur cum veritate testimonij: ergo veritas suffi-

Sufficit ad constituendam authoritatem. Aliquis forte probaret sic: veracitas formaliter immediate habet connectere testimonium cum iudicio evidenti, quale est divinum. Sed iudicium evidens ex terminis est verum: ergo veracitas formaliter immediate habet connectere testimonium cum iudicio vero: verum existimo formaliter immediate solum habere conformare testimonium cum iudicio perfectissimo praescindendo ex terminis veracitatis ab eo, quod iudicium perfectissimum sit evidens. Explicatur probatio: Si Deitas formaliter radicaret, seu afferret veracitatem, & sapientiam, quae formaliter habent connectere testimonium cum iudicio vero Deitas formaliter mediate haberet connectere testimonium cum iudicio vero. Sed veracitas formaliter habet connectere testimonium cum iudicio vero, seu cum iudicio perfectissimo, quod formaliter habet esse verum: ergo veracitas formaliter habet connectere testimonium cum iudicio vero: contra hanc conclusionem nihil speciale occurrit. Sed forte procedit quaestio de perfectionibus, quae formaliter immediate connectunt testimonium cum obiecto.

## §. I.

68 Dicō 2. Veracitās non solum inclinat, & determinat adaequatē ad dicendum conformiter ad mentem; sed etiam determinat ( licet inadaequatē, ut dicemus ) ad dicendum verum in re. Prob. 1. Ad hominem contra aliquos ex dicentibus veracitatem, & sapientiam constituere autoritatem. Perfectiones constituentes autoritatem pro revelationibus assertorijs inclinant ad dicendum verum in re. Sed iuxta vos veracitas, & sapientia constituunt autoritatem pro revelationibus assertorijs: ergo veracitas saltem inadaequatē inclinat ad dicendum verum in re. Probat. min. Perfectiones connectentes testimonium cum obiecto in re, inclinant ad dicendum verum in re. Sed perfectiones constituentes autoritatē connectunt testimonium cum obiecto in re: ergo. Prob. mai. Quia nulla maior inclinatio ad aliquid, quam connexio metaphysica cum illo.

69 2. Qui intendit loqui conformiter ad mentem, & intendit, & procurat mentem esse veram, intendit los qui

qui verum in re. Sed ita se habet veracitas: ergo. Prob. min. quoad secundam partem. Qui procurat maturam considerare, quæ dicit, & dicere verosimilia post maturam considerationem, procurat mentem esse veram. Sed ita se habet veracitas: ergo. Prob. min. veraciter loquens hæc procurat: ergo veracitas hæc procurat. Anteced. plus constabit ex dicendis, & experientia constat.

70 3. Qui veraciter narrat aliquid, v. gr. dicit, vidisse Romam, non solam connatur, desiderat, & intendit dicere, se sentire, quod viderit Romanum; sed etiam quod in re viderit Romanum. Sed hic connatus, desiderium, & intentio oritur ex veracitate: ergo veracitas saltem inadæquate intendit dicere verum in re. Minor, quæ ex se videtur vera, constabit ex dicendis. Prob. mai. quæ etiam experientia cuiusvis videtur vera. Qui post maturam considerationem, veraciter dicit aliquid, quod postea reperitur in re falsum: communiter creditur, illum dixisse falsum contra proprium connatum, desiderium, & intentionem, sed non efficit contra proprium connatum,

desiderium, & intentionem; si solum intenderet dicere, quod sentiret; non verò verum in re; ergò. Prob. min. Non est contra proprium connatum, desiderium, & intentionem, quod non tollit proprium connatum esse expletum. Sed si solum intenderet dicere, quod sentiret, nempè verum in re, licet postea evaderet falsum, proprius connatus esset expletus, ut patet: ergò.

71. 4. Veracitas inclinat, & obligat ad mature considerandum, quæ dicit, & ad dicendum verosimilia. Sed hæc inclinatio, & obligatio ideo est: quia matura consideratio sæpius attingit veritatem in re, quam immatura: & quia verosimilis magis accedit ad verum in re: ergo veracitas inclinat ad dicendum verum in re. Prob. min.

ix. Quia si dictum postea evadat in re falsum, dicitur evenisse contra propriam intentionem, & inclinationem: ergo ideo inclinat ad mature considerandum, & ad dicendum verosimilius, &c. 2.

Ad loquendum conformiter ad mentem, nulla consideratio requiritur veritatis obiecti in re, & inutilis est ad hunc finem talis consideratio. Sed in veraciter loquente, & requiritur,

&amp;

& non est inutilis talis consideratio: ergo veraciter loquens non solum intendit dicere conformiter ad mentem; sed etiam dicere verum in re. Maior est certa: quia formato primo iudicio quomodocumque, diceret conformiter ad mentem.

72 Confirm. Magis verax est, qui ante locutionem mature considerat dicenda, quam qui non considerat. Sed hoc esset falsum, si veracitas solum inclinaret ad dicendum conformiter ad mentem: ergo. Prob. min. Si veracitas solum inclinaret ad loquendum conformiter ad mentem, data æquali conformitate locutionis cum mente, daretur æqualis veracitas. Sed in non considerante daretur æqualis conformitas locutionis cum mente, ac in mature consideranti, si uterque loquatur iuxta mentem: ergo non est magis verax, qui mature considerat.

73 5. Si veracitas non inclinaret ad dicendum verum in re, sed solum in mente, nec iustitia inclinaret ad reddendum debitum in re, sed solum in mente: nec temperantia inclinaret ad parcitatem, & moderationem in res, sed solum in mente: & sic de alijs virtutibus.

rutibus voluntatis. Sed hoc est falsum: ergo. Minor patet: quia alias Iudices non tenerentur ad inquirendum diligenter, & mature considerandum, cui in re deberetur fundus, vt ferrent sententiam, & similiter temperatus non teneretur ad iovestigandum, quæ alimenta sufficerent, quæ nocerent: quia cum primo iudicio habebat, quod sufficit, vt esset temperatus iuxta mentem. Maior autem prob. Ideò primum est verum, quia veracitas cum sit virtus voluntatis intendit perficere voluntatem medio iudicio, quin ad ipsam pertineat, quod iudicium sit verum: quia discernere hoc pertinet ad virtutem intellectus. Sed aliæ virtutes sunt similiter virtutes voluntatis: ergo nee iustitia, &c. Vel ab opposito: istæ virtutes inclinant ad reddendum debitum in re: ad moderationem in re, quamvis sint virtutes voluntatis: ergo licet veracitas sit virtus voluntatis, inclinabit ad dicendum verum in re.

74 Dico 3. Veracitas solum inclinat immediatè inadæquatè ad dicendum verum in re. Prob. Perfectio, quæ solum inclinat ad dicendum verum in re medio iudicio, & non habet à se iude-

Sicutum esse verum, solum inclinat im-  
 mediatè inadæquatè ad dicendum ve-  
 rum in re. Sed veracitas solum incli-  
 nat ad dicendum verum in re medio iu-  
 dicio, & non habet à se, nec per se iu-  
 dicium esse verum: ergò. Minor pater,  
 quia iudicium esse verum provenit à sa-  
 pientia. Prob. mai. Quia Artifex in-  
 tendit scissionem media ferra, & regu-  
 la, si nec habet ferram, nec regulam  
 rectam, per se loquendo, non faciet  
 scissionem rectam: quia iustitia in-  
 tendit reddere vnicuique debitum me-  
 dio iudicio, si non habet à se iudicium  
 esse verum: iustitia solum inclinat im-  
 mediatè inadæquatè ad reddendum  
 vnicuique debitum: quia temperantia  
 solum inclinat ad moderationem me-  
 dio iudicio, & non habet à se iudicium  
 esse verum, solum inclinat immediatè  
 inadæquatè ad moderationem in re: er-  
 gò perfectio, quæ solum inclinat ad  
 dicendum verum in re medio iudicio,  
 & non habet à se iudicium esse verum,  
 solum inclinat immediatè inadæquatè  
 ad dicendum verum in re. Et ratio ho-  
 rum est: Quia virtus pertinens ad vo-  
 luntatem solum habet adæquatè ea, quæ  
 pertinent ad voluntatem; & inadæqua-  
 tè

re ea , quæ pertinent simul ad aliam li-  
neam , vel ad complexum duplicitis per-  
fectionis , voluntatis , & intellectus .  
Sed ad voluntatem solam pertinet lo-  
qui , reddere vnicuique debitum , serva-  
re moderationem secundum mentem ;  
& ad voluntatem simul cum intellectu  
pertinet locutionem esse in re veram ;  
redditionem esse debiti in re , modera-  
tionem esse talem in re : ergo veracitas  
et si summa , solum habet inclinare , &  
necessitare conditionatè adæquate ad  
loquendum iuxta mentem ; & inadæ-  
quate ad loquendum verum in re : quia  
loqui verum in re , pertinet ad com-  
plexum ex veritate , & sapientia .

75 Confirm . Veracitas titulo sum-  
mæ , formaliter loquendo , solum debet  
habere in summo gradu id . quod vera-  
citas limitata habet formaliter in gra-  
du limitato . Sed veracitas creata , for-  
maliter loquendo , solum habet adæ-  
quate in gradu limitato cōformare te-  
stimonium cum iudicio ; & inadæquate  
habet in gradu limitato , testimonium  
esse verum : ergo . Minor communiter  
conceditur : quia in humanis non mi-  
nus negamus , seu tam non damus fidem  
dictis ab homine insipienti , quam à mē-  
daci .

daci. Confirm. 2. Si veracitas adæquatè inclinaret, & necessitaret ad dicendum verum in re, sapientia non esset motivum fidei, & consequenter fides nostra non revocaretur in sapientiam. Sed fides nostra revocatur in sapientiam: ergo. Minor patens in fide humana, & exinde arguitivè in divina præter immediatè dicta. Prob. ex 1. ad Corinth. 2. Loquimur non in doctis humana sapientia verbis; sed in doctrina spiritus. Et ibi cap. 14. Quid vobis prodero, nisi vobis loquar in revelatione, aut scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Ideo Dionysius de Divin. Nomin. cap. 7. dicit: Fidem esse circa veritatem Dei, ut liquidam, & nunquam aberrantem scientiam.

76 Obijc. 1. Ideo veracitas creata non reddet testimonium verum in re, quia inclinat ad dicendum verum defectibilitè. Sed veracitas divinae non inclinat ad dicendum verum in re defectibilitè; sed indefectibilitè: ergo &c., &c. Conces. mai. dist. min. Vera vas divina non inclinat ad dicendum verum in re defectibilitè; sed indefectibilitè intra propriam lineam, concedo min. id est, intra lineam voluntatis;

extra propriam lineam, subdist. partim  
immediate, partim mediate, conc. min.  
adæquate immediate, neg. min. & con-  
seq. Itaque veracitas inclinat, & neces-  
sitat adæquate, ad dicendum verum in-  
tra lineam voluntatis, quæ est propria  
veracitatis: quia necessitat ad confor-  
mandum testimonium cum mente, &  
partim immediate, partim mediate in-  
clinat ad dicendum verum in re indefe-  
cibilitèr, & infrustrabilitèr, & infalli-  
bilitèr, ut diximus conclusione prima  
(quod dicere est inadæquatè extra  
sphæram veracitatis: quia veracitas non  
est discretiva veri) inclinat etiam im-  
mediate ad dicendum verum in re in-  
defectibilitèr, infrustrabilitèr, & infal-  
libilitèr, quia inclinat ad locutionem  
divinam, quæ re vera talis est; sed in-  
clinat inadæquatè, & quantum ad ip-  
sam attinet, formaliter permittens, &  
præscindens ab his, quæ ad aliam per-  
fectionem attinent; quia inclinatio adæ-  
quata immediata resultat ex veracita-  
te, & sapientia, cum inclinet ad dicen-  
dum medio iudicio: & donec intelligi-  
tur sapientia, non intelligitur imme-  
diatè determinatio adæquata ad dicen-  
dum verū: quia et si esset summè verax,  
si per

Si per accidens erraret, vel apprehenderetur errare; vel saltem non cognosceretur non posse errare, non diceret verum, vel saltem non mereretur, quod firmiter crederemus res, *quia dictas ab ipso: & consequenter si non apprehendatur, non posse errare, non cognoscitur determinatus ad dicendum verum in re; ut suo modo contingit in veracibus in humanis, & patet exemplo Artificis, & Iudicis valde iusti.*

77 Insistens: Veracitas divina, *quia est summa, & indefectibilis, exigit formaliter exigentia infrustrabili cognitionem esse veram: ergo sola veracitas sufficit ad credendum testimonium esse vernm.* Ad argumentum missum R.R. Thomistas sic arguentes dicere, Deitatem formaliter esse radicem veracitatis, & sapientiae infallibilizantium testimonium, & nihilominus negant Deitatem esse autoritatem sufficientem, quia non connectit formaliter immediate testimonium cum obiecto, ex qua doctrina similis solutio dari posset. Sed verius resp. neg. ant. quia ipsa ex conceptu veracitatis divinæ solum petit, & infra formaliter conformare testimonium cum iudicio divino perfectissimo: iudicium

vero

verò divinum, non ex conceptu verae citatis; sed ex conceptu sapientiae, & ex conceptu iudicij perfectioris habet esse verum, ut diximus cōclusione prima, & infra dicemus, sicut Deitas titulo talis formaliter habet afferre omnem perfectionem; non tamen habet formaliter afferre iustitiam strictam, nec veritatem, nec sapientiam: quia haec non sunt perfectiones simpliciter simplices ex præciso conceptu Deitatis; sed hoc aliundē probandum est.

78 Infistunt: Licet veracitas divina non afferret formaliter iudicium regulans esse verum; saltem titulo summæ, & indefectibilis veritatis formaliter habebit, non loqui nisi quod fuerit verum: ergo veracitas sola sufficiet ad credendum. Prob. ant. Quia veracitas casu, quo intellectus divinus esset fallibilis tunc solum inclinaret ad loquendum, quod esset verum: quia solum inclinat ad loquendum verum in re. Ad argumētum certum est, quod veritas divina realiter habet, & necessitat ad loquendum verum in re; & solum est dubium, an id habeat formaliter immediatè, ex solo conceptu veritatis; an ex hoc solo conceptu permittat negativè,

scilicet

Seu præscindat ab id habere, quæ omnia idem significant? Ad modum quo *animal* sub hoc conceptu præscindit ab esse multiplicabile; & permittit negativè, non esse multiplicabile. *Resp.* neg. ant. attenta sola veracitate. Ad prob. dist. ant. solum inclinaret inadæquate immediate ad loquendum, quod est verum, conc. ant. adæquate immediate, neg. ant. Quia veritas adæquate immediate solum determinat ad conformandum testimonium cum iudicio: ut accidit in iustitia, & temperantia, & in virtutibus voluntatis etiam divinis; cù ergo determinet ad dicendum verum medio iudicio, & iudicium habeat esse verum à sapientia: à veritate, & sapientia resultat immediata determinatio adæquata ad dicendum verum in re. Mitto instantiam numeri superioris, quæ ipsis posset fieri in Deitate; ex qua sequitur, veritatem divinam non esse adæquate; sed solum inadæquate immediate summatam veritatem in dicendo.

79 Infinitunt: Si nobis constaret, hominem ex decreto Dei, vel aliundè esse incapacem loquendi falsum, sine dubio crederemus, quæ diceret. Sed veritas Dei est incapax loquendi falsum: quia

quia chymæra est , quod loquatur falsum : & à se habet , quod non sit talis chymæra : quia ex se inclinat ad loquendum verum , cum inclinet ad loquendum iuxta mentem divinam , cui repugnat non esse verum : ergo . *Resp.* conc. mai. dist. min. Veracitas Dei realiter loquendo est incapax loquendi falsum , conc. min. formaliter , subdist. partim immediate , partim mediate , conced. min. iuxta dicta conclusione prima ; adæquate immediate , neg. min. Quia licet ipsa immediate inclinet ad loquendum verum , cum solum inclinet inadæquate , & medio iudicio , ex se permittit negativè , seu ex se non ostendit locutionem esse veracem : quia non ex se , nec ex suo conceptu ostendit iudicium esse verum . Solutio constat ex dictis .

80 Obijc. 2. Veracitas habet conformare testimonium cum iudicio divino , iudicio perfectissimo , iudicio evidenti . Sed iudicium perfectissimum divinum est evidens ex suis terminis , & formaliter est verum : ergo veracitas formaliter habet conformare testimonium cum iudicio vero . Hoc argumentum sane probat veracitatem realiter sumpe

sumptam esse autoritatem ; & formaliter sumptam connectere mediatè testimoniū cum iudicio vero, non vera immediate. *Resp. conc. mai.* quoad primam, & secundam partem , & permissa quoad tertiam propter rationem luprā determinatam , dist. min. iudicium i-  
vinum perfectissimum , est evidens , &  
verum ex terminis talis iudicij , conc.  
min. ex terminis veracitatis , neg. min.  
& conseq. sicut Deitas assert formaliter  
omnem perfectionem , & loqui verum ,  
est perfectio ex proprijs terminis , quia  
tamen hoc non est perfectio ex termi-  
nis Deitatis , ideo dicimus , Deitatem  
non afferre formaliter immediate loquā  
verum. Vnde quamvis in Deo datur  
perfectio simplex , quæ conformat te-  
stimoniū cum iudicio , & perfectio  
simplex , quæ conformat iudicium cum  
objeto , non est assignanda perfectio  
simplex , quæ conformet testimonium  
cum objeto , quia hoc est munus du-  
plicis perfectionis , veracitatis , & sa-  
pientiae , & non est perfectio simplex in  
Deo habens hoc duplex munus.

81 Obijc. 3. Authoritas , ut au-  
diens credat , est perfectio illa , quæ con-  
venit loquenti in ordine ad audientem .

Sed veracitas tantum est ; quæ convenit Deo in ordine ad audientem , quia ordinatur , ne audiens decipiatur dictis ; sapientia verò convenit Deo in ordine ad se : ergo sola veracitas est authoritas . *Resp.* dist. mai. Authoritas est perfectio illa , quæ convenit loquenti in ordine ad audientem , primario ratione sui , vel secundario ratione alterius , conc. mai. Quæ determinatè convenit primario , neg. mai. & dist. min. quoad secundam partem : sapientia solum convenit Deo in ordine ad se primario , conc. min. secundario , & ratione alterius , neg. min. quia cum ipsa constitutat per iudicium potestatem proximam loquendi , quæ hoc ipso dicit ordinem intrinsecum , id est , intrinsecam capacitatem , ut per veritatem ordinetur ad audientem , hinc sapientia convenit Deo secundario in ordine ad audientem : hoc est , munus eius primarium , & ab ipsa primario intentum est , facere Deum scientem , ut sciat ; & secundario ut sciat , quid loquatur , si loqui velit : sapientia igitur dicit ordinem in actu primo ad loquentem , & ratione veracitatis dicit ordinem in actu secundo , seu à veritate ordinata.

tur in actu secundo ad audientem,

82 Ooijc. 4. Veracitas intendit testimonium verum , primo quia alias testimonium verum esset præter suam intentionem. Secundo, quia intendit testimonium obiecti ; quod iudicat , & non potest iudicare , quod non apparet ut verum. *Resp.* distinguendo assumptum : veracitas intendit testimonium verum , & formaliter immediatè infert esse verum : neg. & non infert conc. Et hinc patet ad reliqua : vel aliter infert testimonium verum , quod tale sit in existimatione conc. quod sit in re, subdist. Et habet formaliter à se esse verum in re , neg. & habet à sapientia conc. *Explicatur* : iustitia Dei intendit servare illæsum ius alterius , & intendit conformare sententiam cum iudicio divino de iure alterius ; & tamen ipsa formaliter adæquatè solum petit servare illæsum ius secundum existimationem ; & quamvis intendat servare illæsum ius in re , ita servare , non habet à se sola , sed à se simul cum sapientia : idem igitur dicendum de veritate exigente conformare testimonium cum iudicio divino , & intendente testimonium verum in re , verum

Sapientia requiritur non tanquam connotatum, seu conditio obiectiva ostendens veracitatem, quæ iam apparebat, sed tanquam nova veritas constituens authoritatem.

83 Obijc. 5. Saltem veracitas sola constituet sufficienter autoritatem immediatam ad essentiendum huic revelationi, *Ego sum verax*: quia veracitas connectit testimonium cum iudicio vero. Si dicas, non connectere testimonium cum iudicio vero per modum authoritatis; sed solum materia literè, & per modum obiecti dicti? Contra: veracitas quatenus veracitas est, est authoritas, sed quatenus veracitas connectit testimonium cum veritate huius iudicij, *Ego sum verax*. Ergo & quatenus authoritas. Si dicas illud connectere quatenus est obiectum; non quatenus se tenet ex parte subiecti, subiectivè determinando ad loquendum vere: Contra, veracitas ut subiectivè determinans connectit cum iudicio vero hoc testimonium, *Ego sum veracitas subiectivè determinans ad loquendum veraciter*: quia ipsa forma liter talis est. Resp. Veracitatem non movere ad hunc assensum per modum

Authoritatis: quia quod per modum authoritatis movet, movet ad assensum præscindendo ab eo, quod dicat hoc, vel illud: dum enim assentimur propter alterius authoritatem, ipsum honoramus amplectendo eius autoritatem tanquam determinatam ad loquendum verè, sive dicat hoc, sive illud, non verò assentimur, quia de facto dicit verum: neque quia in ordine ad hoc est determinatus ad loquendum verum: quia rectè componitur de facto dicens verum, & in ordine ad aliquid esse determinatum ad dicendum verum, quin sit subiectum authoritatis, dignum respectu, seu dignum fide, ut patet in dœmone de facto dicente se esse dœmonem, qui verum dicit, sed non est fidelis.

84 Sed quia hi termini sunt obscuri. Clarius resp. dist. antec. Ad assentiendum huic revelationi, quia Deus debet iudicare, quod dicit, concant. huic veritati, & revelationi, quia dictæ à Deo, neg. ant. Ad prob. concant. neg. conseq. Itaque dico: veracitatem non constituere sufficientem authoritatem quamvis connectit testimoniū cum illo iudicio verò, Ego

*S*um verax : quia non connectitur testimoniū cum iudicio verò , seu cum obiecto , *quia dicto à Deo*; sed quia Deus debet iudicare , quod dicit : idēque non sufficit ad assentiendum , Deum esse veracem , *quia hac veritas est dicta* ; sed quia Deus debet iudicare , quod dicit . Et ratio est : quia si connecteret testimonium cum obiecto , *quia dicto* , ubique reperiretur hæc ratio *dicti* connecteret testimonium cum obiecto ; sic tamen non connectere testimonium cum omni dicto , patet ex dictis : ergo solum connectit testimonium cum illo obiecto , *quia debet indicare, quod dicit* , & dicit se esse veracem . Itaque autoritas , seu veracitas , utcumque eam reduplices , duplicitè attingitur per actum *Ego sum verax* , & tanquam obiectum materiale , & tanquam formale , ut obiectum formale solum movet ad cognoscendum Deum iudicare se esse veracem ; non verò ad cognoscendum , quod iudicia Dei sint vera ; vel de facto per accidens reddat iudicium verum ; cum veracitas sit obiectum dictum . Adde similièr probari posse Deitatem , omnipotentiam , &c. esse authoritatem respectu huius testimoniij,

inij, *Ego sum Deus, ego sum omnipotens*  
quia connectit testimonium cū obiecto.

35 Obijc. 6. Ripalda. Veracitas  
Iola connectit testimonium cum verita-  
te huius revelationis : *Ego scio diem iu-  
dicij* : quia connectit testimonium cum  
iudicio ; & cum iudicium sit scientia de  
die iudicij ; hinc est , quod connectit  
testimonialium cum veritate revelationis.  
Idem proponit in his revelationibus,  
*Propono punire peccata.* Promitto remu-  
nerare merita : quia veracitas connectie  
propositum externum cum decreto in-  
terno, & promissionem externam cum  
voluntate interna. Sed, quia in his non  
apparet tam aperte connexio, propono  
solum, primum de scientia diei iudicij.  
Ut respondeam , suppono : vt Deus re-  
velet aliquid, habet cognitionem illius,  
quod revelat, quodcumque illud sit, ne  
imprudenter revelet : vnde si revelat  
determinatam cognitionem , habet ex  
parte potestatis cognitionē illius cog-  
nitionis , & munus veracitatis est con-  
formare testimonium cum cognitione  
se tenente ex parte potestatis. *Resp.* er-  
go , neg. mai. Ad prob. dist. mai. Ve-  
racitas connectit testimonium cum iu-  
dicio reflexo , conc. mai. cum iudicio

*directo de die iudicij, neg. mai.* Et cum hoc iudicium *directum* esset obiectum revelatum, hic est, quod non connectit testimonium cum obiecto revelato. Quod autem munus veracitatis solum sit connectere testimonium cum iudicio reflexo, inde patet: quia eius munus est connectere testimonium cum iudicio dirigente ad loquendum: quia sic veraciter loquetur.

86 Instabis: Saltem per hanc revelationem, *Ego habeo aliquam cognitionem*, revelare potest formaliter cognitionem reflexam: Nunc sic. Sola veritas sufficit ad credendum, Deum habere aliquam cognitionem: quia sola veritas connectit testimonium cum cognitione reflexa, quae est aliqua cognitio. Resp. Veritatem solam sufficere ad assentiendum, Deum habere aliquam cognitionem; non vero ad credendum. Ad prob. dist. Sola veritas connectit testimonium cum cognitione reflexa, *quia dicta à Deo, neg. mai, quia Deus debet indicare, quod dicit, conc.* Hæc solutio explicanda est modo, quo suprà diximus de revelatione veracitatis. SS. MM. respondent, hanc veritatem: *Ego habeo aliquam cognitionem,* posse

posse credi ex vi solius veracitatis , ut  
quo , & ex parte motivi; non vero , ut  
quod , & quia revelatum. Hæc solutio  
in idem recidit , ac data; sed forte non  
est tam clara.

## §. II.

87 Dico 4 Non sufficit sola sa-  
pientia connotando veritatem pro  
revelationibus assertorijs. Est contra P.  
Valenc. Petr. Hurtado , & paucos alios.  
*Prob. primò:* quia ex dictis non sufficit  
sola veritas : ergo multo minus sola  
sapientia. *Secundò:* quia indignus est fi-  
de , qui communiter fallit ; licet nun-  
quam fallatur : saltem in humanis ita  
accidit Sed sapientia , et si infinita , ex suā  
concep̄tu permituit , saltem *negativè* , fal-  
lere : quia ipsa *formaliter* non infert de-  
terminationem ad non fallendum ; sed  
ab ea præscindit , sicut præscindit ad-  
huc Deitas : ergo summa sapientia non  
redit *formaliter* subiectum dignum fi-  
de. *Confirm.* Perfectio , quæ *formaliter*  
neque connectit , neque affirmat con-  
nectere testimonium cum objecto , non  
est sufficiens autoritas. Sed sapientia  
non ita connectit : quia *formaliter* so-  
lum habet connectere iudicium cum  
obis .

objecto ; non vero connectere testimoniū cum iudicio : siquidem permittit , aliter ac iudicat , testificari : ergo non est sufficiens authoritas. 3. Quia Scriptura s̄pē revocat nostram fidem ad veracitatem , ut vidimus suprà : quæ verba non est cur solum significant cōducentiam , & non necessitatem veracitatis , aut solum necessitatem conditionis obiectivæ ostendentis sapientiam , seu connotati : cum non possit constare , testimonium esse conformatiōnem cum iudicio , nisi ratione veracitatis determinantis formaliter ad conformandum testimonium cum iudicio.

88 Obje. 1. Munies. Implicat velle mentiri , & posse mentiri absque cognitione de aliqua bonitate in mentiendo : cum omnis peccans sit ignorans ; & absque iudicio indifferenti . Sed sapientiæ Dei titulo talis repugnat cognitione de aliqua bonitate in mentiendo , ignorantia , & iudicium indifferentis requisita ad mentiendum : ergo . Prob. min. Visioni Dei titulo talis hæc repugnant ; quia videnti Deum non solum titulo sanctitatis ; sed titulo visionis repugnat mendacium : cum titulo visionis necessitetur ad amorem Dei pugnantem cum

ēum peccato. Sed Deus plūs habet ratione sapientiæ , quam Beatus ratione visionis: ergo. Argumentum probat, sapientiam formaliter excludere à Deo omne peccatum : vt patet ex forma arguendi. *Resp.* perm. mai. nego min. Attenta sola sapientia : quia attenta sola sapientia nescimus , an mendacium sit malum; sed hoc aliundè constat, vel ex terminis mendacijs, vel ex veracitate. Ad prob. Visioni hæc repugnant realiter loquendo ; non formaliter : quia amor pugnat cum mendacio , non ex solo conceptu amoris formaliter ; sed quia aliundè novimus , mendacium esse malum: vt diximus de Deitate.

89 Obijc. 2. Implicit , iudicium de Incarnatione esse verum , quin sit verum testimonium de Incarnatione. Sed sola sapientia formaliter habet reddere verum iudicium de Incarnatione: ergo & testimonium : & consequenter sufficiet ad autoritatē. *Resp.* dist. mai. & id, quod formaliter determinat, vt iudicium de Incarnatione sit verum , determinat, vt testificet idem, ac iudicat, nego mai. & non determinat ; sed formaliter permittit oppositum testificari, conc. mai. Et eodem modo dist. min.

nego

Nego conseq. quia authoritas *formaliter* debet habere conformare testimonium cum obiecto, & non permittere oppositum. Dices : Saltem, si mihi utrumque constaret, Deum iudicare Incarnationem, & testari Incarnationem, tunc sola sapientia potest movere fidem simul cum testimonio : quia iudicium illud connectebatur cum eo, quod testimonium esset verum : & utique possem sic assentiri: Credo dari Incarnationem: quia Deus iudicans infallibiliter Incarnationem dicit dari Incarnationem, qui actus, ut potè habens motivum divinum, & ad nullam aliam virtutem pertinens, esset fidei.

90 Resp. dist. ant. Posset movere realiter fidem, conc. ant. posset movere formaliter fidem, neg. anic. Ad prob. dist. Iudicium illud connectebatur realiter, & materialiter cum eo, quod testimonium esset verum, conc. connectebatur formaliter ex conceptu iudicij divini, neg. Itaque ille actus esset assensus fidei propter rationem argumenti: imò & actus credendi; sed hoc solum probat, sapientiam in actu primo, & in actu secundo, seu iudicium realiter sumptum, esse autoritatem; non vero

Verò formaliter, prout communiter accipitur authoritas. Et ratio est: quia quod formaliter est authoritas, nunquam permittit, aliter loqui, ac iudicatur: cum ergo iudicium de Incarnatione ex se permittat, aliter loqui, ac iudicatur: hinc est, quod iudicium illud non est formaliter authoritas, & consequenter actus ille nō esset formaliter actus credendi, quatenus non moveretur ex motivo fidei formaliter tali; quidquid sit, an in alio sensu sit formaliter actus credendi. *Explicatur*: Nullum subiectum est fidedignum præcisè, quia scitur de facto loqui verum; alias summè mendax, & diabolus, quem sciremus, de facto loqui verum, esset fidedignus. Ut sit ergo fidedignus, requiritur, quod sit determinatus ad dicendum verum: cum ergo iudicare verè permittat non loqui verum; hinc est, quod illud iudicium nō constituit formaliter autoritatem. 2. Authoritas reddit subiectum apretiabile, & venerabile; quod autem de facto loquatur verum, componi potest cum eo, quod subiectum sit despicibile: ut patet in mendace, & dæmonie, qui de facto loquuntur verum:

rum : ergo , vt sit fidedignus , non sufficit, de facto loqui verum.

91 Obijc. 3. Palanco. In primis veracitas , & sapientia non sunt simul motivum fidei ita , vt vna moveat ratione alterius : quia si sapientia movet ratione veracitatis , sola veracitas erit motivum ; & sapientia erit obiectum materiale ; sicut hac ratione Deus est motivum fidei ; sed quia non movet fidem ratione Deitatis ; sed ratione alterius perfectionis, Deitas non est motivum fidei ; sed solum est obiectum materiale. Deinde veracitas , & sapientia non movent *immediate* fidem , vtraque ratione sui. Probat. Si vtraque *immediate* ratione sui moverent fidem , non esset unicum per se motivum fidei; sed per se duo , & vnum per accidens. Sed hoc nequit dici : quia alias fides utpote habens duas rationes per se diversas , licet per accidens vna , non esset vna virtus per se *specifica*; sed duæ , & vna per accidens , & *integraliter*: ergo. Prob. sequela. Quando ex duabus neutrum est alteri ratio essendi; sed quodvis est ratione sui , non est vnum per se ; sed vnum per accidens : ut pa-

get in duabus formis, & duabus existentijs. Vbi duo principia immediate agunt, ita ut neutrum sit alteri ratio agendi, non faciunt unum principium per se operationis: ergo vbi duo motiva immediate movent ita, ut neutrum sit alteri ratio movendi, non possunt facere unum motivum per se; sed unum per accidens.

92 *Confirm.* Quod est adequate nobis occultum, non potest adhuc partialiter movere fidem. Sed summa sapientia Dei est adequate nobis occulta: ergo. Prob. mai. Quia motivum fidei est ratio manifestans res credendas, & quod est adequate occultum non potest esse ratio manifestans res credendas; vt patet. 2. Motivum fidei debet esse de linea veri: quia constituit veritatem in dicendo. Sed veracitas non est de linea veri; quia tota est de linea affectiva; & constituit Deum bonum; non verum: ergo. 3. Motivum fidei est veracitas in dicendo. Sed veracitas imperat, & sapientia dirigit, & habent pro obiecto testimonium in re verum, quod est veritas in dicendo: ergo non est motivum. Prob. conf. Quia actus in peratus distinguitur à virtute imperantis: & obiectum

iectum virtutis distinguitur à virtutē

93    Resp. dist. mai. Ita ut una non moveat in actu secundo ratione alterius, neg. mai. in actu primo, subdist. vt non moveat in actu primo inadæquate ratione alterius, conc. mai. vt non moveat in actu primo adæquate ratione alterius, neg. suppositum. Dum enim concurrunt duæ causæ partiales, quævis est ratio inadæquate, vt altera producat in actu secundo; non vt altera producat in actu primo remoto, vt patet exemplo portantium lapidem, intellectus, & phantasmatis, & alijs: quia quævis habet à se vim partiale pro-ducendi, & ex utraque resultat vis to-talis, quæ est unum per se in ordine ad producendum, & movendum fidem: quia per se pendet fides ab hoc toto; quidquid sit, an in ordine ad essendum sit unum per se, vel per accidens. Motivum inadæquatum fidei est multiplex; motivum adæquatum est moraliter unum compactum ex inadæquatibus: quia est authoritas inferens testimonium esse verum, & testimonium formaliter verum. Indò cum ipse dicat, so-lam revelationem esse motivum; & sint plures, & diversæ revelationes, ipse dabis

dabit etiam plura motiva. *Ad conf.*  
*Perm. mai. falsa*, vt probatur, etiam  
 apud ipsum: quia revelatio est minus  
 nota, quam sapientia Dei, & movet  
 iuxta ipsum. *Neg. min.* Quia se ipso  
 est notum, Deum esse summè sapien-  
 tem. De his latè, loquendo de moti-  
 vo assensus revelationis. *Ad 2.* Mo-  
 tivum debet esse de linea veri in dicen-  
 do, & tale est, quod determinat simul  
*inadæquate* ad dicendum verum: alias  
*eadem* ratione nec determinaret ad di-  
 cendum verum iuxta mentem. *Ad 3.*  
 Imperat locutionem *formaliter* veram,  
 à se, & ab obiecto, quæ est in actu se-  
 cundo veritas in dicendo; seu est actus  
 secundus veritatis in dicendo. Veraci-  
 tas, & sapientia sunt perfectiones de-  
 terminantes ad ita loquendum & sunt  
 veritas in dicendo *illativè*, & *determi-  
 nativè*, & ideo sunt motivum formale  
 fidei: quia sunt connexæ cum eo, quod  
 testimonium sit verum: & veritas in  
 dicendo secundum quod dicit ex parte  
 actus primi, & secundum quod dicit lo-  
 cutionem in actu secundo, est motivum  
 adæquatum credendi, ut diximus sect. 2.

94 Obijc. 4. Esforc. & Hatnol.  
 Ex 1. Ioann. 5. Infidelis non credens  
*De Fide. I.* H menz

*mendacem facit Deum.* Sed non ficeret, nisi ultra veritatem, & sapientiam non adderet prædicatum, vi cuius non posset permittere Deum loqui sine tanta apparentia, quantam debet habere ab obligato ad credendum: ergo. Prob. min. Non credentes peccando, non sunt ita blasphemati, ut negent sapientiam, aut veritatem: & ideo peccant, quia iudicant, locutionem his signis propositam non esse locutionem Dei. Sed sic peccantes negant aliquod prædicatum essentiale authoritatis loquenter, & non est aliud præter assignatum: ergo. Prob. min. Nemo facit Deum mendacem peccando, nisi negando Dei autoritatem. Sed non negatur autoritas Dei, nisi negando prædicatum essentiale authoritatis: ergo.

95 Argumentum videtur supponere, Deum non posse permettere, quod à Parocho proponatur credibile mysterium falsum: & quod nullus hæreticorum sit inculpabilis in non credendis singulis mysterijs nostræ fidei, quod durum videtur. Resp. Dist. mai. *Mendacem facit Deum inerpretabilè, conc. mai. verè & realiter, neg. mai.*

mai. & min. Ad prob. dist. mai. **V**e  
neget verè, & realiter veracitatem, aut  
sapientiam, conc. mai. vt neget inter-  
pretativè neg. mai. & conc. min. quoad  
primam partem, denegare *interpretati-*  
*vè*, nego quoad 2. Ad prob. dist. mai.  
Nisi negando verè, & realiter, aut in-  
terpretativè, conc. determinatè verè, &  
realiter, nego, & dist. min. nego con-  
seq. Itaque peccans non credendo, fa-  
cit Deum mendacem *interpretativè*, &  
*virtualiter*, seu ut explicat Salmeron:  
*Quatenus est ex natura actus, reddit ar-*  
*restantem mendacem actu, vel potentia.*  
Quia cum mysterium proponatur evi-  
denter credibile, seu cum proponatur  
evidenter moraliter illam locutionem  
esse Dei, negans peccando mysterium,  
aut non tam iudicatur negare revelatio-  
nem adeò evidenter propositam, quam  
authoritatem dicentis, aut *interpreta-*  
*tivè*, & *virtualiter* censetur negare au-  
thoritatem dicentis, & veracitatem, aut  
sapientiam.

96 Dico 5. Sapientia in actu se-  
cundo, scilicet iudicium de Incarnatio-  
ne, & veracitas in actu secundo, scili-  
cet decretum de revelanda Incarnatio-  
ne, quamvis realiter loquendo sive

uthoritas sufficiens, & assensus nittens  
 in illis esset strictæ fidei; imò quamvis  
 formaliter connectant testimonium cum  
 obiecto, non sunt authoritas ea ratio-  
 ne, qua communiter accipitur authori-  
 tas, & ea ratione, quia apretiatur à cre-  
 dentibus. Et ratio est: quia authoritas  
 divina communiter accipitur pro illis  
 perfectionibus, quæ de terminatæ sunt  
 ad semper loquendum verum; non quæ  
 de facto loquuntur verum: & vi qua-  
 rum à credentibus sumimè apretiatur  
 authoritas, & præstatur ei summus cul-  
 tus; non autem summè apretiatur, nec  
 præbetur summus cultus, quando præ-  
 cisè profitemur, Deum de facto loqui  
 verum: maior enim cultus præstatur,  
 quando profitemur, Deum semper lo-  
 qui verum. Sed sapientia in actu secun-  
 do, seu iudicium de Incarnatione, &  
 veracitas in actu secundo, seu decretum  
 Dei de illa revelanda, solum determi-  
 nant ad loquendum de facto verum;  
 non vero ad semper loquendum verū;  
 ergo sapientia in actu secundo, & ve-  
 racitas in actu secundo non sunt forma-  
 liter authoritas, prout communiter ac-  
 cipitur, & acceptatur à credentibus.

97 Dico 6. Authoritas immediate

suffi-

Sufficiens , & necessaria pro revelationib⁹ assertorijs resultat ex veracitate , & sapientia . Quod sit sufficiens probatur : Illæ perfectiones sunt sufficiens authoritas , quæ connectunt formaliter testimonium cum obiecto . Sed tales sunt veracitas , & sapientia : quia veracitas connectit testimonium cum iudicio ; & sapientia connectit iudicium cum obiecto : ergo veracitas , & sapientia sunt sufficiens authoritas . Quod sit necessaria patet ex dictis : quia præscindendo à coniuncto ipsarum , nulla datur perfectio immediate determinata ad conformandum semper testimonium cum obiecto .

98 Inferes etiam , misericordiam (& idem de alijs) quæ imperare potest revelationem veram ex motivo misericordiæ , non esse formaliter authoritatem , prout communiter accipitur authoritas : quia authoritas , ut diximus , est illa , quæ determinat ad semper loquendum verum : non quæ determinat ad aliquando loquendum verum : esset ergo fidei assensus , qui moveretur ex misericordia : quia ad hoc sufficit realiter connectere testimonium cum obiecto ; quidquid sit , an etiam formaliter

connectat saltem simul cum veracitate,  
 & sapientia: essent tunc authoritas ve-  
 racitas, & sapientia, quia connecterent  
 testimonium cum obiecto, sive ex mo-  
 tivo honestatis loquendi verum, sive  
 ex motivo misericordiae, sive ex vero-  
 que: quia hoc per accidens se habet ad  
 authoritatem, cum ad hanc solum exi-  
 gatur, esse perfectiones reddentes sub-  
 jectum perfectum, & estimabile, essen-  
 tialiter determinatum ad loquendum  
 verum, ex se inclinantes ad loquen-  
 dum verum ex proprio motivo, & per-  
 mittentes determinari ad loquendum  
 verum ex alio motivo, sicut reliquæ  
 virtutes, iustitia, & misericordia. Eius-  
 modi sunt sapientia divina, & veraci-  
 tas; hoc enim ipso sunt formaliter sum-  
 ptae sufficiens antecedens apretiabile, &  
 estimabile, ad assentiendum veritati  
 testimonij. Inferes secundo, quod vera-  
 citas, & sapientia immediate infallibi-  
 lizant testimonium immediatione per-  
 fectionis; quia licet mediet iudicium, &  
 decretum, haec non concurrunt per  
 modum perfectionum infallibilizan-  
 tium; sed solum per modum exercitij;  
 sicut forma immediatè informat; et si  
 mediet unio: causa immediatè causat;  
 et si mediet actio,

99 Dices: Non possunt constitueri perfectiones illæ aut horitatem, quærum oppositæ imperfectiones connectant testimonium cum obiecto. Sed oppositæ imperfectiones connectunt testimonium cum obiecto: quia si datur aquis summæ mendax, & ignorans, titulo summæ mendacitatis diceret oppositum, quod iudicat; & titulo summæ ignorantie, quod iudicat, esset falsum, & oppositum verum: quare eius testimonium semper esset verum: ergo veritas, & sapientia non constituunt auctoritatem. *Resp. neg. mai.* quia licet oppositæ imperfectiones connectant testimonium cum obiecto; tamen non constituunt auctoritatem, nec reddunt subiectum fideignum: & quodcumque constituit auctoritatem, debet esse tale, ut reddat subiectum æstimabile, & dignum, ut in eius cultum, & obsequium præstemus assensum. Ita se habent veritas, & sapientia; mendacitas verò, & ignorantia summa non connectunt testimonium reddendo subiectum fideignum, sed despectu dignum.

100 Dices: Testimonium Dei, ut prolatum cum intentione manifestandi obiectum, habet connexionem cum

objecto testificato : ergo hæc intentio, quæ est decretum loquendi , seu veracitas in actu 2. constituet sufficientem authoritatem. *Resp. conc. ant. dist. cōseq.* De ratione , qua communiter accipitur authoritas , nego conseq. Latiori modo , conc. conseq. Itaque testimonium Dei, ut prolatum cum intentione manifestandi objectum , ex suis terminis formaliter connecteret testimonium cum objecto; sed illa intentio, vt conjuncta cum testimonio non esset authoritas , prout communiter accipitur authoritas: quia authoritas loquétis communiter accipitur pro illis perfectionibus se tenentibus ex parte actus primi, reddentibus subiectum estimabile , & apretiabile , & consequenter pro perfectione distincta à locutione , vt tali, quæ perfectio habet conformare testimonium cum objecto. Hæc tamen intentio , etsi solum realiter connecteret testimonium cum objecto , sufficit , vt actus, qui ex tali intentione moveretur, esset strictè fidei propter dicta : quia moveretur ex motivo divino.

## §. II J.

pro suo subtili ingenio aliam viam ex cogitarunt, quam placuit seorsim pro meritis proponere. Dicunt, authoritatem non constitui sufficienter per sapientiam, & veracitatem: quia licet sapientia habeat connexionem cum eo, quod Deus cognoscat res, ut sunt in se; veritas non connectitur cum eo, quod Deus loquatur res ut sunt in mente: quia veritas non est determinatio; sed inclinatio licet summa, ad loquendum conformiter ad mentem: & summa inclinatio ad aliquid non pugnat cum potestate, & libertate ad oppositum. Sic Deus habet summam inclinationem se communicandi creaturis; & liberè se communicavit. Deus habet summam inclinationem ad miserendum; & liberè miseretur. Confirm. Veritas non pugnat essentialiter ex se cum locutione formaliter non vera, ex eo quod loqui verè formaliter sit exercitium veracitatis; non ex eo, quod locutio non vera formaliter, sit mala: ergo ex nullo capite. Mai. quoad primam partem videtur vera: quia summa misericordia Dei non pugnat essentialiter cum non miseri; licet miseri sit exercitium misericordiae. Quoad 2. prob. quia alias

quævis virtus opponeretur *essentialiter*  
 cum actu vitioso contrario, quod est  
 contra D. Thom. 1. 2. quæst. 2 1. art. 4.  
*Quamvis inter virtutem, & vitium, seu  
 habuum vitiosum detur contrarietas; non  
 sum darur inter virtutem, & actum  
 vitium: unde non per quemlibet actum  
 deperditur statim virtus.* 2. Non magis  
 opponuntur mentiri, & non mentiri;  
 quam misereri, & non misereri. Sed sum-  
 ma inclinatio ad miserendum compo-  
 nitur cum libertate ad miserendum: er-  
 go summa inclinatio ad non mentien-  
 dum, ex se componitur cum libertate  
 ad mentiendum. 3. Ea veracitas ex-  
 cluderet per se mendacium, aut poten-  
 tiā mentiendi: quia est opposita cum  
 non mendacio, & perfectissimè inclinat  
 ad loquendum *verē formaliter*. Sed hæc  
 ratio est nulla: ergo. Prob. min. Stat,  
 aliquod prædicatum divinum opponi  
 eam mendacio, & perfectissimè inclina-  
 re Deum ad loquendum *verē formaliter*; &  
 quod non excludat forma-  
 litè mendacium: ergo. Prob. conseq.  
 Dictamen rationis divinæ dictans nun-  
 quam esse mentiendum opponitur cum  
 mendacio, & perfectissimè inclinat ad  
 non mentiendum. Sed non excludit for-  
 malit-

*malitier mendacium*, nec potentiam  
mentiendi: ergò. Maior est nota. Prob.  
min. 1. Quia mendacium, & potestas  
mentiendi iuxta nos *formaliter* exclu-  
ditur per veracitatem. 2. Quia dato  
tali dictamine, præscindendo à veraci-  
tate, & sanctitate, seu non data veracita-  
te in Deo, neque sanctitate, posset men-  
tiri, ut in nobis accidit. 4. Veritas,  
iuxta omnes, explicatur per concep-  
tum inclinationis ad non mentiendum.  
Sed si esset necessitas non mentiendi,  
deberet definiri, & explicari per con-  
ceptum. *Necessitas ad non mentiendum;*  
& non præcisè per conceptum *inclina-  
tionis*: ergò. Prob. min. Debet defini-  
ri per conceptum dicentem maiorem  
perfectionem. Sed maior perfectio est  
necessitas, quam inclinatio ad non  
mentiendum: ergò.

102 Ideò dicunt non sufficere ve-  
racitatem, & sapientiam, sed ultra ne-  
cessariam esse sanctitatem Divinam, vel  
aliam perfectionem æquivalentem san-  
ctitati. Si hæc sententia solum inten-  
deret, sapientiam, & sanctitatem esse  
sufficientem autoritatem ( pro revela-  
tionibus assertorijs ) fortè esset verosi-  
milio: quia sapientia connectit testi-

monium cum iudicio: & sanctitas cum carentia peccati , adeoque cum carentia mendacij, quod ex terminis est peccatum: & complexum utriusque connecteret verosimiliter testimonium cum obiecto. Sed ea , quibus intendunt suaderet, non sufficere pro autoritate veritatem , & sapientiam , quia veritas divina non sit necessitas ad non mentiendum; sed solum inclinatio summa ad non mentiendum, existimo magis iugeniosa, quam vera: quod sic suadeo.

103. 1. Veritas divina *ut tali* est incomponibilis cum libertate ad mentiendum: ergo est necessitas ad non mentiendum. Prob. ant. Quo maior est inclinatio ad aliquod extreum, & magis inclinatum reddit subiectum ad aliquod extreum , minor est libertas. Sed veritas est summa inclinatio ad non mentiendum , & reddit Deum summe inclinatum ad non mentiendum: ergo. Maior est vera : quia libertas est indifferentia: & prout maior fuerit inclinatio ad aliquod extreum , & magis inclinatum reddens subiectum ad tale extreum , est minus indifferentis. Min. est Advers. Confirm. Ex illo principio. Quo maior est inclinatio ad ali-

quod

quod extre<sup>m</sup>um , minor est libertas.  
Ita potest magis , & magis crescere in-  
clinatio , vt perveniat ad necessitatem  
moralem : & inde ita potest crescere  
magis , & magis , vt perveniat ad ne-  
cessitatem physicam : & non potest am-  
plius crescere in linea inclinationis ,  
quam ad esse *summam*. Sed veracitas  
est summa inclinatio ad non mentien-  
dum : ergo est necessitas non mentien-  
di. *Velsic.* Ex eodem principio. Qui  
fuerit summe moraliter inclinatus ad  
aliquid extre<sup>m</sup>um intra lineam incli-  
nationis *moralis*, non habet indifferen-  
tiam moralem , neque libertatem mora-  
lem : & qui fuerit summè inclinatus in-  
tra lineam *physicam* , non habet li-  
bertatem *physicam*: ergo qui fuerit sum-  
mè inclinatus intra lineam *physicam* , &  
*metaphysicam* , non habebit libertatem  
*physicam*. Sed veracitas divina reddit  
Deum summè inclinatum ad non men-  
tiendum intra lineam *physicam* , & me-  
*ta*physicam : quia non est possibilis ma-  
ior inclinatio : ergò. Antec. vt credo,  
est omnium , qui hac regula noscunt ,  
an aliquis in his , vel illis circumstan-  
tij peccaverit : consequentia videtur  
bona ; & reliqua videntur inferri.

104 Aliter. Summa veracitas, præscindendo à sanctitate, est moralis necessitas non mentiendi: ergo & necessitas physica, & metaphysica. Conseq. debet esse vna: quia non datur major ratio ad vnum, quam ad aliud iuxta Adversiorum principia. Prob. cons. Principium proximum non mentiendi reddens imprudens iudicium, & timorem de mendacio, est necessitas moralis non mentiendi. Sed veracitas summa huiusmodi est: ergo. Prob. min. Veracitas magna cognita ut talis in Hæretico, & Turca, reddit apud Catholicum eam noscentem, imprudens iudicium de mendacio, & noscit ibi non esse sanctitatem: ergo veracitas summa infinita excedens veritatem humanam, reddit imprudens iudicium, & timorem de mendacio. Prob. cons. Quia dictum viri gravis reddit credibilem aliquam rem, dictum omnium reddit eam moraliter certam, & imprudentem timorem de carentia rei: ergo si magna veracitas, ut talis reddit imprudens iudicium de mendacio; summa veracitas, magis excedens magnam veritatem humanam, quam dictum omnium hominum dictum vnius, sed

geddet imprudentem timorem de mendacio.

105 *Confirm.* 2. cavendo solutio-  
nes. 1. *Summa inclinatio moralis*, se-  
cundum positivum, & negativum, ad  
aliquid extremum pervenit ad esse ne-  
cessitatem *moralēm*: & similiter, sum-  
ma inclinatio *physica*, pervenit ad esse  
necessitatem *physicam*: ergo summa in-  
clinatio *physica*, & *metaphysica* ( qualis  
est veracitas divina ad non mentien-  
dum ) pervenit ad necessitatem *physi-  
cam*, & *metaphysicam*. Ant. est verum:  
hac ratione subiectum habens octo  
gradus caloris, est necessitatum *physi-  
ce* ad formam ignis: subiectum habens  
cognitionem inclinantem, ut octo, sine  
retrahente ad aliquid extremum, est  
necessitatum, *moraliter*, & *physice* ad ta-  
le extremum: conseq. videtur bona.  
2. *Summa inclinatio* ad aliquid extre-  
num sine aliquo, quod præponderat  
in oppositum, est necessitas ad illud.  
Sed veracitas est summa inclinatio ad  
non mentiendum, sine aliquo, quod  
præponderet in oppositum. ergo est  
necessitas ad non mentiendum. Hac  
forma cavetur solutio. *Misericordia*  
*divina summe inclinantis ad miseren-*  
*dum:*

dum : quia habet contrapondus *Institutio divine* summè inclinantis ad puniendum : & ideo Deus manet in æquilibrio, & indifferens ad utrumque. Summa inclinatio se communicandi ad extra , habet contrapondus Divini dominij non se communicandi , ab omnibus concessum , & cognitionem nostræ ingratitudinis valde retrahentis : & aliorum , vi quorum illa est summa inclinatio entitatis ; non summa in ratione inclinationis ; seu non summa , secundum positivum , & negativum. Min. est vera. Quia Deus non habet dominium mentiendi Deo indecens , nec habet cogitationem allicientem ad mentiendum : nec habet aliud contrapondus. Prob. mai. Visio Dei est necessitas amandi : quia est penè summa inclinatio amandi , sine aliquo , quod præponderet : octo gradus caloris in subiecto , si non datur contrapondus frigoris , est necessitas ad formam ignis : & saltem magna cogitatio alliens sine retrahente est necessitas : hac ratione motus primo primi excusantur à peccato : & sic de alijs.

106 Confirm. 3. Deo concedenda est veracitas perfectior , quæ cogitari possit

possit intra lineam veracitatis. Sed cogitari potest veritas, quæ ex vi veracitatis infinitæ, pugnet essentialiter cum mendacio: ergo. Minor, quæ est omnium præter dictos Nobiles RR: Prob. 1. Summa inclinatio ad non mentiendum sine contrapondere, pugnat essentialiter cum mendacio, ex dictis. Sed veritas divina, ut talis, est summa inclinatio ad non mentiendum, sine contrapondere: quia non datum: & quia ex se habet ostendere non dari in Deo contrapondus: quia esset imperfectio opposita veracitati: ergo. 2. Prudentia infinita pugnat essentialiter cum imprudentia cognita, ut tali: Iustitia infinita pugnat essentialiter cum iniustitia cognita, ut tali: Charitas infinita cum odio Dei cognito ut tali: Imò voluntas divina cum irrectitudine cognita ut tali: ergo veritas infinita pugnat essentialiter cum mendacio cognito, ut tali. 4. Non repugnat virtus ut talis essentialiter pugnans cum mendacio, ut tali. Sed si aliqua, maximè veritas infinita: ergo hæc pugnat essentialiter cum mendacio ut tali. Mai. prob. Quia quænam implicatio ostendetur ex ista virtute?


107 Prob. 2. In virtutibus divinis talibus non solum ponenda est oppositio cum vitijs oppositis; sed etiam pugna essentialis cum ipsis in Deo. Sed mendacium est vitium oppositum veracitati: ergo veracitas divina non solum opponitur cum mendacio; sed etiam pugnat *essentialiter* cum eo quod detur in Deo. Prob. mai. Virtutes divinæ ponendæ sunt maiori perfectione, qua possint. Sed perfectiores sunt virtutes non solum oppositæ; sed etiam pugnantes, *ut tales*, cum vitijs oppositis: ergò. Minor videtur vera in praesenti materia, & sic de alijs. Quia magis verax est, qui cum cognitione magis recedit à mendacio. Sic magis verax est, qui difficile, & rarissime mentitur, quam, qui frequenter, & facile mentitur: & magis verax est, qui nunquam mentitur, quam qui aliquando: & magis verax est, qui morat in loquendo non potest mentiri, quam qui potest: ergo magis verax est, qui non potest mentiri, quam qui potest: ergo perfectior est veracitas *essentialiter* pugnans cum mendacio; quam solum opposita mendacio.

108 Confirm. Sapientia divina, prout

prout distincta à scientia , non solum est inclinatio ad non errandum , quod est vitium , oppositum ; sed est necessitas ad non errandum : ergo veracitas divina , & sic de reliquis virtutibus , non solum est inclinatio ad non mentiendum , quod est vitium oppositum ; sed etiam est necessitas non meatiendi : Quia sic dignus videmur sentire de virtutibus divinis. Mitto alia .

109 Ex his solutæ videntur rationes in oppositum. Ad id , quod dicit de dictamine rationis. Non dicimus , veracitatem necessitare ad non mentiendum præcisè , quia opponitur perfectissimè cum mendacio ; sed quia ita opponitur , summè inclinando sine contrapondere ad non mentiendum ; & dato , quod ita opponatur dictamen rationis cum mendacio : quia fatemur dari in Deo multa , quæ formaliter opponantur cum mendacio ; diximus tamen non hæc omnia constituere auctoritatem ( saltem necessariam ) sed solum illas perfectiones , quæ per modum perfectionum , quasi permanenter , & ut ita loquar , per modum principij , & habitus , determinant Deum ad dicendum verum ; non quæ per mo-

Dum actus. Hac ratione diximus, non constituere autoritatem (saltem necessariam) decretum de dicendum veruos nec scientia actualis obiecti dicti; sed determinatio ad dicendum omnia. Quia similes perfectiones sunt, quae in humana dicuntur constituere autoritatem.  
*Ad alia.* Definitio debet dari per praedicata certa, & nota quantum fieri possit; etsi certum esset, veracitatem esse necessitatem non mentiendi; non esset probabilis sententia opposita: ideo forte, ne quid auferatur de probabilitate non datur per necessitatem. Præterquam, ut diximus, summa inclinatio ad actum virtutis, & necessitas carendi vitio opposito, forte sunt synonima: & quævis virtus infinita essentialiter pugnat cum vitio opposito virtuti cognito *ut tali*. Sic pugnat in Deo prudenter infinita cum imprudentia actuali: iustitia infinita cum iniustitia actuali: charitas infinita cum offensa actuali: & idem intendimus de veritate cum mendacio.



## SECTIO VI.

*De perfectionibus constituentibus Divini  
nam autoritatem pro revelatione  
nibus promissorijs.*

110 **H**Anc quæstionem difficilem reddit Ripalda;

qui eam invenit. *Sup. 1.* Quod etsi in humanis regulariter per promissionem extrinsecam non solum affirmetur animus promittendi ; sed etiam futuritio rei promissæ : ut frequentè accidit in his : *Dabo tibi librum : promitto tibi librum.* Ad veram promissionem sufficit, quod solum affirmetur animus promittendi : & ratio est: quia ad veram promissionem sufficiunt verba illa, quæ possunt inducere obligationem , si acceptentur. Sed verba affirmantia solum animum promittendi possunt inducere obligationem : ut patet in his : *Obligo me ad conferendum librum,* quæ sine dubio inducunt obligationem , & solum significant animum promittendi , & ad summum se obligandi. 2. Ex D.Thom. lib. 1. Periherm. lect. 7. aiente , orationem imperativam , impetrativam ,

& interrogativam solum affirmare animum imperandi, impetrandi, & interrogandi, & sciendi: ergo idem accidit in oratione promissiva, quæ valde similis est imperativæ: siquidem per promissionem quisque sibi imperat. Hoc tantum animo affirmato, credi potest futuras esse res promissas; non quia assertas, & affirmatas; sed quia promissas: ita scilicet: *Credo futuram esse gloriam; quia Deus promisit illam dare;* per talem namque revelationem revelata est gloria promissoriæ, quamvis non assertoriæ.

III. Sup. 2. Ex dictis: veracitatem solum exigere conformare locutionem cum iudicio; et si dicantur actus interni: & consequenter veritas solum exigit conformare promissionem externam cum iudicio de animo interno promittendi. Quod inde probari potest: quia si per impossibile accideret, quod externè promittens iudicaret se habere animum promittendi, quem in se non haberet, sic promittens non esset mendax, nec mentiretur, ut videatur patere: sicut non mentitur, dum alia afferit falso iudicans ita esse: verum est, quod promittens externè, & iurans

aliquid dat urum , si in re non habet animum promittendi , dicitur mendax , & periurus : & ratio est : quia titulo veritatis debet affirmare animum existimatū , & cum ferē impossibile sit existimare se habere animum , quin illum habeat ; si animum non habet , iudicatur mendax : quia creditur non existimare , se habuisse animum : itaque veritas solum determinat ad iudicandum promittentem existimare , se habere animum promittendi .

212 Sup. 3. Voluntatem promittendi recte componi cum voluntate non implendi : ut constat ex tractatu de Voto. An verò componatur cum voluntate non se obligandi , dubium est. Ex his patet , veritatem , & sapientiam esse sufficientem authoritatem ad credendum Deum habere animum promittendi : quia vera citas , & sapientia sufficiunt ex dictis ad credendum obiectum affirmatum per revelationem. Sed per revelationem promissoriam affirmatur animus promittendi : ergo veritas , & sapientia sunt sufficiens authoritas ad credendum animum promittendi. Addimus utramque esse necessariam formaliter loquendo. Quia

veracitas, ex dictis, solum connectit testimonium cum iudicio, & sapientia, & iudicium cum obiecto: & consequenter virtusque requiritur ad consequendum testimonium cum existentia animi promittendi.

113 Sup. 4. Multas perfectiones pertinere ad Deum, ut promittentem. Aliæ ut principium quo, ut Deus, & Persona Divina. Aliæ ut principium quod, sive directivum, ut sapientia; sive determinativum, ut voluntas; sive physique productivum, ut omnipotentia; sive inclinativum, ut veracitas, fidelitas, iustitia, misericordia, constantia, & alias virtutes morales.

114 His suppositis, Suarez opusc. de Divina libertate, disp. 2. scđt. 8. dicit, ad credendum futuritatem rei promissæ, & decretæ, sufficiet veracitatem, & sapientiam. Additque in Deo fidelitatem non distinguiri à veritate, sed solum esse quasi partem veritatis; eo quod præmissio Divina, & decreta Divina extrema solum sunt assertiones de futuro, quibus Dominus testatur se aliquid facturum. Prado cap. 7. Theolog. Mor. quæst. 11. §. 4. asserit, fidelitatem non distinguiri à veritate: ideoque

que condem esse autoritatem pro reā  
revelationibus promissorijs, ac pro asser-  
torijs. Oviedo controv. 2. punct. 2. à  
num. 28. cui iudicet fidelitatem distin-  
guī à veracitate, asserit sufficere pro reā  
revelationibus promissorijs veracitatem,  
& sapientiam: quæ sapientia cognoscat  
etiam circumstantias non esse notabili-  
tè mutandas. Ripalda disp. 2. sect. 9.  
ait, ad credēdam futuritionem rei pro-  
missæ sufficere solam omnipotentiam  
cum fidelite; ad credēdam vero fu-  
turitionem rei decretæ, & propositæ  
sufficere veracitatem, ut coniunctam  
cum constantia, & potentia. SS. MM.  
Ultra veracitatem, & sapientiam, quas  
exigunt ad assecurandum de vera pro-  
missione, exigunt fidelitatem, poten-  
tiā, & scientiam, tām de possibilitate  
rei, quām de eo quod circumstantiæ  
non sint mutandæ; pro decretorijs ve-  
ro eadem exigunt nisi, quod loco fide-  
litatis requirunt constantiam. Munief.  
disp. 4. sect. 6. dicit, revelationes pro-  
missorias involvere decretum faciendi  
rem promissam, & hoc decretum simul  
cum revelatione esse sufficiens obie-  
ctum formale credendi futuritionera  
rei promissæ.

115 Placet sententia Suarez, in  
 quam recidit Oviedo, nisi quod fidelis-  
 tam distinguit à veracitate. Dico: so-  
 la veracitas, & sapientia sufficit ad af-  
 fentiendum futuri rationi rei promissæ, &  
 decretæ neque specialiter, seu formaliter  
 requiritur sapientia de eo quod  
 circumstantiæ non sint mutatæ quam-  
 vis hæc materialiter datur; sed sufficit  
 veracitas, & sapientia de futuritione  
 rei promissæ, quæ in Deo regulat pro-  
 missionem. Hanc conclusionem teneat  
 etiam Palanco disp. I. quæst. 5. Aliqui  
 probant hanc conclusionem. 1. Quia  
 veracitas, & sapientia manifestant ani-  
 mum promittendi. Sed animus promit-  
 tendi habet connexionem cum futuri-  
 zione rei promissæ: ergo veracitas, &  
 sapientia sufficiunt ad assentiendum fu-  
 turitioni rei promissæ. 2. Connexio  
 testimonij, quæ non proveniat à prima  
 veritate in dicendo, non est sufficiens  
 ad assensum fidei; sed prima veri-  
 tas in dicendo est illa, quæ refundit  
 connexionem in primo fieri revelatio-  
 nis non postea: ideoque est veracitas,  
 & sapientia: ergo veracitas, & sapien-  
 tia sunt sufficiens authoritas, & reliquæ  
 profectiones non exiguntur. 3. Ve-  
 raci-

racitas , & sapientia sufficiunt pro rebus affirmatis. Sed per revelationem promissoriam affirmatur futuritio rei: alias si non esset affirmata non esset revelata; ergo. 4. Fides promissionum, & assertionum est eiusdem speciei: ergo debet procedere ab eadem autoritate: quia actus procedentes à diversis motibus non possunt esse eiusdem speciei.

116 His omissis , probatur conclusio : Veracitas, & sapientia sunt auctoritas sufficiens pro rebus affirmatis, per revelationem. Sed revelatio promissoria Dei affirmat futuritionem rei promissæ: ergo veracitas , & sapientia sufficiunt ad credendum futuritionem rei promissæ. Prob. min. in signo priori ad revelationem promissoriam datur in Deo cognitio futuritionis rei promissæ : quia prius est Deum decernere rem, & consequenter videre futuritionem etiam in se ipsa , ut dicimus tract. de Scientia , quam decernere revelare talem rem: ergo Deus per talem cognitionem dirigitur ad revelandum : quis enim credit cognitionem maximè conducentem ad revelandum , & existentem in signo apto, non dirigere Deum? Sed talis cognitio non dirigeret , nisi

per revelationem affirmaretur futuri-  
tio rei promissæ: quia ad quid aliud di-  
rigeret? ergo per revelationem af-  
firmatur talis futuritio.

117. Confirm. In Deo inseparabi-  
lis est animus promittendi à voluntate  
efficaci implédi, & futuritione rei pro-  
missæ, vnde cumque hæc proveniat, &  
cum Deus cognoscat hanc veritatem  
per scientiam necessariam, hæc cogni-  
tio existit in signo potestatis proximæ  
ad revelationem promissoriam: tunc  
sic, quamvis creatura per suas promis-  
siones possit affirmare animum promit-  
tendi, quin affirmet animum implendi;  
quia animus implendi est separabilis ab  
animo promittendi; tamen frequenter,  
etiam iuxta Adversarios, affirmat ani-  
mum implédi, & futuritionem rei pro-  
missæ: & præsertim hoc accidit, quan-  
do ex magno amore promittit volendo  
suam affectum ostendere alteri: quia sic  
promittens intendit affirmare futuri-  
tionem rei in quantum possit, & cum  
homo non possit certo affirmare futu-  
ritionem rei in se ipsa, affirmat animum  
implendi. Sed Deus pro priori ad pro-  
missionem cognoscit inseparabilem ef-  
ficiendum animum promittendi ab animo  
im-

implendi ; & à futuritione rei , &  
ex magno amore promittit , & ex  
maximo desiderio , vt noscatur futuritio  
rei pro missæ , & decretæ : ergo affir-  
mat futuritionem rei promissæ in se  
ipsa .

118 2. In Deo , vt observat Su-  
rez , iuxta D. Thom. iuramentum non  
habet maiorem vim , neque efficaciam ,  
quam nuda promissio ; sed solum ap-  
ponitur iuramentum pro maiori expli-  
catione promissionis : Nunc sic : idem  
affirmat promissio in Deo , ac iura-  
mentum in creatura ; sed iuramentum  
promissorium in creatura non solum  
affirmat animum promittendi ; imò qui  
simpliciter promitteret sine animo im-  
plendi , vt dicit Surarez , lib. 1. de Re-  
lig. de Essentia voti , cap. 4. num. 5.  
Thom. Sanchez , Summa lib. 4. cap. 1.  
num. 37. non vere promitteret ex Div.  
Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 1. Pro-  
missio ex proposito faciendi procedit . Sed  
etiam animum exequendi : quia men-  
dax esset , qui iuraret sine animo im-  
plendi : ergo promissio in Deo non so-  
lum affirmat animum promittendi ; sed  
etiam animum implendi ; sed hoc est  
in Deo affirmare futuritionem rei pro-  
mis-

missæ. 1. Quia affi. mare antecedens for-  
maliter connexum cum alio , & ex de-  
siderio illud manifestandi , est affirmare  
illud aliud. 2. Quia creatura per  
juramentū , vt afficeret , affīmat fu-  
turitionem rei in quantum potest , &  
cum ipsa non possit aliter affirmare  
certam futuritionem rei , nisi in inten-  
tione , & animo ponendi rem , iura-  
mentum affīmat talem animum : cum  
verò Deus ex maiori desiderio pro-  
mittat externè , & pro priori cognos-  
cat animum implendi , & futuritionem  
rei promissæ , vtrumquè affīmat per  
promissionem externam.

119 Dices : cognitio de futuri-  
tione tei promissæ per accidens præ-  
cedit ad promissionem externam : quia  
talis cognitio non prærequiritur , vt  
detur vera promissio , & vt ex illa oriatur  
obligatio : cum ad veram promis-  
sionem sufficiat animus promittendis  
quod per accidens præcedit , non dirigit  
necessario ad revelationem , & conse-  
quenter licet aliquando dirigat , seu  
licet dirigat ad aliquas revelationes  
promissorias , quæ forte affirmabunt  
futuritionem rei promissæ : non tamen  
dirigit ad omnes : & aliquæ possunt non  
affir-

affirmare talem futuritionem , & cum nesciamus , quæ revelationes affirment futuritionem , quæ non ; non sufficiet pro omnibus ; imò generalius pro nulla revelatione promissoria sufficiet veritas , & sapientia , nisi specialitè constet , per illam specialius affirmari futuritionem rei promissæ. *Resp.* Verum esse , quod in creatura ad promittendum per accidens præcedit cognitio de futuritione rei præmissæ , & ideo potest dari promissio solum affirmans animum promittendi ; at tamen in creatura ad iuramentum promissorium per se præcedit cognitio de futuritione rei , quæ cadere potest in creatura , scilicet , cognitio de animo implendi cum ergo in Deo non differat promissio à iuramento promissorio , per se præcedit cognitio de futuritione rei , quam potest habere : Et cum habeat cognitionem de futuritione rei in se ipsa : hæc præcedit , & ideo affirmat , futuram esse absolutè rem promissam.

120 Dices cum SS. MM. Revelationes promissoriæ non sunt pure speculativæ ; sed practicæ : alias non different revelationes assertoriæ à promis-

missorijs : sunt ergo practice, id est, tales, ut intuitu verbi dati possint movere ad assequendam rem : Nunc sic: Revelatio ostendit iudicium quando præcedit ad illam ; non quando illam subsequitur : cum ergo decretum executivum, & consequenter cognitio decreti executivi intuitu verbi dati sit consequens ipsam revelationem, revelatio non ostendet, neque affirmabit decretum executivum : ergo requiriatur fidelitas, ad quam pertinet conformare facta cum dictis, ut illud ostendat. Confirmatur : illa perfectio movet promissarium ad assentiendum futuram esse rem promissam, quæ movet promittentem, ut intuitu promissionis exequatur rem. Sed ad hanc movet fidelitas, & non veracitas : ergo requiritur fidelitas distincta à veritate, vel saltem si fidelitas distinguitur à veritate, non sufficit sapientia, & veracitas : Etsi non distinguitur, sicut ad revelationes promissorias dicitur exigere veritatem, etiam ad assertorias dicuntur requiri, & exigi fidelitatem.

1:1. Ut argumento respondeam sciendum est, ipsos RR. satis posse dari aliquas revelationes promissorias purè

pure speculativas, quæ, scilicet, non solum afferant animum promittendi, & animum implendi, sed etiam decretum executivum, & executionem rei. Quid ergo si nos afferamus accidere semper, quod ipsi fatentur aliquando posse accidere, cum nos dicamus ad promittendum præcedere semper cognitionem, quam ipsi dicunt, aliquando posse præcedere: tunc ergo revelatio promissoria materialiter tantum differt à revelatione assertoria: quia assertoria est de præsenti, aut de præterito, & promissoria est de re à Deo facienda ex honestate implendi suum verbum, aut ex alio motivo. Dicimus nihilominus revelationem promissoriæ esse speculativam, & frequenter esse prædicam, vel saltem sæpè esse practicam, quia sæpè non affirmat per quod decreatum exequenda sit talis res: an scilicet unicè propter gloriam Dei: an simul ex motivo fidelitatis; an ex misericordia, &c. ut sic maneat Deo liberum exercere has, vel illas virtutes, consequenter ad cognitionem futuritionis rei: qua ratione dicimus principium meriti posse dari in præmiū, positō ordine intentionis, & executionis.

122 Cum autem per revelationem affirmetur exequendam esse rem, et si fidelitas esset distincta, non esset necessaria ad authoritatem: sicut ipsi patentur, quod in revelationibus illis promissorijs, quæ essent speculativæ, sufficiebat veracitas, & sapientia: quamvis ad exequendum requirantur fidelitas, omnipotentia: & sàpè concusa creata. Itaque confirmatio est falsa; si exigat pro constitutivo necessario fidelitatem; si verò dicat posse ingredi tanquam partem motivi redundantis, transeat confirmatio, in qua nihil contra conclusionem. Nos tamen assertimus, eandem veracitatem conformare dicta cum mente, & facta cum dictis, quando per revelationem affirmatur factum; sed cum hac differentia, quod dicta cum mente conformat se sola; facta cum dictis simul cum sapientia. Cognito tamen per veracitatem, & sapientiam verò animo promittendi, veracitas se sola determinat ad exequendum, modo detur potestas, & circumstantiæ non sint variæ. Cum ergo revelatio promissoria materialiter tantum distinguatur ab assertoria; veracitas solum per rationem, & materialiter distinguitur à fidei-

**fidelitate:** Est fidelitas prout determinat ad conformanda facta cum dictis; & est veracitas prout determinat ad conformandum dicta cum mente. An vero fidelitas dicenda sit motivum revelationis pure assertoriae? Loquere, ut velis: cum tamen per ordinem ad revelationem promissoriam dicatur fidelitas, melius loqueris, si fidelitatem non exigas pro revelatione assertoria.

123 Dices: Scriptura multis in locis revocat nostram fidem ad fidelitatem, ita ad Hebreos 1. *Fidelis est enim, qui repromisit.* Et cap. 2. loquendo de Sara: *Fidelem credit esse eum, qui repromisit;* ergo fidelitas est constitutiva authoritatis. *Resp.*, conc. antec. & conseq. quia cum nos non distinguamus veracitatem à fidelitate in Deo, si ad authoritatem requiritur veracitas, requiritur etiam fidelitas. Ratio autem cur Apostolus se explicuit per fidelitatem, potiusquam per veracitatem est, quia veracitas est fidelitas relatè ad assertions de futuro: vel, quia cum sic certum veracitatem identificari cum fidelitate, & casu quo distinguantur, ad fidelitatem potiusquam ad veracitatem pertineat implere promissa (& saltem

cum promissiones creaturarum non afferment rei promissæ futuritionem, ut accidit in creatis) ideo se explicuit per fidelitatē. Imò propter eandem rationē poterat addidisse potentiam ; sicut etiā addit ad Roman. 4. *Abraham confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quemque promisit, potens est facere.* Et ad Hebr. 11. *Quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Et August. lib. 21. de Civit. cap. 2. *Nam quæ melior, & validior ratio de rebus redditur, quam quod omnipotens ea posse facere, & facturus prohibetur.* Ratio autem cur fidem reducant ad potentiam, non ideo est, quia non sufficit veracitas, & sapientia ; sed quia etiam potentia, & fidelitas possunt constituere motivum redundans, & sunt perfectiones necessariæ ad executionem. Cum tamen in creatis casu, quo fidelitas distinguatur à veritate, & licet non distinguatur, fidelitas non obliget, quando non datur potestas impleendi : neque creatura assicurare possit de eventu futuro, si non detur potentia ; ideo assicurat Deus de eventu per fidelitatem, & potentiam : quia supposita vera promissione, hæ sunt, quæ in creatis assicurant de eventu,

124 Dices 2. Per id creditur futu-  
ram rem promissam, per quod infallibi-  
litèr erit res promissa. Sed Sic erit per  
omnipotentiam, & constantiam ultra  
sapientiam, & veracitatem: ergò. 2. Per  
id creditur, per quod Deus est infalli-  
bilitèr determinatus ad exequendam  
rem promissam. Sed talis est per fideli-  
tatem: ergò. *Resp.* dist. mai. per quod  
infallibilitèr erit in dicendo, conc. mai.  
in exequendo, neg. mai. & conc. min.  
quoad 2. neg. quoad 1. loquendo de  
motivo necessario. Ad 2. resp. conces-  
mai. & min. neg. conseq. Quia ut dixi-  
mus, *Fidelitas* non distinguitur à vera-  
citate; & casu, quo distinguatur, suffi-  
cientèr est determinatus ad exequen-  
dum rem promissam: idèque sufficien-  
tèr creditur per illam.

125 Ex his sequitur, veracitatem  
in Deo ostendere futuritionem rei pro-  
missæ per viam iudicij: sicut ita osten-  
dit animum promittendi: quia veraci-  
tas ostendit per viam iudicij, id quod  
affirmatur per revelationem: & per  
revelationem promissoriam affirmatur  
non solum animus promittendi; sed  
etiam futuratio rei promissæ iuxta di-  
cta. Ostendit etiam veritas identifi-

cata cum fidelitate futuritionem rei  
promissæ aliter, quam per viam iudicij:  
scilicet, quatenus movet, ut intuitu  
verbi dati, & promissionis exequatur,  
quæ promissa sunt: verum cum prima  
olensio sufficiat ad rem præsentem,  
parum curā Jun est de secunda. In crea-  
tis quando per promissionem affirma-  
tur futuratio, hoc est, intentio, seu ani-  
mus implendi, & hoc ita apparet, vera-  
citas ostendit futuritionem rei in in-  
tentione etiam ex duplice capite assig-  
nato; executionem vero solum osten-  
dit quatenus obli gat ad exequendum  
intuitu verbi dati; non vero per viam  
iudicij: quia promissiones in creatis no[n]  
affirmant futuritionem rei promissæ in  
se ipsa; sed solum in intentione.

## SECTIO VII.

*An actus credendi obsequiosus, & meri-  
torius debeat intrinsecè attingere  
obiectum formale?*

126 **D**ico 1. cum communī  
sententia contra Ri-  
palda, impossibilem esse actum creden-  
di Deo meritorium cum omnimoda  
obli-

oblivione, & absque actuali notitia Dei revelantis. Probat. Impossibile est aliquid credere propter authoritatem D. Thomæ illam præferendo authoritatē Scoti , si nullo modo venit in mentem hanc sententiam esse affirmatam à Div. Thom. quomodo enim præferri potest prudenter absque cognitione: ergo impossibile est prudenter credere mystrium propter authoritatem Dei revelantis, ipsam præferendo omnibus alijs rationibus in contrarium occurrentibus , si nullo modo veniat in mentem authoritas Dei revelantis. 2. Non potest esse imputabilis libera, & voluntaria honestas fidei consistens in conformitate cum divina revelatione , seu in summissione ad authoritatem Dei revelantis , quando nulla datur cognitio authoritatis revelantis : quia incognitum nequit esse voluntarium : ergo si datur omnimoda oblivio, & nulla cognitio Dei revelantis , non potest dari fides meritaria, & obsequiosa.

127 Confirm. Non potest dari malitia infidelitatis consistens in disconformitate ad divinam revelationem, seu in non summissione authoritati Dei revelantis , cum omnimoda oblivious,

& absque actuali notitia revelationis: quod enim anteā habuerim notitiam, quid ad iem, si quando dissentio, non recordor? Ergo non potest contrahi honestas fidei cum omnimoda oblivione, & absque actuali notitia revelationis: ad contrahendam namque honestatem saltem eadem requiritur advertentia, ac ad contrahendam malitiam. Probat. ant. Nequit contrahi malitia absque advertentia ad regulam moralitatis: ergo nequit contrahi specialis malitia absque advertentia ad specialem regulam obiectivam moralitatis, qualis est in præsenti revelatio sufficienter proposita. 2. Semel, imò sæpius amasse proximum propter Deum, non est necessitas, ut quotiescūque amem proximum, sit propter Deum, & non ex alio motivo. Et si aliquando potest contingere, ut posteā ametur proximus ex alio motivo, & non propter Deum, tunc erit quando non datur advertentia ad bonitatem Dei: ergo cum semel assensisse mysterio propter Deum revealantem, non sit necessitas, ut quoties mysterio assentiatur, sit propter Deum revealantem, & non propter argumenta credibilitatis, vel propter aliud motu?

vum , si aliquando hoc accidere potest , tunc erit quando non datur advertentia ad Deum revelantem . Idem in alijs exemplis probari potest .

128 3. Sicut causa physica non potest naturaliter operari , quin sit applicata , ita intellectus non potest ferri in obiectum , quod non sit propositum . Sed intellectum assentire obiecto propter Deum revelantem , est ferri in Deum revelantem : quia ferri in obiectum propter aliud , non est solum ferri in obiectum ; sed ferri propter aliud : & propter quod unumquodque tale , & illud magis : ergo intellectus non potest assentiri obiecto propter autoritatem revelantem , quin authoritas revelans sit applicata , & consequenter quin appareat . *Explicatur* , cavendo solutionem . Species relietæ ab actibus praecedentibus , & habitus acquisitus solum præstant , quod intellectus facilius feratur in obiectum sufficienter propositum ; non vero quod feratur in obiectum non propositum , saltem ita accedit in habitibus voluntatis : ergo species relietæ ab assensu propter Deum revelantem non poterunt movere , nec inclinare in actu 2. ad assensum prop-

ter Deum revelantem, nisi detur adversa-  
tia ad Deum. Item habitus ac quisitus  
inclinat ad actus similes præcedentibus.  
Sed præcedentes attingunt *intrinsecè*  
authoritatem revelantem, iuxta Ripal-  
da: ergo species relictæ, & habitus ac-  
quisitus inclinabunt, & elicent actus  
*intrinsecè* attingentes authoritatem re-  
velationis. *Explicatur*, cavendo aliam  
solutionem. Assentus posteriores non  
sunt *virtualiter* ex advertentia divinæ  
authoritatis, quatenus *essentialiter* sup-  
ponant advertentiam præteritam: quia  
quo fundamento adstruitur connexio  
*essentialis* in sequenti actu cum antece-  
dentibus? Etsi enim actus intellectus  
consistunt in actione, actio connectitur  
*essentialiter* cum suis principijs physi-  
cis; non cum moralibus, quales forte  
sunt habitus acquisiti. Et demus con-  
necti *essentialiter* cum principijs mora-  
libus, scilicet habitibus: habitus qui suat  
entitates absolutæ, quo iure ponentur  
*essentialiter* connexi cum actibus, à  
quibus generati sunt, seu cum eo, quod  
præcesserint tales actus?

129 Deinde: Apprehensio myste-  
rii causata ab illis speciebus, verum  
est quod proponit mysterium *virtuali-*  
*ter*,

ter, ut revelatum; imò formaliter ut  
revelatum: quia oritur ab speciebus de-  
mysterio, ut revelato, hoc tamen pro-  
bat, quod illa apprehensio, & species  
inclinabunt, & elicient assensum in-  
trinsicè attingentem mysterium, ut  
revelatum: quia ex actibus similibus  
oītæ sunt: vel si inclinant ad actus dil-  
similes; et si priores fuerint propter  
authoritatem revelantem; sequentes  
poterunt esse propter argumenta cre-  
dibilitatis, vel aliud motivum, & non  
præcisè propter authoritatem, ut re-  
velantem adhuc extrinsicè, quod ne-  
gat Ripalda. Itaque sicut quando non  
datur formalis, & actualis adverten-  
tia, et si confusa, obligatoriè retrahens,  
non potest contrahi malitia infidelita-  
tis: ita sine actuali advertentia specia-  
lis honestatis nequit contrahi honestas  
fidei. Hinc per actus frequentes, qui-  
bus credimus mysteria, advertimus  
actualiter, et si confusè, ad authorita-  
tem revelantem: quia advertimus, illas  
veritates esse in Symbolo, aut opposi-  
tum esse hæresim; et si præ facilitate  
credendi non advertamus reflexe, nos  
advertere: ad modum, quo musicus  
pulsans has phibias præ alijs, habet cog-  
nitio-

nitionem dirigen tem; et si præ facilitate pulsandi non advertat reflexè se habere talem cognitionem. Indò aliquando contingit, committi aliquod lethale, quin reflexè possimus illud iudicare adiuc probabilitè iuxta Psalm. 18. *Ab occultis meis munda me.* Si tamen accideret, quod non advertamus ad authoritatem revelantem; tales actus non essent fidei: quia neque moverentur ex motivo fidei, nec honestas fidei est imputabilis. Et tunc tales actus, ut sentit Oviedo, essent supernaturales eliciti ab auxilio, non tamen ab habitu fidei, neque ab alio habitu, qui non est assignandus pro actibus raro contingentibus: sicut actus scientifici, qui sequuntur primam conclusionem, & quasi illam repetunt, si non detur advertentia ad præmissas, non elicientur ab habitu conclusionis: quia sunt valde diversi hi actus, ut idem habitus facilitè ad illos, fiunt que tales actus sequenter ab specie clara obiecti, quæ acquiritur clarior ex repetitione.

130 Dico 2. contra Ripalda. Ut aliquis assentiat mysterio propter revelationem per assensum non attingentem intrinsecè revelationem, non sufficit,

Sicut quod precedat sola apprehensio suavis revelationis. *Prob.* Assensus mysterij propter revelationem importat assensum revelationis: quia nemo potest esse persuassus de existentia obiecti materialis propter formale, quia sit persuassus de existentia obiecti formalis: *Quia propter quod unumquidque reale, & illud magis.* Sed qui assentitur mysterio propter revelationem, est persuassus de existentia mysterij propter revelationem: ergo est persuassus de existentia revelationis, quæ persuasio dicit assensum, & non solam apprehensionem. *Explicatur.* Eatenus sumus certi per fidem de existentia obiecti revelati, quatenus sumus certi de revelatione, iuxta Paulum, *Scio cui credidi, & certus sum.* Sed certitudo est propria iudicij, & non apprehensionis adhuc suaviter, nisi impropriè loquamur: ergo qui est certus de existentia mysterij propter revelationem, habet assensum de revelatione. 2. Qui assentitur obiecto materiali propter formale, non potest simul dissentiri obiecto formali etiam iuxta Ripalda. Sed qui solum habet apprehensionem suaviter revelationis, potest dissentire revelatio-

tioni : quia apprehensio suasiva sicut non necessitat ad assentiendum , ita non necessitat ad non dissentiendo : ergo qui assentitur propter revelationem , habet iudicium de revelatione , quod unicè est incomponibile cum dissensu de revelatione.

¶ Hinc scies , præcedente sola apprehensione suasiva revelationis , moveri potest à dicta apprehensione assensus unicè attingens *intrinsecè* mysterium : sicut intellectus potest assentire colori , quin assensus attingat lucem : Et ex simplici complacentia in divina bonitate potest determinari detestatio peccati , & actus aliarum virtutum non attingentes *intrinsecè* divinam bonitatem . Verum in dicto casu , assensus mysterij non erit propter revelationem tanquam objectum formale ; & intellectus poterit dissentire revelationis : ideoque assensus non erit fidei , sicut nec detestatio peccati orta ex dicta simplici complacentia pertinebit ad charitatem . Tunc ergo apprehensio suasiva se habebit tanquam conditio proprens veritatem mysterij : sicut lux se habet ut conditio ostendens colorem : & in hoc sensu , scilicet *subjectivè* , movebit

vebit assensum mysterij sicut simplex complacentia in bonitate divina, & quodvis imperium efficax, subiectivae determinat actus aliarum virtutum.

132 Scies 2. Quod si præcesserit iudicium de existentia revelationis (in quo iudicio, Puente Hurtado, & Lugo concedentes fidem esse necessario discursivam, ponunt totum obsequium fidei. Et quando fides discurrit, etiam qui negant esse necessario discursivam, aiunt, præmissas necessitare quoad exercitium) si præcedat inquam tale iudicium, præcipuum meritum fidei stat in iudicio de revelatione: quia difficultates reddentes difficile mysterium redundunt difficultem revelationem; victa tamen difficultate in assensu revelationis, iam non est difficultas in assensu mysterij: cum tamen assensus revelationis non necessitet quoad exercitium ad assensum mysterij propter revelationem assensus mysterij, vi potè liber, est obsequiosus, & laudabilis. Generaliter tamen tribuuntur in scriptura præmia, & laudes assensi mysterij: vel quia assensus mysterij propter revelationem attingit *intrinsecè* revelationem: vel quia tota difficultas assen-

tiendi revelationi stat in difficultate mysterij; at verò ex se tota laus fidei stat in assentiendo mysterio propter revelationem; etsi per accidens hæc laus partim minuatur, si præcedat assensus revelationis. Itaque non est adeò efficax hoc argumentum, quod Ripalda iudicat validius ad firmandam suam sententiam de sola præcedentia apprehensionis sualivæ circa revelationem.

## §. IV.

133 His suppositis, Puente Hurtado disp. 31. §. 22. & disp. 8. sect. 4. Rip. disp. 2. sect. 5. dicunt, ad hoc ut assensus sit essentialiter fidei, non esse necessarium, quod intrinsecè attingat autoritatem revelantem; & adducent Eximum Suarez 1. 2. disp. 8. de Voto luntario, vbi ait, posse electionem esse propter finem, & moveri à fine, quando finis menti non occurrit. Oppositum defendit Lugo disp. 3. num 88. Arriaga disp. 1. num. 24. Oviedo contr. 2. num. 120. Ogea disp. 2. sect. 1. Palanco disp. 1. quest. 6. & communis RR. sequi Suarez, in terminis hoc docentem disput. 4. de Bonitate, & malit.

malitia , sect. 2. num. 7. Dico assensus  
essentialiter fidei necessario attingit au-  
thoritatem revelantem iudicative. Pro-  
bat. Ad hoc ut actus sit fidei est neces-  
sarium , quod assensus sit propter testi-  
monium , & ita sit assensus propter te-  
stimonium , ut ex vi illius maneat inq-  
tellectus persuassus de existentia testi-  
monij , & nequeat negare eius existen-  
tiam. Sed nequit dari eiusmodi assens-  
sus, quin intrinsecè , & iudicative attin-  
gat testimonium divinum, seu authorita-  
tem revelantem : ergo nequit dari as-  
sensus essentialiter fidei, qui intrinsecè ,  
& iudicative non attingat authorita-  
tem revelantem. Mai. constat ex imme-  
diata conclusione.

134 Minor probatur. Nequit dari  
eiusmodi assensus , quin ita clare , vel  
confusè tendat : *Credo Incarnationem,*  
*quia Deus revelavit.* Sed assensus ita  
tendens , attingit intrinsecè iudicativa  
authoritatem revelantem : ergo nequit  
dari assensus mysterij propter autho-  
ritatem revelantem, vi cuius intellectus  
maneat ita persuassus de existentia re-  
velationis, ut nequeat eam negare, quin  
talis assensus intrinsecè iudicative at-  
tingat authoritatem revelantem. Maior

videtur clara: quia si non ita tendat, nequit habere essentialiter respectum intentionalem (essentialiter exactum ad specificationem actus in quavis virtute) vi cuius ita persuassus maneat intellectus de existentia revelationis, seu de existentia obiecti materialis propter formale, ut constabit ex D. Thom. infra ad argumenta. *Explicatur:* Si assensus non ita tendat, sed solum presupponat assensum authoritatis revelantiis, assensus mysterij accidentaliter, & impropriè erit assensus fidei; ad modum, quo accidentaliter, & impropriè est actus charitatis, iuxta communem sententiam, actus iustitiae imperatus per actum charitatis: imò minus propriè esset fidei assensus mysterij, quam hic actus iustitiae esset charitatis: quia imperium charitatis ita præcederet, ut necessitaret ad actum iustitiae; & assensus revelationis non necessitat ad assensum mysterij.

135 Probatur hoc: Assensus mysterij non attingens iudicativè revelationem, non est, cur supponat essentialiter assensum revelationis: quia etsi indigeat sèpè præluscere revelationem, ut appareat mysterium, tamen non est

cur

eur determinatè exigat apparere per hoc motivum, potiusquam per aliud: quia sàpè dantur assensus circa mystèria, quæ aliundè apparent, quam per revelationem, ut existentia Dei, omnipotèntia, & alia: ergo solum supponit accidentaliter assensum revelationis, ad modum, quo ille actus iustitiae supponit actum charitatis: & consequenter solum accidentaliter, & impropriè erit actus fidei. Saltē actus voluntatis etiam consistentes in actione solū accidentaliter supponunt has, præ illis cognitionibus, ut verior tenet Philosophia.

136 Sed demus aliquem assensum mysterij supponere essentialiter assensum authoritatis revelantis: hoc non sufficit, ut assensus mysterij sit non solum essentialiter, verum neque accidentaliter assensus fidei, nisi valde impropriè. Prob. Non magis supponit assensus mysterij assensum authoritatis revelantis, quam actus essentialiter religionis assensum de excellentia Dei: qui assensus movet, & inclinat ad colendum Deum; & quam quivis actus essentialiter honestus supponit assensum regulæ moralitatis consistentis in Deo summo bono, iuxta veriorem senten-

tiam. Sed hi actus et si supponant essentialiter assensum habentem pro obiecto motivum Divinum, & Theologicum, non sunt essentialiter Theologici: alias virtus religionis, & quævis alia virtus moralis esset Theologica: ergo licet assensus mysterij supponeret essentialiter assensum attingentem authoritatem revelantem, non esset Theologicus, & consequenter neque fidei Theologicæ.

137 Confirm. Quod unus actus essentialiter habeat procedere ab alio essentialiter habente esse Theologicum, non infert quod ipse sit Theologicus, alias cum quævis creatura essentialiter habeat procedere à Deo, quævis esset Deus: & cum actio supponat principium, & sæpè substantiam, actio erit principium, & substantia: ergo ex eo quod assensus mysterij essentialiter habeat procedere ab assensu authoritatis revelantis, infertur quod assensus authoritatis revelantis sit fidei; non vero, quod ipse sit assensus fidei: alias omnes effectus essentialiter procedentes à talibus principijs convenire deberent cum illis in omnibus proprietatibus, & denominationibus. Et ratio à priori est: quia respectus essentialis, quem dicit

Actus intentionalis ad obiectum , à quo  
specificatur in ratione virtutis, non stat  
in quavis dependentia physica ab illo;  
alijs si Deus elevaret actum charitatis,  
vt produceret actum iustitiae consistē-  
tem in actione connexa cum principio;  
actus iustitiae esset actus charitatis , vt  
poterit essentialiter dependens ab actu  
habente pro obiecto divinam bonita-  
tem: consistit ergo respectus essentialis  
in tendentia intentionalis intrinseca,  
qua terminatur ad obiectum materiales  
propter formale , & ad formale prop-  
ter se ipsum. Sed actus essentialiter fi-  
dei essentialiter specificatur ab autho-  
ritate revelante: ergo tendit intrinsecè  
intentionaliter in autoritatē revelan-  
te: & iudicative propter rationes datas.

138 Obijc. 1. Actus fidei potest  
esse conclusio formalis deducta ex as-  
sensu authoritatis , & revelationis. Sed  
non est de ratione conclusionis forma-  
lis reflectere supra obiectum præmissa-  
rum: ergo neque de ratione assensus fi-  
dei attingere autoritatem , & revela-  
tionem. Resp. conc. mai. dist. min. non  
est de ratione conclusionis essentialiter  
realis , reflectere supra obiectum præ-  
missarum, nog. min. accidentaliter talis,

conc. min. & neg. conseq. Itaque de  
 ratione conclusionis essentialiter talis  
 est, attingere obiectum formale, à quo  
 specificatur: quia non est discursus qui-  
 vis transitus ex uno actu in aliud: alijs  
 assensus, quo post cognita argumenta  
 credibilitatis assentimus revelationi, esset  
 discursus, & moveretur ex argumentis  
 credibilitatis: ideoque non esset assen-  
 sus fidei. Deinde, quia alijs difficile es-  
 set discernere munus conditionis obie-  
 ctivæ à munere obiecti formalis: cum  
 etiam conditio obiectiva sœpè alliciat,  
 & moveat ad aliud assensum, ut patet  
 in argumentis credibilitatis moventi-  
 bus ad assensum revelationis: requiri-  
 tur ergo ad rationem cōclusionis, quod  
 intrinsecè intentionaliter respiciat ob-  
 jectum formale, à quo specificatur: quia  
 solum extrinsecè procedere, sufficit,  
 ut conclusio dicatur existere propter  
 præmissas, ly propter denotando influ-  
 xum subiectivum prioris actus in po-  
 steriorem; non verò denotando motio-  
 nem intentionalem propriam obiecti  
 formalis: verum quidquid sit de do-  
 ctrina Philosophiae: in alijs materijs  
 actus virtutis intrinsecè debet attinge-  
 re obiectum, à quo specificatur, ut  
 dixi.

diximus, & constabit ex D. Thom. in-  
frā, & disp. 2. de Bonit. & malit.

139 Obijc. 2. Dum à moribundis  
sit professio fidei, frequentèr fiunt actu  
strictæ fidei. Sed per illos actus fre-  
quentèr non attingitur revelatio: er-  
gò. Prob. min. Illi actus sunt huiusmo-  
di, *Credo in Deum*. Sed per hos actus  
attinguntur mysteria, non verò reve-  
lacio: ergò. 2. Hi actus *Credo quod te-*  
*nem Mater Ecclesia*; & hic, Firmiter  
iudico esse verum, quidquid docet Mater.  
*Ecclesia*, sunt strictæ fidei: quia fre-  
quentèr hortamur moribundos ad hos  
actus. Sed hi attingunt mysteria, & ne-  
que attingunt, nec videntur curare de  
revelatione, nec auctoritate Dei: ergò.  
*Resp. conc. mai. neg. min.* Ad probat.  
*conc. mai. neg. min.* Quia per ly *Cre-*  
*do* significatur assensus propter autho-  
ritatem dicentis: & in illis circumstan-  
tijs, & relatè ad illa mysteria, propter  
auctoritatem Dei dicentis, quamvis ip-  
si reflexe non advertant: sicut in quo-  
vis iudicio iudicamus obiectum, v. gr.  
Cœlum, terram, propter veritatem, &  
à rusticis faltem non advertitur, illud  
iudicium moveri ex veritate. *Ad 2. cō-*

ced. mai. quoad primum actum; secundus actus s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> etiam attingit autoritatem Dei revelantis, quia frequenter assentimur his veritatisibus, ut proponuntur ab Ecclesia, & ab Ecclesia proponuntur, ut à Deo revelatae; & saltem assentimur propter revelationem in confuso actu: quia per tales actus respiciuntur hæc mysteria, ut valedic distincta autoritate, & veritate ab alijs dictis humanis. Sed est magis expositus, ut cum non attingat, et si non attigerit, non est actus fidei strictæ; erit tamen fidei latæ, modo non damnato ab Innocentio XI. qui factus cum ignorantia invincibili, & cuonere alium faciendi, dum melius iudicaverit, sufficiet ad salutem, ut dicimus disp. 2. & diximus disp. 6. de Liber. arbitr. sect. 3.

140 Hæc patent ex Div. Thom. ad Rom. 4. sect. 1. vbi distinguens: Credere in Deum, credere Deum, & credere Deo. Dicit: Credere Deo est proprius actus fidei, eius speciem demonstrans. Nam credere in Deum demonstrat ordinem fidei ad finem, qui est per charitatem. Credere Deum demonstrat fidei

fidei materiam, secundum quod est fides Theologica habens Deum pro obiecto. Et ideo hic altius nondum attingit speciem fidei, sed solum quando ex hac ratione credit, quia à Deo dictum, quod designatur per Credere Deo: & ex hoc fides specificatur. Qua doctrina, & confirmantur rationes nostræ conclusionis, & solutio data. An sufficiat ad actum fidei assentiri propter revelationem virtualem, dicemus disp. 4. vbi affir-mabimus, & negabimus, pre diversitate Revelationis virtualis.

141 An verò actus interni, quibus adoramus imagines Christi propter honestatem adorandi excellentias Christi (hoc enim est obiectum formale illius adorationis, ut dicemus) attingant intrinsecè intentionaliter excellentias Christi, tanquam obiectum saltem materiale, & non solas imagines? Disputat Iatè Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 54. Lugo de Incarnatione, disput. 36. modo sufficiat dicere cum Div. Thoma. quæst. 25. in 3. part. artic. 3. Relinquitur, quod exhibetur ei reverentia, in quantum est imago: & sic sequitur quod eadem reverentia exhibetur.

*beatur Imagini Christi , & ipsi Christo:  
et si apretiando magis Christum , quam  
imaginem. Itaque adoratio terminatur  
ad Imaginem propter exemplar , non  
propter ipsam imaginem , seu quod est  
idem , propter honestatem , quæ datur  
in adorando Christo , adoratur imago ,  
minus apretiando Imaginem ,  
quam Christum.*

\*\*\*



S. C. 170. Disp. I. 1. 1. 1.

2. 2. 2. 2. 2. 2.

3. 3. 3. 3. 3. 3.

4. 4. 4. 4. 4. 4.

5. 5. 5. 5. 5. 5.

6. 6. 6. 6. 6. 6.

DIS-

(JESUS)

DISPUT. II.  
De ultimo resolutivo  
Fidei.



Um dixerimus motivum  
credendi mysteria reve-  
lata esse authoritatem , &  
revelationem , nunc in-  
quirimus quodnam sit  
motivum assentiendi authoritati , &  
quodnam sit motivum assentiendi re-  
velationis?

SECTIO I.

Quodnam sit motivum assentiendi devinae  
authoritatis?

I S Up. i. ex terminis Deitas  
sis , & authoritatis in di-  
endo esse verum , quod si Deus lo-  
qua-

quatur, eius testimonium erit verum.  
 Ratio est : quia ex terminis Deitatis  
 habet omnem perfectionem sine imper-  
 fectione. Et ex terminis *authoritatis*  
 est perfectio Iequi verum : ergo ex  
 terminis Deitatis, & authoritatis est  
 verum, quod si Deus loquatur, eius testi-  
 monium erit verum : cum hoc compo-  
 nitur, hanc veritatem non esse eviden-  
 tem rusticis non penetrantibus termi-  
 nos ; sicut apud ipsos non sunt eviden-  
 tes aliae veritates notae ex terminis.  
 Deum tamen existere absolute, & ab-  
 solute habere dictam autoritatem,  
 quamvis evidens est à posteriori, scili-  
 cet ex creaturis, non tamen est evidens  
 à priori, seu ex terminis.

2. Sup. 2. contra Lugo, disp. 1.  
 num. 100. & RR. Ad credenda my-  
 steria non sufficere autoritatem affir-  
 mari conditionatè, sed ulterius requi-  
 ritur, quod ipse actus credendi affir-  
 met absolute existentiam authoritatis  
 iuxta dicta ; vel saltem, quod  
 per alium actum præcedat absolute af-  
 firmata. Probatur. Fides amplectitur  
 testimonium loquentis propter autho-  
 ritatem, quam habet, non propter au-  
 thoritatem quam haberet : ergo vel  
 ipse

Ipsæ actus fidei affirmat absolute sua  
thoritatem , quod verum iudico , vel  
saltem supponit illam absolute affirmata-  
tam. 2. Actus fidei ita tendit : *Credo  
Incarnationem , quia Deus eum revelat;*  
sed hic actus non solum affirmat abso-  
lute existentiam revelationis , sed etiam  
Dei , & authoritatis : quia si non exi-  
steret absolute Deus , & authoritas ,  
esset falsæ suppositionis talis actus ; non  
minus ac falso supponeret hic *Perrus  
sapiens currit* , si non esset sapiens. Ita-  
que in utroque affirmatur implicitè , in  
uno sapientia , & in alio authoritas ;  
ergo affirmat absolute existentiam Dei ,  
& authoritatis. 3. Quia iuxta ipsos  
RR. assensus affirmans absolute exi-  
istentiam revelationis , affirmat abso-  
lute existentiam authoritatis ( quia re-  
velatio existens est purificatio condi-  
tionis existentiæ absolute authorita-  
tis ) sed actus fidei includit assensum  
absolute affirmantem existentiam reve-  
lationis , ut dicemus disp. sect. 7. er-  
go & absolute affirmantem existen-  
tiā authoritatis. 4. Ex terminis im-  
possibile est existere revelationem ,  
quin existat subiectum revelans , &  
testimonium esse absolute infallibile ,  
quin

qui absolute existat authoritas infallibilizans. Sed per fidem assentimus, & obsequium præstamus dicenti, quia eius testimonium est absolute infallibile: ergo quia habet absolute autoritatem infallibilizantem: ergo assensus fidei supponit absolute existentiam authoritatis; & consequenter vel affirmat, vel saltem supponit absolute affirmatam talem existentiam.

3 Dices cum Lugo, & RR. Si aliquis cognoscatur, quod si Deus loquatur, erit verum; & aliunde cognoscatur Deum loqui incarnationem: iam habet sufficiens antecedens, ut potest connexum, ad assentiendum existentiam incarnationis: ergo authoritas Dei conditionate cognita simul cum cognitione de existentia revelationis, est sufficiens ad credendum absolute mysticum. Explicatur: Ad inferendam hanc veritatem, *Existit consensus*, sufficit, quod ex parte antecedentis supponatur haec veritas, *Si existit auxilium, existit consensus*: *Existit auxilium*: quod est purificatio conditionis: quin ex parte antecedentis supponatur ipse consensus absolute existens: ergo ad inferendum existere absolute incarnationem, sufficit.

tit hęc conditionalis: si Deus loquatur in carnationē, existit incarnationē: Darur locatio incarnationis, quę est purificatio conditionis; quin necessitatis sit, quod præsupponatur existētia absoluta authoritatis.

4 Resp. conc. antecedenti, negando consequentiam: ratio est clara, quia in illa mai. Si Deus loquatur, eris verum, vel supponitur implicitè affirmata existētia authoritatis, & Dei, ve communiter supponitur; & sic iam præcedit affirmata absolute authoritas. Vel non ita supponitur, sed se habet tanquam conditio, & hypothesis suspensivè affirmata sicut revelatio; & sic tendit, Si Deus existat, & loquatur: hoc enim ad minus est necessarium: quia complexum ex his omnibus est quod est connexum cum consequenti; & non sola revelatio: Etsi hoc ita est, per propositionem minorem, per quam absolute affirmatur purificatio conditionis: affirmatur absolute authoritas, & existētia Dei. Deinde per te non possum affirmare absolute revelationem, quin absolute affirmem existētiam authoritatis. Sed per minorem affirmo absolute revelationem: ergo & authoritatem. Ad explicationem

respondeo, concessio antecedenti, nea-  
go consequentiam: quia cum consen-  
sus absolutus non sit conditio, sub qua  
affirmatur consensus, non est necessa-  
rium, quod consensus absolutus sup-  
ponatur ex parte antecedentis ad infe-  
rendum consensum; cum tamen ad mi-  
nus authoritas, & existentia Dei sit  
conditio, sub qua affirmatur Incarna-  
tio: est necessarium, quod ex parte  
antecedentis supponatur authoritas, &  
existentia Dei ad assentiendum incar-  
nationi. Circa haec vide plura sed. 44  
in fine.

5 Sup. 3. Existentiam absolutam Dei,  
& authoritatis, quæ non est per se no-  
ta, sed per aliud, scilicet per crea-  
tas, vel per argumenta credibilitatis,  
posse immediate movere assensum circa  
ipsam. Probatur: quævis veritas suffi-  
cienter apparens potest immediate mo-  
vere assensum, seu movere intellectum,  
ut assentiat propter ipsam: sicut boni-  
tas apparens per cognitionem potest  
movere voluntatem. Sed non minus  
apparet authoritas per argumenta cre-  
dibilitatis, ac bonitas per cognitionem:  
ergo sicut bonitas sic apparens potest  
movere voluntatem, ut eam amet prop-

ter ipsam, sic authoritas apparet post movere intellectum, ut ei assentiat propter ipsam. 2. Iuxta Adversarios intellectus potest assentiri revelationi apparenti per argumenta credibilitatis, propter ipsam: ergo authoritati apparenti per argumenta credibilitatis potest assentiri propter ipsam.

6. 3. Eatenus authoritas non potest movere immediate assensum, quatenus non habet vim motivam: vel quia non apparet ex suis terminis. Sed non deficit potestas movendi ex defectu vis motivae: quia quævis veritas habet vim motivam assensus: sicut bonitas vim motivam amoris. Neque deficit potestas movendi ex eo, quod non apparet ex suis terminis: quia hic defectus non est defectus vis motivae; sed solum defectus applicationis, seu defectus vis motivae in esse proxime potentis movere, ad modum quo bonitas non cognita vim habet motivam amoris, & solum desideratur cognitio tanquam applicatio eam constituens in esse proxime ponentis movere. Ignis non applicatus vim habet comburendi, & solum desideratur applicatio tanquam conditio reddens proxime expen-

editam vim comburendi : ergo si semel appareat authoritas per argumenta credibilitatis , poterit immediate movere assensum : sicut si semel appareat bonditas poterit immediate movere affectum adæquatè : sicut si semel applicatur ignis poterit immediate , & adæquatè producere ignem .

7 His suppositis , prima sententia ( quod attinet ad authoritatem ) dicit fidem resolvi in Deitatem : quia auctoritati assentimus propter Deitatem tanquam ultimum resolutivum : ita Capreolus in tertium Sententiarium , dist . 24. art . 2. Caiet . hic dubio 1. Auseol . apud Capreolum : tribui etiam solet Div . Thom . 1. parte , quæst . 1. artic . 7. Et Scoto , in tertium Sententiarum dist 23. quamvis Suarez afferat ; horum mentem esse aliam . Secunda affterit , assensum fidei resolvi in auctoritatem ut revealatam . Ita Suarez disp . 3. sect . 4. Oviedo controversi . 2. num . 112 Ogea disp . 3. sect . 2. Tertia resolvit fidem in auctoritatem , ut cognitam lumine naturali . Ita quidam citati à Suarez sect . 6. Quarta resolvit fidem in auctoritatem , ita tamen , ut hæc non affirmetur per fidem ; sed tan-

tum supponatur, & connotetur: itaque dicunt: si credens rogetur, cur credisse Respondebit: quia Deus verax dicit: si tamen rogetur, cur est verax? Non tenetur respondere; quia hoc non affirmatur per fidem. 5: sententia resolvit fidem in authoritatem ipsam cognitionem per assensum supernaturalem fidei: ita SS. Magistri secuti Ripalda disput. 3. sect. 1, Gonet disp. 11 cap. 152.

## SECTIO II.

*Nostra sententia per varias conclusiones declaratur.*

**S** Dico 1. Fides non resolvitur ultimo necessario in Deitatem. Prob. Eatenus fides ultimo resloveretur in Deitatem, quia auctoritas apparet nobis per Deitatem. Sed haec ratio vim non habet: quia aequaliter probat, quod fides resolvi debet in creaturas: cum existentia Dei appareat per creaturas, & non ex terminis Deitatis: ergo fides non resolvitur necessario in Deitatem. Explicatur: Aliud est principium subjectivum obiecti in esse rei;

Aliud est principium obiectivum obiecti in esse credibilis : verum est Deitatem ut potest radicem authoritatis esse principium subiectivum authoritatis. Sed non inde sequitur esse principium obiectivum authoritatis respectu omnis assensus; sed solum ad summum respectu assensus scientifici , qui à radice arguitur, & radicatur à priori; non vero respectu omnis assensus. Quod probat. 1. Quia primæ qualitates sunt principium subiectivum coloris, & non sunt principium obiectivum videndi colorem. 2. Quia aliud est, an authoritati possimus assentiri propter Deitatem; aliud an sit necessarium? Verum est, nos posse assentiri authoritati propter Deitatem realiter sumptam ; inadæquatè propter eandem formaliter sumptam. Si autem rogemur, cur Deus sit verax? Possimus respondere, quia est Deus, qui titulo talis habet omnem perfectionem sine imperfectione , & hæc est perfectio: sicut si rogemur, cur datur Petrus? Possimus respondere, quia datur actio: & ultra, quia datur decretum de existentia Petri, verum non est necessarium; sed simul apparente auctoritate, possimus assentiri ipsi prop-

ter ipsam, quin ex vi huius assensus possimus ultra progredi, vel saltem quin indigeamus.

9 Sicut si rogemur, cur vides colorum? Recte respondemus, quia datur color approximatus potentiae: et si rogemur, cur datur color approximatus potentiae? Possimus respondere aliam rationem subiectivam: quin ex hoc probetur, colorem non esse ultimam rationem obiectivam moventem potentiam visivam. Et ratio est: quia quævis veritas sufficienter apparet per se ipsam movere cognitionem, sicut bonitas amorem. Deinde aliud est, si roger, cur datur authoritas? Aliud si roger, cur assentiris dari authoritatem? Huic secundæ interrogationi, quia ly curclarè denotat rationem obiectivam, seu motivum, sit satis dicendo, assentio propter ipsam: quia tamen cur primæ rogationis potest esse equivocum, & rogare de principio subiectivo veracitatis, aut de motivo assentiendi, respondendum est cum distinctione. Quod autem hic assensus possit esse supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei postea videbimus.

10 Dico 2. Fides non resolvitur

in authoritatem, ut cognitam lumine naturali: quia certitudo obiecti materialis fidei debet commensurari cum certitudine obiecti formalis, quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo si fides resolvitur in authoritatem, ut cognitam lumine naturali, infallibilitas fidei commensuraretur cum infallibilitate assensus naturae: quod videtur esse contra communem sensum SS. PP. Dicere autem, quod fides solum potest elicere actus strictè credendi: idèoque esse naturalem assensum dictum ultimo resolutivum, est falsum: quia postea videbimus quomodo assensus non innitens revelationi, possit eliciri ab habitu fidei.

II. Dico 3. Fides non resolvitur in authoritatem, ut revelatam. 1. Quia catenus deberet ita resolvi, quatenus assensus, quo assentiremus authoritati propter ipsam, non esset supernaturalis, nec elicitus à fide. Sed assensus dictus esset supernaturalis, & elicitus à fide, ut postea dicemus: ergo non debet ita resolvi. 2. Quia catenus ita resolveretur, quatenus omnis revelatio debet reflexè revelare se ipsam, authoritatem loquentis, & omne prærequisitum

hinc ex parte loquentis ad loquendū. Sed hoc saltem copulativē est falsum, ut suprà diximus: ergo ratio est nulla. 3. Adhuc quando credimus authoritatem, ut revelatam, debet dari respectus intentionalis infallibilis in actu ad authoritatem, cuius infallibilitas, formaliter loquendo, non sumatur ab autoritate, ut revelata. Prob. Quando credimus authoritatem revelatam propter authoritatem *revelantem*, distingui debet respectus ad autoritatem revelantem, quæ est motivum, à respectu ad autoritatem revelatam, quæ est objectum materiale. Sed respectus ille ad autoritatem, ut *revelantem*, est omnino infallibilis: alias neque talis esset respectus ad autoritatem revelatam: quia propter quod unumquodque tale, &c. Ergo quando credimus autoritatem, ut *revelatam*, debet dari respectus infallibilis circa autoritatem *revelantem*, cuius infallibilitas non sumatur ab autoritate, ut *revelata*.

¶ 2 2. Antequam assentiam authoritati propter testimonium debet apparere authoritas modo suavissimo: quia cum infallibilitas proveniat testimonio ex authoritate, sicut non possum assentiri

ex testimonio, ut infallibili, quin præcognoscam eius infallibilitatem: ita etiam non potero assentiri, quin prius proponatur authoritas infallibilizans. Vel ergo sic prius proponitur authoritas per iudicium de autoritate innitens in ipsa? Et sic cum hoc iudicium sit elatum à fide sufficiet, ut in illo nittatur assensus fidei. Vel proponitur sic prius authoritas per apprehensionem suasivam? Et sic cum cuivis veritati sufficienter apparenti possim assentiri propter ipsam: potero tunc assentiri authoritati revelanti propter ipsam, quin ad talē respectum, ut talē, moveat ex testimonio. Mitto alias formas, quia hæ sufficient, & aliæ ex SS. RR. in dicta recidunt.

13 Adverte ex dicendis disp. 6. non esse de ratione actus fidei, quod sit obscurus; & admissio, quod hoc esset de essentia actus credendi, non tamen de essentia actus fidei, qui non sit credendi. Hinc quando assentimus authoritati divinæ, quia revelatæ, hic assensus potest esse obscurus relatè ad authoritatem, ut revelatam, & ut revelantem; sed frequentè esset clarus relatè ad authoritatem revelantem specificative resump-

sumptam', licet clarus relatè ad autho-  
ritatem revelantem specificativè sump-  
tam: quia vnicè movetur ab authorita-  
te, quæ evidenter, eisì non ex terminis  
apparere posset. Eset obscurus relatè  
ad authoritatem, ut *revelatam*; & ut  
*revelantem*, quia prout habet hunc res-  
pectum, movetur à revelatione, quæ  
potest obscurè proponi.

24 Dico 4. Fides non ita resolvi-  
tur in authoritatem, ut hæc non affir-  
metur, sed supponatur: 1. Quia licet  
non esset necessarium, actum credendi  
affirmare authoritatem, tamen possibi-  
lis est actus credendi eam affi- mans  
quale ergo erit vitium resolutivum  
huius actus. 2. Non est magis diffi-  
ciele, actum credendi affirmare authori-  
tatem propter ipsam, quam affirmare  
revelationem. Sed actus credendi etiam  
iuxta aliquos ex Adversarijs affimat  
revelationem: ergo & authoritatem.  
3. Quia RR. non ita fugiunt difficultate  
interrogationis: licet enim sic af-  
fentiens non possit interrogari, unde  
ibi constat autoritas, quam affirmare.  
Potest tamen sic interrogari: *Vnde ibi  
constat autoritas, qua supponis?* Præfer-  
tim cum hi RR. supponant authoritatem

per modum obiecti formalis. Mitto  
quod ex dictis motivum fidei debet ac-  
tingi indicative per actus credendi.

15 Adverte : utrum esse , posse  
actum aliquam denominationem tri-  
buere obiecto materiali , quam non tri-  
buat formalis : ut patet in actu detestan-  
te peccatum propter bonitatem divi-  
nam. Inde & in actibus fidei fre-  
quenter ita accidit ; quia obiecto ma-  
teriali tribuunt denominationem obie-  
cti credendi , & obiecto formali solum  
tribuunt denominationem obiecti indi-  
cari. Ceterum cum assentimus obiecto  
materiali propter formale , & cum ob-  
iectum formale , ut existens , moveat  
ad assensum obiecti materialis , si actus  
credendi tribuit aliquam denominatio-  
nem obiecto formalis , est denominatio  
iudicata ; quia si Deus non esset verax ,  
non minus falso supponeret hic actus ,  
*Credo quia Deus verax dicit* , quam hic ,  
*Ferrus sapiens currit* , si Petrus non es-  
set sapiens : in utroque igitur implici-  
tè affirmatur , in uno authoritas , in  
alio sapientia.

## §. I.

16 Dico 3. Actus fidei prout ter-  
mina-

minatus ad divinam authoritatem ultimo resolvitur in authoritatem proprie ipsam. Ita praeter citatos Sendin nobis Iis Scotista contr. 2. de Fide, quæst. 2. quem hic cœpi legere, quia modo in lucem editus. Probatur assensum fidei ultimo terminari in authoritatem propter ipsam est authoritatem ita moveare ad assensum, ut hic non indigeat alio motivo. Sed authoritas potest ita moveare ad assensum fidei, ut assensus non indigeat alio motivo; ergo assensus fidei ultimo resolvitur in authoritatem propter ipsam. Min. patet ex num. 5. Prob. tamen Assensus terminatus ad authoritatem, qui unice moveatur ex autoritate, erit certus, supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei: ergo sufficiens erit, ut in illo nimirum assensus mysteriorum, quin indigeat alio motivo. Probatur antecedens: de ratione habitus est, non solum attingere obiectum materiale propter formale; sed etiam attingere obiectum formale propter ipsum. Ideo ad charitatem non solum spectat amare creature propter Deum; sed etiam amare Deum propter ipsum: qui actus habent eundem ordinem, & gradum charitatis: quia

habent idem motivum : ergo de ratione habitus fidei erit , non solum attin gere obiectum materiale propter formale ; sed etiam attingere formale propter ipsum , & consequenter assensus authoritatis propter ipsam erit elicitus ab habitu fidei supernaturalis , & certus certitudine fidei. *Confirm.* Assensus revelationis propter ipsam est supernaturalis , & elicitus ab habitu fidei : ergo assensus authoritatis propter ipsam erit supernaturalis , & elicitus ab habitu fidei. Quod enim talis assensus sit evidens non obest , ut elicatur ab habitu fidei : sicut iuxta Thomistas assensus evidens de credibilitate mysteriorum elicetur ab habitu fidei.

17 Adverte , habitum principiorum , & concusionis posse esse eundem , quando datur idem obiectum formale , siue etiam est idem habitus intentionis , & electionis , quando est idem obiectum formale : ex his patet , cum actus tendens solum circa autoritatem propter ipsam non sit actus credendi , habitus fidei potest elicere assensus ; qui non sunt actus credendi , qui assensus sufficient ad actum amoris Dei , attendit natura amoris ; non tan-

men sufficient ad iustificationem ( falso  
tem in denuo conversis ad fidem ) in  
hac providentia , & consequenter ne-  
que ad amorem iustificantem per se  
loquendo : quia ad iustificationem re-  
quiruntur actus strictæ fidei , seu actus  
credendi iuxta Apost. *Oportet creden-  
re , quia est , & quod inquirentibus se  
remuneratur sit.* Et non sufficit actus fi-  
dei latæ , qualis est quævis cognitio  
Supernaturalis , ut constat ex proposi-  
tione 23. Innocentij XI. vnde quam-  
vis , attenta natura amoris Dei , suffi-  
ciat cognitio bonitatis ad amandum  
Deum ; tamen in hac providentia ad  
amorem iustificantem non sufficit cre-  
dere divinam bonitatem ; sed ulterius  
requiritur credere , quæ proponit  
Apostolus. Dixi per se loquendo:  
quia per accidens sufficere poterit ea  
ratione , qua diximus disp. 6. de Liber.  
Arbitr. sect. 3. & disp. 1. de Iustific.  
sect. ultim.

18 Obijsc. 1. Authoritas *absoluta*  
existens non appareat ex terminis : ergo  
requiritur aliud obiectum , scilicet pro-  
positio Ecclesiæ , aut argumenta credi-  
bilitatis , ut possit movere. Nunc Sic:  
Id quo præcisè deficiente , authoritas

non

non potest movere fidem , est constitutivum motivi. Sed præcisè deficiente alio obiecto , authoritas non potest movere fidem ; ergo aliud obiectum est constitutivū motivi. *Argumentum probat*, cognitionem bonitatis nō esse solam conditionem; sed constitutivum motivi amoris , & applicationem ignis non esse solam conditionem ad combustionem; sed virtutem productivam illius. *Resp.* Verum esse requiri aliud obiectum , ut possit movere ; requiritur tamen aliud obiectum , non tanquam vis motiva; sed tanquam conditio redens , & constituens autoritatem proximè potentem movere : sicut accidit in cognitione bonitatis , & applicatione ignis. *Ad prob. dist.* Id quo præcisè deficiente , authoritas non potest movere fidem ex defectu *vis motiva* , est constitutivum motivi , conc. mai. ex defectu *conditionis applicantis* ; neg. mai. & dist. min. neg. cons. Quia hoc solum probat , aliud obiectum esse constitutivum huius , quod est autoritatem est esse proximè potentem movere , quod est verum.

19 Obijc. 2. Actus , quo credimus mysteria revelata , est firmior , quam

quam quilibet alias assensus non elicimus à fide , quo iudicamus omnipotenciam, immensitatem, & quasvis alias vegetates: tura quia assensus supernaturalis, qualis est actus credendi mysteria, reservari debet ad credendum Deo : si-  
cūt amor super omnia ad amandam di-  
vinam bonitatem : tum quia reverentia  
est Doo debita , ut parati sumus potius  
dubitare de quovis alio obiecto , quam  
de obiecto à Deo testificato. Nunc sic:  
actus , quo credimus mysteria revelata,  
est certior , quam actus non elicitus à  
fide , quo assentimus omnipotentiae,  
&c. ergo assensus , quo assentimur au-  
thoritati , etiam est certior , quam af-  
fensus , quo assentimur omnipotentiae:  
siquidem certitudo actus credendi my-  
steria commensuratur cum certitudine  
assensus circa authoritatem , ex illo  
principio propter , quod , &c. Sed af-  
fensus , quo assentimur authoritati , non  
est certior assensu , quo assentimur om-  
nipotentiae, &c. quia authoritas nec est  
magis nota , nec magis Deo debita , nec  
magis necessaria , quam omnipotentia:  
nec actus connectitur magis cum au-  
thoritate , quam cum omnipotentiae:  
quia connexione metaphysica , in qua

non est magis , nec minus connectitus cum quovis prædicato necessario : ergo actus credendi mysteria non resolvuntur in authoritatem , ut indicatam properter se ; sed in illam , ut creditam , properter revelationem , vt sic habeat assensus authoritatis tantam certitudinem , ac assensus mysteriorum.

20 Resp. cum Ripalda , contra Lugo , & Sendin supr. num. 45 . Actus credendi solum esse certiores assensu , naturali scilicet , quo assentimur omnipotentiæ , certitudine accidentalí desumpta ab imperio , & extensivè certiores , scilicet à principio , non verò intensivè . Ratio autem , cur sint certiores certitudine desumpta ab imperio est : quia ea reverentia est debita divino testimonio , ut parati simus de quavis alia veritate dubitare , potius quam de rebus revelatis . Non , quia hæc sunt in re magis certa , quam illa , si illa sunt in re metaphysicè certa ; sed quia facilius est , nos falli circa res , quæ nobis apparent evidentes , quam circa res , quæ apparent moraliter certo revelatæ : hæc namque nunquam fecellerunt : & quæ apparent evidentes sæpè fallunt privatim : & aliquando universaliter fecellerunt in illo

Illo principio, que sunt eadem uni certio, quod post fidem apparuit incertum ea universalitate, qua accipiebatur; ex qua ratione voluntas prudenter impe-  
rat assensum super omnia mysterijs re-  
velatis: quia mysteria revelata, ut potest  
quæ nunquam fallunt, ex genere suo  
sunt certiora, quam alia obiecta evi-  
dentè apparentia; quamvis si hæc ob-  
iecta sint in re metaphysice certa, nul-  
lum est in re certius alijs: ratio autem  
cur actus credendi sunt extensivè certio-  
res, quam assensus naturales circa omni-  
potentiam v. gr. imò & quam super-  
naturalis distinctus à visione Beata, est  
quia ex novo titulo est certus meta-  
physicè actus credendi, scilicet ex eo,  
quod sit actus fidei Theologicæ.

21 Quod verò actus credendi non  
debeant esse intensivè certiores, imò ne-  
que extensivè omni alio actu, patet;  
quia non sunt certiores visione Beata;  
quia hæc nunquam fallit, nec fallere  
potest, & habet alium titulum certitu-  
dinis, scilicet esse elicitam à lumine  
gloriæ, cuius substitutum est habitus  
fidei. Deinde non sunt intensivè certio-  
res, quam alij actus naturales, aut su-  
pernaturales nō eliciti à fide circa omni-

nipotentiam , & immensitatem . Quia non est , cur sit debitus maior amor diuinæ bonitati , quam diuinæ omnipotentiæ : cum hæ sint æquè bonæ : ergo nec est , cur sit debitus certior assensus divinæ authoritatì , & mysterijs revelatis , quam omnipotentiæ , & alijs attributis evidenter apparentibus , & æquè certis , ac est divina authoritas .

22 Et ratio à priori est : quia in primis divina authoritas , & mysteria revelata non sunt certiora alijs veritatis certitudine obiectiva consistente in connexione obiecti formalis cum materiali : quia hæc connexio est metaphysica , & plures aliae connexiones metaphysicæ dantur in re : & inter connexiones metaphysicas non est una major alia : quia non est certius id , ex cuius carentia sequuntur centum contradictiones , ac id , ex cuius carentia sequuntur duo contradictiones : cum æquè impossibile sit unum , ac aliud . Deinde actus credendi non est certior certitudine connexionis intrinsecæ , & ex modo tendendi fidei : quia etiam dantur aliij actus habentes connexionem intrinsecam cum suis obiectis : hi enim actus , Dominus existit : est omnipotens :

creatura pender à Deo : habent connexiōnem metaphysicam cum sui veritate , & cum suis obiectis. Deinde actus credendi non est certior alijs certitudine subiectiva identificata cum assensu , quæ vocatur certitudo indubitabilitatis , seu repugnantiae cum formidine : quia in hoc plures actus naturales excedunt actus credendi : hæc enim certitudo consistit in claritate actus: quod enim clarior est actus , magis pugnat cum formidine : ideo assensus probabilis nō pugnat cum formidine prudenti : & assensus evidens moraliter , qui clarior est probabili , pugnat moraliter cum formidine , seu pugnat cum formidine prudenti , non cum imprudenti . & assensus evidens metaphysicè pugnat non solum moraliter ; sed physicè cum formidine , id est , pugnat cum formidine prudenti , & imprudenti . Quæ major , vel minor claritas actus colligitur ex maiori , aut minori claritate , qua per argumenta apparet obiectum , & cum ea commensuratur . Cum ergo componi possit cum actu fidei , formido imprudens , secus cum actu evidenti naturali : actus fidei non est certior omni actu naturali certitudine intrinseca

indubitabilitatis , & repugnantiae cum  
formidine. Solum ergo restat , quod  
actus credendi sit *extensivè* certior,  
quam evidentes naturales : Et quod sit  
certior certitudine extrinseca indubita-  
bilitatis , illa scilicet , quæ provenit ab  
imperio.

## SECTIO IIJ.

*Quodnam sit motivum assentiendū  
revelationis?*

**S**3 R Atio dubitandi est: quia cum  
existentia revelationis non  
appareat ex terminis , potiusquam eius  
carentia , necessarium erit aliud moti-  
vum ad assentiendum existentiae revela-  
tionis : hoc autem motivum non po-  
test esse alia revelatio reflexa , vel ipsa  
revelatio supra se reflectens : quia hæc  
reflexio utroque modo sumpta est æquè  
ignorata ex terminis , ac directa , nec  
potest dici cum Medina lib. 5. de Re-  
futa in Deum fide , cap. 11. Et Duran-  
do in tertium dist. 24. quæst. 1. au-  
thoritatem humanam Ecclesiæ esse mo-  
tivum assentiendi revelationi: quia hæc  
authoritas ( præterquam non est moti-

vum, neque specificativum fidei divinæ, idèque nec resolutivum) est motivum fallibile: motivum autem fallibile non est sufficiens motivum assensus infallibilis; qualis est assensus fidei, qui debet habere infallibilitatem non solum ex principio, sed etiam ex motivo, iuxta Apost. ad Tesal. 2. *Gratias agimus Deo, quia accepistis verbum auctoritatis Dei, non ut verbum hominum, sed ut est verbum Dei.* Et Ioann. 12. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Et Matth. 16. *Beatus est Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Quibus verbis aperte indicatur actum fidei debere esse infallibilem ex motivo; idèque autoritatem humana Eclcesiaz, & verbum hominum, ut est verbum hominum, non posse esse resolutivum assensus fidei. *Explicatur:* Possibilis est assensus fidei divinæ, qui ita sit propter autoritatem divinæ revelationis, ut nullo modo sit fidei humanæ, seu propter autoritatem humanam: quale ergo erit resolutivum huius assensus, qui non moveretur ab autoritate humana; et si hic assensus est possibilis, cur non erit talis vi-

pctus fidei de facto? Quomodo ergo resolvetur in authoritatem humanam?

24 Deinde neque resolvi poterunt in authoritatem Ecclesiæ, vt infallibilem ex assistentia Spiritus Sancti, qui non permittit Ecclesiam errare in rebus ad religio nem pertinentibus.

Quia vnum ex mysterijs credendis est hæc assistentia infallibilis Spiritus Sancti, vnde ergo credimus, & assentimus huic assistentiæ? Si dicas, quod propter revelationem: bene: & revelationi propter quod assentimur? Si dicas, quod propter assistentiam infallibilem: committimus circulū sæpè obiectum ab hereticis. Dicere autem, quod hæc authoritas infallibilis, seu assistentia Spiritus Sancti ex suis terminis est nostra, vt inquit Elizalde de Vera Religione, ex ipsis terminis est falsum: alias frustra laborassent SS. PP. varijs modis probando, Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram Dei Ecclesiam. Quod autem pueri instruantur, vt credant, quæ dicit Ecclesia; non est vt credant, quia dicit Ecclesia; sed vt credant, quia dicta à Deo, quæ dicit Ecclesia; hoc est, quæ moraliter certa sunt revelata. Quale ergo erit motivum?

25 Ad decisionem sup. i. non bene resolvi hanc quæst. dicendo cum Cano de Locis, lib. 12. cap. 13. Aragon 2. 2. quæst. 1. art. 1. Bañez hic dub. 1. concl. 6. Molin. 1. part. quæst. 1. art. 3. Aetum fidei resolvi in habitum, seu lumen fidei, nec dicendo cum Granados tract. 1. à disp. 5. resolvi in auxilium actuale gratiæ. Et ratio est, quia hæc quæstio procedit de resolutivo obiectivo, non de subiectivo: verum est habitum fidei, & auxilium esse rationem per modum principij existendi actum fidei: ad modum quo lux est ratio videndi colorem, & potentia ambulandi est ratio eundi Romanam; verum sicut si quis rogaret, quare ivisti Romanam? Non rectè responderes, quia habui potentiam ambulandi: & sicut lux non se habet, ut motivum visionis; sed tantum, ut conditione: ita quæstioni inquirenti, quare assentiris revelationi? Non rectè respondetur, quia datur auxilium habitus, seu lumen fidei constituens credibilitatem subiectivam, seu potentiam proximam credendi: Agimus namque de credibilitate obiectiva, seu de motivo assentiendi. Vide plura apud Suarez, & Lugo.

26 Sup. 2. Veritas per se nota non differt ab alijs non talibus in eo , quod primæ moveant se ipsis immediate assensum; secundæ verò non moveant se ipsis immediate. Ratio est, quia quævis veritas, si sufficienter appareat , potest immediate movere sui assensum : sicut color quamvis non appareat per se , sed per lucem , potest immediate movere visionem; & bonitas , quamvis non appareat per se , sed per cognitionem, potest immediate movere amorem : ita enim se habet veritas respectu intellectus , sicut color respectu potentiae visivæ , & bonitas respectu voluntatis. Neque differunt in eo , quod omnis assensus veritatis per se notæ , seu primorum principiorum, seu omnis assensus immediatus ( hæc in idem recidunt) debeat esse evidens ; secus verò assensus veritatis non per se notæ : quia si veritas , quæ per se non est nota appareat evidenter per argumenta illam suadentia , erit veritas evidens , & eius assensus erit evidens. Sic assensus circa existentiam Dei habitus per motivum creaturerum est evidens ; et si appareat per argumenta suadentia cum moraliter certitudine , veritas erit moraliter cer-

ta , & assensus moraliter certus. Etsi appareat probabilitèr, erit probabilis.

27 Imò quod valdè notandum est cum Lugo hic num. 119. & addit à nullo posse negari. Non omnis assensus veritatis per se notè debet esse evidens; sed potest dari aliqua veritas per se nota , seu nota ex terminis , quæ tantum sit probabilis. Et ratio est: quia veritatem esse per se notam est , quod appareat ex sola apprehensione subiecti ; & prædicati. Sed ex tali apprehensione potest veritas apparere iam evidenter , iam moraliter certo , iam probabiliter: ergo potest contingere , quod aliqua veritas sit per se nota , & non evidens; sed tantum probabilis. Probat. & explicatur min. Prima principiо, ex quibus deducuntur conclusiones probabiles, vel sunt evidentia, vel sunt probabilia; si probabilia: ergo veritas solum probabilis, & solum probabiliter apprens , adeoque solum cognita assensu probabili, potest esse per se nota. Si sunt evidentia , quomodo existit conclusio probabilis ex præmissis evidentiibus? Si dicas idè deduci conclusionē probabilem , qui non est evidens; sed solum probabile, talem conclusionem de-

duci ex illis præmissis: benè; sed rogo:  
 Illud principium de bonitate talis illa-  
 tionis est primum principium, vel non?  
 Si est primum principium: ergo iam  
 datur primum principium, & veritas  
 pér se nota, quæ sit tantum probabilis.  
 Si non est primum principium? iterum  
 rogo; & sic abibimus in infinitum, do-  
 nec solumus in aliquo primo princi-  
 pio, quod sit tantum probabile, & per  
 se notum.

28. Prob. 2. Assensus immediatus  
 est assensus versans circa prima princi-  
 pia. Sed potest dati assensus immedia-  
 tus, qui sit tantum probabilis: ergo  
 potest dari assensus circa prima princi-  
 pia, qui sit tantum probabilis. Min. pa-  
 tet ex Arist. cap. 16. Posteriorum di-  
 cente: *Opinionem esse acceptationem im-  
 mediatae propositionis non necessarie.*  
 Alièr: Opinio immediata versatur cir-  
 ca prima principia. Sed iuxta Aristot.  
 immediatè relatum, datur opinio im-  
 mediata: ergo potest esse opinio actus  
 versans circa principia immediatè. Mit-  
 to, ita accidere in pluribus conclusio-  
 nibus tantum probabilibus. *Alij enim*  
*dicunt per seitatem ex suis terminis, seu*  
*immediatè, ostendere identitatem sui*

cum

cum entitate; & hæc propositio est tan-  
tum probabilis. Alij dicunt, veram Re-  
ligionem ex terminis se discernere à  
falsa: & sic de alijs propositionibus tan-  
tum probabilibus.

29. Sup. 3. Argumenta suadentia  
aliquam veritatem posse esse motivum  
assensus talis veritatis: quia cum hæc  
argumenta sèpè habeant connexionem  
cum tali veritate, sive probabilitè, sive  
certo, sive evidenter iuxta varias con-  
clusiones, & propositiones argumento-  
rum. Hæc connexio est sufficiens fun-  
damentum, & motivum ad assentien-  
dum tali veritati; imò si argumenta ita  
evidenter suadeant tales veritatem, ut  
necessitent ad assensum, argumenta sine  
dubio erunt motivum assensus: quia  
cum ex vi argumentorum necessario  
rapiatur intellectus in assensum, & non  
sit assignabilis ratio, cur potius moveat-  
tur assensus ex ipsa veritate, quam ex  
argumentis: imò cum ex eo quod per  
argumenta appareat veritas, detur ma-  
ior conducentia, ut ex ipsis potius,  
quam ex veritate obiecti moveatur;  
tunc sine dubio assensus movebitur ex  
argumentis. Si vero per argumenta so-  
lum appareat veritas certo moraliter;

tunc,

tunc , sicut potest voluntas suspendere assensum, potest etiam ex eius nutu determinare assensum , qui moveatur ex solis argumentis , vel ex sola veritate obiecti , vel ex utroque.

30 Sup. 4. Omnia, quæ aliquomodo inclinant , vel persuadent aliquam veritatem , dicuntur aliquomodo movere ad assensum , & in hoc sensu omnes conditiones obiectivæ movent quasi extrinsecè ad assensum ; verum hoc non est propriè movere : quia non sufficit hæc motio ad specificandum assensum : ad modum quo charitas inclinans ad actum misericordiæ , dicitur movere ad misericordiam , & illa misericordia non specificatur à charitate, neque est actus charitatis. Item ex complacentia in bonitate divina potest oriiri actus misericordiæ , qui actus non specificetur à bonitate divina. Quæstio ergo procedit de motivo proprio , & specificativo assensus.

31 Sup. 5. Argumenta credibilitatis , & autoritatem humanam Ecclesiæ esse sufficiens motivum ad assentendum revelationem esse prudenter credibilem. Et ratio est: quia argumenta

ta credibilitatis , & authoritas humana Ecclesiæ redunt moraliter certam existentiam revelationis ; & in hoc sensu verum est argumenta credibilitatis , & authoritatem humanam Ecclesiæ esse motivum fidei. Item quando dicimus nos aliquid credere , quia illud dicit Ecclesia loquendo de authoritate humana , ideo est quia tunc non loquimur de motivo assensus præstiti mysterio ; sed solum de motivo , quod habemus ad iudicandum , illud mysterium esse prudenter credibile , seu ex obligatione credendum.

32 Dico : Motivum sufficiens a sensu revelationis esse ipsam revelationem , quin authoritas Ecclesiæ , argumenta credibilitatis , aut quodvis aliud exigatur tanquam motivum necessarium ; sed solum tanquam conditione obiectiva ; per quam appareat veritas revelationis. Ita Exim. Suar. disp. 3. sect. 3. Tannerus disp. 1. quæst. 5. dub. 5. Coninc , Arriaga , Oviedo , Ogea , Gonet , disp. 1. art. 2. §. Ferrer tract. 1. quæst. 1. Carmelitæ disput. 5. num. 172. Palanco disp. 1. quæst. 3. addit hic esse ipsam revelationem , ut revelata mihi se ipsa , quod videtur

detur insinuare D. Thom. infrā. Sed quidquid sit, an testimonium suprā se reflectat, existimo non esse necessarium, ut revelatio sit motivum sui assensus, ut dicemus sēc. 4. Probatur 1. iuxta D. Thom. quæst. 14. de Veritate, art. 8. ad 16. testimonium se habet in fide, sicut principium in sciencijs demonstrativis. Sed primis principijs assentimur propter ipsa: ergo revelationi possumus assentiri propter ipsam, & ibi ad secundum. *Quamvis* divino testimonio sit de omnibus credendum; tamen divinum testimonium, sicut & cognitio, primo, & principaliter est de se ipsa; & consequenter de alijs. Sed alijs assentimur propter testimonium: ergo testimonio possumus assentiri propter ipsum. 2. Iuxta dicta quævis veritas potest se ipsa movere assensum, si sufficienter appareat; sicut quævis bonitas, si sufficienter appareat, potest movere amorem. Sed revelatio sufficienter appetit per argumenta credibilitatis: ergo revelatio sic apparenſ potest movere per se ipsam ad sui assensum. Probatur mai. quia cum quælibet veritas connexionem habeat secum ipsa, non est car non possit movere sui assen-

assensum; si talis veritas sufficienter appareat. Ideò enim aliud motivum potest movere assensum circa existentiam revelationis, quia apparet connexum cum existentia revelationis. Sed revelatio apparet non minus connexa cum sui existentia: ergo.

33 Confirm. 1. Id quod potest esse ratio assentiendi alteri, potest esse ratio assentiendi sibi ipsi. Sed revelatio sic apparen<sup>s</sup> obscura potest esse ratio assentiendi mysterio: ergo potest esse ratio assentiendi ipsi revelationi. Minor conceditur ab omnibus, & mai. ex se, & ex illo principio, propter quod unumquodque, &c. videtur patere.  
 2. Assensus qui moveretur ex revelatione, esset omnino certus certitudine obiectiva: quia tunc obiectum formale est connexum metaphysicè, immo logicè cum obiecto materiali assensus. Deinde est elicitus ab habitu fidei, consequenterq; supernaturalis: quia de ratione habitus est, ut supra diximus, non solum assentiri obiecto materiali propter formale; sed etiam assentiri obiecto formaliter propter se ipsum, ut patet in charitate: ergo talis assensus est supernaturalis, & elicitus ab habi-

tu fidei , & consequenter in illo nisi  
potest assensus mysteriorum.

34 Hinc inferes, authoritatem hu-  
manam Ecclesiæ esse tantum conditio-  
nem obiectivam , & non esse determi-  
nare requisitum : quia si aliunde appa-  
reat revelatio , scilicet per miracula,  
vel per scientiam infusam de revelatio-  
ne, vel aliter, erit potens proxime mo-  
vere. Verum casu quo motivum extrin-  
secum esset propriè motivum, ea ratio-  
ne , qua dici solet veritatem præmissa-  
rum , et si non attractam à conclusione,  
esse obiectum formale extrinsecum cō-  
clusionis ; adhuc non esset in hoc sensu  
authoritas Ecclesiæ motivum extrinse-  
cum: quia conclusio adhuc in illo casu,  
supponit determinatè illas præmissas  
ut denotatur per ly *ergo*. At verò ut  
revelatio moveat non exigit determi-  
nare apparere per authoritatem huma-  
nam Ecclesiæ , idemque de quovis alio  
motivo determinatè sumpto: quia quo-  
modocunque appareat , movere pote-  
rit assensum. Si enim evidenter , vel in  
verbo, vel aliter appareat , movere po-  
test assensum. Deinde obiectum præ-  
missarum utpote identificatum cum ob-  
iecto conclusionis , tantam connexio-  
nem

nem habet cum obiecto conclusionis, ac secum ipso obiectum cōclusionis. Ideōque quodammodo dici potest assensum conclusionis resolvi in veritatem præmissarum; at vero cum argumenta credibilitatis non habeant tantam conne-xionem cum revelatione, quantam revelatio secum ipsa, suxta sententiam, quam impugnamus male assensus revelationis resolvetur in argumenta credibilitatis. Adde saltem in virtutibus motivum extrinsecum esse impropriæ motivum: quia motivum extrinsecum non sufficit ad specificandum actum, ut suprà vidimus in actu misericordie orato ex complacentia in divina bonitate.

35 Obijc. 1. Quod se habet per modum conditionis obiectivæ, solum deservit ad excitandam apprehensionem obiecti de se sufficientem ad assentiendum. Sic Magister, proponens prima principia, ut sic proponens, se habet tanquam conditio obiectiva excitan-s apprehensionem principiorum de se sufficientem ad assentiendum. Sed argumenta credibilitatis non deser-viunt præcisè ad excitandam apprehensionem revelationis; sed ad illam suadendam: quia sola apprehensio re-

velationis non sufficit ad assentiendum: ergo argumenta non se habent præcisè, ut conditio. *Resp. neg.* absolute mai. vel illam disting. Quod se habet per modum conditionis obiectivæ relate ad assensus circa veritates per se notas, solum deservit ad excitandam apprehensionem veritatis, permitto: circa veritates non per se notas, neg. mai. quia etiam ea quæ suadent veritatem obiecti, se habent per modum conditionis obiectivæ. Et quidem respectu amoris non solum se habet tanquam conditio apprehensio bonitatis obiecti; sed etiam rationes, & argumenta suadentia tam bonitatem, dum suasione indiget.

36 Obijc. 2. Ideò revelatio est motivum assentiendi mysterio: quia mysterium non apparet per se, sed per revelationem. Sed revelatio non apparet per se, sed per argumenta: ergo argumenta sunt motivum assentiendi revelationi; vel è contra, etsi revelatio sit de se insuadibilis, argumenta illam suadentia concurrunt solum per modum conditionis: ergo etsi mysterium sit ex se insuadibile, revelatio illud suadens se habebit per modum conditionis. *Resp. neg.* mai. Ratio cur revelatio

tio sit motivum assentiendi mysterio; non est quia per revelationem apparet mysterium; sed quia ut actus sic fidei, debet esse assensus propter testimonium. Ad aliam propositionem

37 Resp. Verum esse, ipsum mysterium iam apparens per revelationem posse movere immediatè assensum. Sed ille assensus non esset fidei, quia non esset propter testimonium, neque esset elicitus ab habitu fidei, quia non moveretur ex motivo fidei. Et similiter verum est argumenta studentia revelationem posse movere assensum circa revelationem. Sed ille assensus, ex communis sententia, non esset omnino certus ex motivo formalí, ut potè non conexo metaphysicè, sed solum moraliter cum revelatione; neque esset elicitus ab habitu fidei: quia non moveretur ex motivo fidei: & consequenter esset insufficiens, ut in illo niteretur assensus mysteriorum. Et dato quod esset sufficiens, non indigemus tali motivo: quia sufficienter potest resolvi fides in revelationem; licet enim argumenta sint *antecedens obiectivum ostendens revelationem latè sumptum*, non *propriè sumptum*: quia de ratione anteq-

cedentis obiectivi propriè sumptu est,  
quod se habeat ut obiectum formale af-  
fensus ; suadere autem veritatem obie-  
cti , non est ita proprium obiecti fo-  
malis , vt non possit convenire condi-  
tioni obiectivæ; imò neque hæc suatio  
est requisita ad obiectum formale: quia  
eadem veritas obiectiva potest movere  
ad sui assensum.

38 Dices : Tunc vnum obiectum  
esse antecedens obiectivum respectu  
assensus alterius , quando datur transi-  
tus ab uno actu in alium : quia ubi da-  
tur hic transitus , datur discus for-  
malis , in quo est antecedens , & conse-  
quens. Sed intellectus transit ab assen-  
su argumentorum ad assensum revela-  
tionis , & necessario : quia præcisa lux  
argumentorum est necessaria ad assen-  
sum revelationis: ergo argumenta sunt  
antecedens obiectivum respectu assen-  
sus circa revelationem. Si respondeas:  
tunc esse strictè antecedens obiecti-  
vum , quando ita datur transitus , vt  
per secundum actum attingatur intrin-  
secè obiectum prioris ; viderur falso,  
vt patet in conclusione , quæ essentiali-  
tè est conclusio , & non reflectit supra  
obiectum præmissarum.

39 Resp. dist. mai. Tunc vnum obiectum est antecedens obiectivum respectu assensus alterius obiecti, quando datur transitus ab uno actu ad alium; si per secundum attingatur intrinsecè obiectum prioris, conc. si non attingatur, neg. mai. Quia non potest specificare actum per modum obiecti formalis, id quod non attingitur intrinsecè per actum. Ut enim supra diximus, non quævis dependentia actus ab obiecto sufficit, ut illud obiectum specificet actum: quia si actus misericordiæ essentialiter dependeret ab actu charitatis elevato ad producendum actum misericordiæ, tunc actus misericordiæ essentialiter dependeret à motivo charitatis, & non esset actus charitatis. Et ratio est: quia illa presuppositio subiectiva, & quasi physica sufficiens est ad aliquam specificationem physicam; non vero ad specificationem moralem honestatis, quæ à se è omnibus ponitur in respectu intentionalí ad obiectum formale, id est quæ distinguunt virtutes ab obiecto formalí. Sapientissimi RR. assignant disparitatem dicendo, assensum revelationis non supponere essentialiter determinate assensum ad hæc præ illis

argumentis : conclusionem vero esse nisi litterè supponere has præ illis præmissis ; & item præmissas connecti metaphysicè cum obiecto conclusionis, secus argumenta cum existentia revelationis.

40 Obijsc. 3. Assensus fidei nequit esse clarior , quam argumenta suadentia eius veritatem : quia revelatio non aliundè apparet : & quia prærequiritur evidētia moralis in argumentis, ut assensus fidei evadat cum evidētia moralis ; non enim talis evaderet , si revelatio solum probabilitè apparet. Tunc sic : Claritas assensus fidei specificatur ab argumentis credibilitatis: ergo & certitudo , & consequenter assensus fidei ultimo resolvetur in argumenta credibilitatis. *Resp.* conc. antec. dist. conseq. Certitudo obiectiva fidei specificatur ab argumentis, neg. conseq. certitudo subiectiva , subdist. subiectiva indubitabilitatis , & repugnantia cum formidine , conc. subiectiva connexionis cum obiecto , nego conseq. Explicatio solutionis supra data est.

41 Obijsc. 4. Ultimum resolutivum fidei debet esse primum principium per se notum. Sed revelatio non est per se nota ; ergo non est ultimum resolu-

resolutivum. Mai. prob. Quia in ultimmo resolutivo tandem sicut assensus ita ut non egeat alio motivo; si enim indigeret alio, non esset ultimum. *Explicatur:* Quod non apparet iudicabile, propter se, sed propter aliud, non est iudicabile propter se, sed propter aliud. Sed revelatio non apparet propter se, sed propter argumenta: ergo non est iudicabilis propter se, sed propter argumenta: item medicina non est primum principium respectu voluntatis, quia non apparet amabilis propter se, sed propter salutem. Sed revelatio non apparet propter se, sed propter argumenta: ergò.

42 Resp. Ultimum resolutivum non debere esse primum principium simpliciter primum, quia hoc exigit esse per se notum; sed sufficit esse primum principium secundum quid primum; hoc est, quod in illo sicut assensus, quia indigeat alio tanquam motivo; sed solum tanquam conditione proponente veritatem obiecti, cum qua conditione commensuratur claritas assensus, in eamque subiectivè ultimo resolvitur talis claritas: hoc patet exemplo adducto bonitatis non per se notare: quia hæc

bonitas est ultimum resolutivum actus  
amantis illam propter illam , & tamen  
ut potè indigens suasionibus , vt eluces-  
cat bonitas , necessarium est aliud ob-  
jectum ad talem actum. Ad explicatio-  
nem resp. quod non appareat *indicabile*  
propter se , ly *propter se* cadente supra  
*indicabile* , indigeret alio obiecto forma-  
li , secus ly *propter se* cadente supra ap-  
paret. Revelatio autem , etsi *propter se*  
non appareat , cum tamen aliundè appa-  
reat est *indicabilis propter se*. Et hinc ad  
secundam conces. antec. nego conseq.  
quia medicina non appareat amabilis  
propter se , ly *propter se* cadente su-  
pra *amabilis* ; at verò revelatio appa-  
ret *indicabilis propter se* , ly *propter se*  
cadente supra *indicabilis* ; hoc explica-  
tur in bonitate , quæ licet propter se  
non appareat , est amabilis propter se;  
& in colore , qui licet non appareat  
propter se , sed propter lucem , est visi-  
bilis propter se.

43 Obijc. 5. Assensus præstitus  
alicui veritati propter authoritatem  
D. August. quæ vnicè constat ex dicto  
Magistri , ultimo resolvitur in dictum  
Magistri : ergo assensus præstitus my-  
sterio propter revelationem , quæ vnicè

constat ex dictis Ecclesiae, & ex argumentis credibilitatis, ultimo resolvitur in dicta Ecclesia, & in argumentatione: quia hæc est ratio: quam redderemus, si rogaremur, cur affinitiris dari revelationem? Ideoque argumenta saltem erunt motivum extrinsecum. *Resp. neg. ant.* quia ex dictis, tunc libera est voluntas ad imperandum assensum relipientem tanquam motivum, vel solam autoritatem Augustini, sufficienter apparentem, vel etiam autoritatem Magistri: si respicit autoritatem Magistri erit fides Magistro: si vero ut potest, solum respiciat autoritatem Augustini erit fides Augustino. Idem accidit in nostro casu, in quo potest quidem assentiri propter solam revelationem sufficienter apparentem, & tunc assensus erit fidei divinæ; secus si assentiat propter dictum Ecclesiae.

44 Hinc patet quomodo à nobis non committatur circulus. Si enim rogamus, cur credimus mysteria? Si loquitur de mysterijs dictis ab autoritate infallibili Ecclesiae; responderi potest, credere mysteria propter autoritatem infallibilem Ecclesiae, vel propter revelationem. Etsi regemur, cur cre-

credimus revelationem? Respondemus:  
*Propter ipsam.* Si verò rogemur, cur  
 credimus autoritatem infallibilem Ec-  
 clesiæ? Respondemus: *Propter revela-  
 tionem.* Etsi rogemur, cur credimus  
 relevationem? Respondemus: *Prop-  
 ter ipsam.* Hæretici verò circulum  
 committunt: quia probant se habe-  
 re instinctum internum ex Scriptura  
 Divina: & rursus hanc Scripturam  
 esse Divinam probant ex instinctu  
 interno.

45 Dices: Saltem nos incurrere  
 vitium probandi ignotum per æquè ig-  
 notum: nam autoritatem infallibilem  
 Ecclesiæ probamus per revelationem,  
 quæ est æquè ignota ac authoritas Ec-  
 clesiæ. *Resp.* Vitium esse probare igno-  
 rum per æquè ignotum, quando utrum-  
 que est omnino ignotum; secus quan-  
 do utrumque est aliqualiter notum,  
 ut patet in discursibus frequenti-  
 bus. Nam ex eo quod aliquis sit homo  
 probatur esse animal rationale; & mul-  
 to minus erit vitium, quando antece-  
 dens est aliqualiter notum respectu au-  
 dientis, secus cōsequens; & sic in præ-  
 senti accidit. Hæretici enim admitunt  
 Scripturas, & negant authoritatem  
 Eccle-

Ecclesiaz; & nos probamus authoritatem Ecclesiaz infallibilem , quæ ipsis est ignota, ex Scripturis, quæ ipsis sunt notaæ. Ex his sequitur fidem nostram, seu fidem misteriorum vltimo resolvi tanquam in motivum in authoritatem, & revelationem : & fides misteriorum consequenter vltimo sicut in assensum authoritatis propter ipsam ; & in assensum revelationis propter ipsam, modo videbimus resolutivum vltimum aliarum sententiarum.

## SECTIO IV.

*Judicium aliarum sententiarum.*

46 **S**COTUS dist. 23. quæst. vnic.  
Pontius disp. 28. quæst. 2.

Sparça lib. 6. quæst. 21. dicunt, adæquatum motivum assensus revelationis esse argumenta credibilitatis. Displacet hæc Sententia. 1. Quia non est necessaria talis resolutio. 2. Quia cum plura argumenta non appareant ex se, sed ex revelatione, ut martyria, & miracula , eadem difficultas dabatur assentendi argumentis propter ipsa , ac revelationi propter ipsam. 3. Quia assensus

in quem nititur fides inysteriorum, debet esse infallibilis metaphysicè ex motivo : Et argumenta credibilitatis iuxta hos AA. & communem Sententiam, solum habent connexionem moralèm, non verò metaphysicam, cum existentia revelationis. Verum hæc sententia erit vera, si solum intendant argumenta esse motivum iudicij de credibilitate revelationis.

47 Dixi iuxta communem Sententiam : quia in primis, cum miracula, ut dicemus, sint loquutio Dei, qua immediate loquitur revelationem, miracula, & authoritas habent connexionem metaphysicam cum revelatione, adeoque hoc complexum posset esse motivum redundans. Verum cum solum sit probabile miracula esse revelationem ; & fides resolvi debeat in motivum certo moraliter metaphysicè connexum, idèo dici potest neque resolvi in autoritatem, & miracula. Deinde existimo, autoritatem cum argumentis credibilitatis habere connexionem metaphysicam cum existentia revelationis, ne Deus sit causa per se erroris perniciosi antecedenter ad suppositionem consequentem. Deinde existit

existimo sola argumenta credibilitatis esse metaphysicè connexa cum existentia revelationis : quia argumenta credibilitatis connectuntur metaphysicè cum Divina providentia per se habente non permettere revelationem falsam proponi vniuersaliter prudenter credibilem : ergo argumenta credibilitatis connectuntur metaphysicè cum existentia revelationis : Quod enim connectitur metaphysicè cum A. connexo cum B. connectitur cum B. siquidem ex primo metaphysicè inferatur existentia A. & existentia B. sed eum hoc solum sit probabile , & praecipue , cum assensus nitens solis argumentis , aut coniuncto ex argumentis , & autho ritate , non haberet pro motivo sufficienti motivum fidei : Ideò dici potest non posse resolvi fidem in illud coniunctum adhuc tanquam motivum redundans sufficiens.

48 Ripalda sect. 3. disp. 4. ait, motivum adæquatum revelationis resultare ex revelatione , & argumentis credibilitatis : quia cum revelatio non appareat propter se , indiget alio motivo , ut appareat , & illud motivum est motivum respectum ab actu , qui actus est

esset fidei. Addit tamen se<sup>t</sup>. 5. possib<sup>i</sup>  
lem esse assensum revelationis , qui in-  
trinsecè , & adæquate solum moveatur  
**ex** revelatione ; ille tamen actus , qui  
virtualiter , & extrinsecè moveatur **ex**  
argumentis credibilitatis non esset fi-  
dei divinæ , sed pertineret ad fidem  
humanam : multa continet difficultas  
hæc doctrina.

49 Primum : Si assensus , qui in-  
trinsecè movetur solum ex revelatione  
pertinet ad fidem humanam , eo quod  
præsupponat apprehensionem argu-  
mentorum , & authoritatis humanæ  
Ecclesiæ , potius pertinebit ad fidem  
humanam assensus , qui intrinsecè in-  
adæquate movetur ex authotitate hu-  
mana , & simul extrinsecè ex præsup-  
positione apprehensionis authoritatis  
humanæ , vel è contra . Si quando  
solum attingit intrinsecè revelationem  
tanquam motivum inadæquatum est  
actus fidei divinæ , cur non erit quan-  
do eam attingit tanquam motivum  
adæquatum ? 2. Per te , quia revelatio  
non apparet per se , indiget , quod ar-  
gumenta illam suadentia sint motivum .  
Sed adhuc post argumenta non apparet  
per se : ergo argumenta erunt adæqua-

rum motivum; vel si postquam aliundè apparuit revelatio, potest esse motivum inadæquatum, cur non poterit esse motivum adæquatum? Sanè bonitas per se non apparens, si aliundè appareat, potest esse motivum adæquatum amoris. 3. Non potest esse elicitus à fide actus non respiciens motivum fidei tanquam sufficiens. Sed assensus per ens tanquam motivum partiale argumenta credibilitatis, non respicit motivum fidei tanquam sufficiens: ergo nequit esse elicitus à fide. Mitto, quod motivum fidei, seu assensus fidei debet esse infallibile, qualia non sunt argumenta credibilitatis, iuxta communem sententiam.

50 Palanco disp. 1. quæst. 3. & 8. dicit, assensum revelationis debere moveri ex ipsa, ut revelata per se ipsam. Verum existimo hoc non esse verum. I. Quia fortè revelatio non reflectit supra se revelando se ipsam: & ideo Prophetæ licet aliquando dicant. *Hæc dicit Dominus.* Sæpè non ita reflectunt, sed dicunt. *Olim loquutus est Patribus in Prophetis:* & nunquam iterum reflectunt, dicendo se dicere, se dicere. Ex quo sic: locutio illa per quam Deus di-

dicit se dicere, non est dicta. Sed illi locutioni assentiri possumus propter ipsam assensu elicito à fide, ut dicimus sect. 3. ergo possumus assentiri revelationi per assensum firmum propter ipsam, quin sit propter ipsam, ut dictam. 2. Quamvis revelatio non dicat se ipsam possumus assentiri assensu fidei firmo revelationi propter ipsam; ergo quidquid sit an revelet se ipsam, non est necesse, quod assentiamur ipsi ut revelata, sed sufficiet, quod assentiamur ipsi ut revelanti, nam cuivis veritati sufficienter apparenti possumus assentiri propter ipsam. Sed revelatio, ut revelans, sufficienter appetatur, quamvis non revelet se ipsam: ergo.

§ 1 Lugo disp. 1. num. 114. dicit propositionem Ecclesiæ, vel Parochi, vel Magistri, signis confirmatam, esse revelationem mediataam Dei, ut constat ex Psalm. 44. *Lingua mea calamus scriba velociter sribentis. Ex Luca 1. Sicut loquutus est per os Sanctorum. Ex Actibus. 1. Sicut predixit Spiritus Sanctus per os David. Itaque ait, per hanc propositionem Ecclesiæ revelare Deum mediata mysteria: quia per eam ostendit revelationem antiquam;*

quam: Et ait ex terminis patere hanc propositionem Ecclesiæ , Parochi , vel Magistri esse revelationem mediatam Dei : quia idem est videre propositionem Ecclesiæ , Parochi , vel Magistri , ac statim cognoscere hoc esse verbum Dei : In hanc ergo propositionem Ecclesiæ , Parochi , vel Magistri resolvit revelationis assensum : quia revelatione antiqua , seu immediata ex se non est potius suavisibilis , quam insuavisibilis.

52 Displacet hæc sententia primo , quia iuxta ipsam sine certitudine morali de existentia revelationis nequit dari assensus fidei: & hoc iam post decretum Innocentij est certum. Sed non est moraliter certum propositionem Parochi esse revelationem mediata : ergo talis propositione nequit movere assensum fidei. 2. Hæc propositione Ecclesiæ Parochi , vel Magistri constituitur in esse revelationis mediata per revelationem aliquam , vel per divinam ordinationem , qua ordinavit hanc propositionem ad manifestandam revelationem antiquam. Sed revelatio antiqua , & hæc ordinatio , ut potè solum constans ex textibus allatis non est nota ex terminis : ergo propo-

Sitio Ecclesiæ non est ex terminis re<sup>a</sup>  
velatio mediata : vt autem fides sit  
Theologica non sufficit , quod mo-  
veatur ex testimonio divino in re ; sed  
requiritur etiam testimonium appare-  
re , vt divinum , vt sic præstari possit  
obsequium Deo , & honestas fidei pos-  
sit imputari . 3. Quia falsum est pro-  
positionem Parochi esse loquutionem  
mediatam Dei manifestativam antiquæ:  
cum Parochus , vel malitiosè , vel si-  
ne malitia proponere possit errorem ,  
& tunc certum esset non dari revela-  
tionem antiquam .

53 Dices : Ad authoritatem Dei  
spectare non proponi cum morali cer-  
titudine absoluta aliquid esse revela-  
tum à Deo , quin sit in re revelatum :  
Ideoque propositio Ecclesiæ confirmata  
signis , est mediata revelatio mysterij :  
sit ita ad authoritatem Dei hoc spectare ,  
ex quo solum sequitur propositionem  
Ecclesiæ esse illative revelationem , seu  
inferre revelationem ; non vero esse  
revelationem adhuc mediatam , quod  
requirebatur , vt ex illa moveretur  
actus fidei . Sed rogo : Hoc pertinere  
ad authoritatem Dei , si constet ex  
Scriptura ; quodnam est motivum  
assen,

assentiendi Scripturæ? Quia ne committamus circulum, nequit esse revelatio mediata. Si constat ex terminis, videntur verius: hoc non est ita certum, quia multi negant; & plures dicunt, non opponi providentiæ Dei permettere signa falsa in circumstantijs, in quibus prudenter reddatur credibilis doctrina falsa, & non opponitur providentiæ Dei proponi rustico doctrinam falsam ex obligatione credendam.

54 Antonius Perez tom. 2. tract. 4. disp. 2. afferit assensum revelationis resolvi in loquitionem moraliter divinam, quæ consistit in loquitione Parochi proponente loquitionem, quæ in re est divina: cognosci autem ex terminis ipsius propositionis eam esse loquitionem moraliter divinam: quia talis propositio inducit quandam firmitatem assensus circa revelationem, quæ nequit competere alteri loquutioni, nisi ei, quæ moraliter est divina, si quidem semel proposito Ministerialiter articulo: quivis et si rudis experitur in se, circa verum non posse dubitare, & obligari ad credendum: & circa falsum non posse non dubitare, & non obligari: ynde oritur, quod verum credat

Sine formidine; & circa falsum non posse  
sit non dubitare. Displicet hæc sen-  
tentia. 1. Quia an̄lam præbet hæreti-  
cis ad adstruendum instinctum illum  
internum: quia ex firmitate assensus,  
quam dicunt inducere, agnoscunt lo-  
quitiones divinas; & sic negabunt ne-  
cessitatem recursus ad Ecclesiam decla-  
rantem mysteria. 2. Quia rusticus, cui  
Parochus proponit quaeritatem per-  
sonarum, habet eandem dignitatem in  
extimatione sua assensus erga quater-  
nitatem, ac erga existentiam Dei: &  
talis loquutio non est moraliter divi-  
na: ergo illa regula falsa est. 3. Ratio-  
nes quibus proponitur mysterium fi-  
dei, sentiunt in se illam firmitatem af-  
fensus, vt patet in illis, quibus denuo  
prædicatur fides: ergo regula suprà  
data ad agnoscendum loquitionem di-  
vinam non est recta. 4. Hæreticus do-  
ctus eandem firmitatem inducit respe-  
ctu sui subditi rustici, ac Parochus Ca-  
tholicus respectu sui subditi: vterque  
enim dicit, mysterium esse ex obliga-  
tione credendum, & vterque rusticus  
iudicat esse firmiter credendum, & fir-  
miter credit, vt dicit D. Thom. quodl. 6.  
quæst. 4. 5. Hæc experientia, vel est

patens, & certa ex terminis, vel dubia?  
 Primum, quomodo dici potest, cum tot  
 viri Religiosi, & docti eam negent.  
 2. Experimur in fidelibus, dari tenta-  
 tiones contra fidem, & sœpè magno  
 merito resistere. Sed non esset valde  
 meritoria fides, si ex terminis esset cer-  
 to notum, illud esse verum : ergo.  
 3. Quia aperitur ianua hæreticis, ut se  
 gubernent suo instinctu. Si est dubia,  
 quomodo erit discretivum, quod in se  
 non bene discernitur? Quomodo da-  
 bit evidentiā credibilitatis iudicio,  
 si ipsa est in dubio?

55 Esforcia lib. 3. de Fide, quæst. 5:  
 idem sentiens, quoad substantiam do-  
 ctrinæ, differt quoad discretivum. Di-  
 cit, polita propositione Ministri, dari  
 circa verum apprehensionem singula-  
 rem supra humanam, quæ sonat, non  
 tam vocem hominis, quam Dei : quæ  
 vox reflexè cognita causat iudicium  
 credibilitatis, pro quo casu authoritas  
 Dei non permittit illud esse falsum. Hęc  
 doctrina impugnatur ferè eisdem ra-  
 tionibus ac præcedens. Quia in primis  
 dat ansam hæreticis, ut defendant *spi-  
 ritum privatum*, quo dicunt, omnes  
 debere duci in credendis, & agendis.

2. Non esset necessarius recursus ad infallibilem authoritatem Ecclesiæ; inquit neque esset nimis cura nndum, quod Ministri verbi Dei essent docti, vel indocti: quia ipsi sua apprehensione sonante verbum Dei discernerent veram revelationem à falsa. 3. Non esset modus impugnandi Iudæos v. gr. quia ipsi dicerent, se audivisse suos Magistros circa adventum Messiæ v. gr. quibus auditis, ipsi agnoverunt, illam esse vocem Dei. Et sane si in disputatione simili ita responderet Iudæus, aut Catholcus similiter impugnatus à Iudæo, quis non rideret?

56 Esparza quæst. 22. ad 1. docens eandem doctrinam quoad substatiam, ponit discretivum in Ministro. Dicit, Parochum proponentem mystrium falsum non procedere ut Ministrum Dei; dum docet verum, verba illa procedunt non à Parocho, vt canticumque; sed ab illo, vt Ministro Dei, & à vera fide; & à veritate illa extrinsecè supernaturalizata caufant in audiente bene disposito illustrationem certo discernentem verum à falso, sufficientem ad fundandum iudicium evidens credititatis, pro quo casu authoritas Dei

non patitur illud esse falsum. Hæc doctriina impugnatur eisdem rationibus ac præcedens. Quia quisque legens Scripturam, quæ est verbum, posset in locis difficilimis se ipso discernere verum à falso. Et dat ansam errori de spiritu privato : ab utendo illo textu, spiritualis indicat omnia.


57 Cum dixerimus disp. 1. contra Petrum Hurtado, & Ripalda, non fore strictæ fidei actum, qui intrinsecè solum habeat pro motivo veritatem mysteriorum, quamvis habeat pro motivo extrinseco autoritatem revelantem. His inhærendo dicit Muniesa disp. 4. sect. 8. non esse sufficiens motivum, nec resolutivum fidei solam veritatem mysteriorum, si non habeat pro motivo intrinseco autoritatem, & revelationem. Addit tamen pro tollēdis scrupulis, sufficere quod assensus mysterij sit intrinsecè virtualiter, & implicitè, exercitè propter autoritatem, & revelationem: quod tunc accidit, cum quis assentitur mysterio, vt manifestato autoritate, & revelatione assensu mysterij, vt derivato ab assensu autoritatis, & revelationis: quo dicit, salvari, actus credendi mysterijs frequenter

elicitos à rusticis esse salutares , & non  
esse fidem latam ; sed fidem strictam .

58 In primis iudico , haec senten-  
tiam solum quoad modum loquendi  
differre ab Hurtado , & Ripalda , quia  
vocat virtualiter , implicite , & exercite  
motivum intrinsecum , quod ipsi vo-  
cant motivum extrinsecum , quia in re  
tale est . Qui modus loquendi aestima-  
bilis est , & sapienter utilis . Verum pro tol-  
lendis scrupulis nescio , an conduceat  
quia scrupuli consistunt in eo , quod  
frequentiter videntur elici actus credendi  
mysterijs , quin advertamus , nec atten-  
damus ad authoritatem revelantem . Si  
hic Author diceret (quod videbatur in  
fronte conclusionis , velle dicere ) hos  
actus frequentiter esse actus fidei stricte :  
quia frequentiter habent virtualiter pro  
motivo intrinseco authoritatem , & re-  
velationem demus quod liberaret ab  
scrupulis ; si vero addit assensum my-  
steriorum saltē debere esse propter  
ipsorum veritatem , vt manifestatam  
per authoritatem , & revelationem , iam  
requirit tantam advertentiam , quantum  
requirimus nos , qui dieimus , actum fi-  
dei debere esse intrinsecè formaliter  
elictum implicite propter authorita-  
tem ,

tem, & revelationem; & addimus, actus  
frequentes hoc habere.

59 At vero quosd tollendos scrupulos (missa sua sententia de probabilitate) vel actus, qui solum virtualiter habent pro motivo revelationem, sunt in re actus strictae fidei (quidquid existit AA.) vel non? Si non sunt Non salvabitur, si solum habeat similes actus circa ea, quorum fides necessaria est necessitate medijs: & cum solum sit probabile ex ipsa, & aliarum auctoritate istos actus esse strictae fidei, manet scrupulus, quia non est securitas; solum ergo poterit haec sententia salvari ab scrupulis, in his quæ necessaria sunt necessitate pracepti: quia audientes prudenter iudicabunt auctoritate aliorum virorum hos esse actus fidei, quo excusabuntur ab obligatione eliciendi alios; verum ab his scrupulis melius salvatur per auctoritatem docentium nostram sententiam. De fide lata satis diximus disp. 6. de Libero arbitrio, sect. 3. quo sensu non contraveniat decreto Innocen-  
tij XI.



## SECTIO V.

*Indicium de Recentiorum resolutiōe?*

60

**R**ecentiores citati ab Arriaga disp. 3. quos sequitur Sendin, contr. 4. à num. 68. dicunt, motu assentiendi revelationi esse authoritatem divinam: quia autoritas divina ex se permittens, non existere revelationem, nec argumenta credibilitatis, se sola connectitur absolute cum existentia absoluta revelationis pro casu argumentorum credibilitatis: quia ad authoritatem Dei spectat, quod non confundatur doctrina vera cum falsa: Unde authoritas divina per se habet absolute, quod nulla veritas proponatur creditibilis, quae non sit revelata: & addit Sendin, à nullo Theologorum esse dictum; neque prudenter dicendum, possibile esse Deum permittere doctrinam falsam proponi prudenter creditibilem omni genere argumentorum credibilitatis ex communiter numeratis; cum autem per argumenta credibilitatis, & autoritatem humanam Ecclesiæ proponatur prud-

dētēr c redibiles revelatio; inde est quod autho ritas se sola connectatur absolutē cum existentia revelationis pro tali casu. Hanc connexionem subiectivē absolutum, & obiectivē conditionatam illustrant SS. Primarij Antecessores, & eām extendunt ad Scientiam Medium, dicentes hanc absolutē, & adæquate connecti cum consensu pro casu auxiliij.

61 Displicēt hæc sententia primo, iuxta Sendin ex terminis authoritatis est moraliter certum existere revelationem pro casu argumentorum : ergo est metaphysicē evidens existere revelationem pro tali casu. Probatur consequentia. Iuxta Sendin, ex eo quod auxilium sit moraliter connexum cum consensu, est metaphysicē evidens extiturum consensum pro casu auxiliij, & in vi talis connexionis, scientia evidenti cognoscit Deus consensum pro tali casu. Sed ex terminis authoritatis est moraliter certum existere revelationem pro casu argumentorum : ergo est metaphysicē evidens existere revelationem pro tali casu. 2. Non bene percipitur, esse moraliter certum, ex terminis authoritatis, quod plures

Theologi negant convenire authoritati titulo talis authoritas ut talis petat eius testimonium esse verum , cum hoc autem , attentis his præcisè terminis , cur non componetur permettere alii quod testimonium falsum proponi credendum tanquam Dei testimonium? Sicut proponitur rusticò quaternitas personarum.

62 Si dicas , probabile esse ex terminis authoritatis esse moraliter certum existere revelationem pro casu argumentorum; non sufficit hoc ad assentendum assensu fidei; quia ad assentendum assensu fidei, requiritur certitudo moralis revelationis talis , ut formidari non posset de existentia revelationis. Hæc autem certitudo non datur ex vi solius authoritatis ; quia ex vi solius authoritatis solum probabiliter inferentis morales certitudines revelationis , formidari potest de existentia revelationis. 3, Sicut ait authoritatem esse connexam cum revelatione pro casu argumentorum ; ita debet afferere , revelationem esse connexam cum sui existentia pro tali casu ; quia revelatio est connexa cum autoritate , quæ pro illo casu est , iuxta ipsum , conexa cum re-

revelatione. Sed propter connexionem authoritatis cum revelatione pro tali casu ait assensum revelationis resolvi in authoritatem: ergo propter connexionem revelationis secum ipsa in tali casu, assensus resolvi poterit in ipsam revelationem. Mai. probatur, quia revelatio connectitur cum eo, quod in Deo non detur imperfectio, nec defectus providentiae, qualis esset si non existeret revelatio pro casu absolutæ credibilitatis..

63. Deinde impugnatur talis connexionio conditionata, vi cuius authoritas ex se permittens, nunquam existere argumenta credibilitatis ( inquit ) quod per se, & adæquatè absolutè connecteretur cum revelatione per casu argumentorum credibilitatis. 1. Quia si datur locus huic modo discurrendi, eodem modo dicere possumus, quod lignum per se adæquatè habet non solum connexionem absolutam cum eo, quod sit calidum; sed esse calidum pro casu vñionis caloris, & frigidum pro casu vñionis frigoris, esse album pro casu vñionis albedinis, & sic de alijs & consequenter calor, frigus, albedo non eribuent effectus formales supra

dictos, sed erunt casus pro quibus lignum se ipso habeat tales denominations. Probatur assumptum: tām impossibile est existere lignum pro casu sui vniōnis ad calorem, quin sit calidum, quām existere authoritatem pro casu argumentorum, quin existat revelatio; sed quia hoc secundum est impossibile aīs authoritatem per se *adæquatè absolu-*  
*turè connecti* cum existentia revelatio-  
 nis pro casu argumentorum: ergo  
 quia impossibile est lignum existere  
 pro casu vniōnis sui ad calorem, quin sit  
 calidum, dicere possumus lignum per  
 se *adæquatè habere* pro tali casu esse  
 calidum.

64 Similiter dicere possumus,  
 approximationem ignis non constituere  
 potestatem proximam comburendi;  
 sed esse casum, pro quo ignis se ipso  
 esset *proximè potens*, & expeditus ad  
 comburendum. Item cognitiones non  
 constituere potestates proximas aman-  
 di; sed esse casum, pro quo voluntas  
 se ipsa esset *proximè potens*, & expedi-  
 ta ad amandum. Item cognitionis alli-  
 cientes, & retrahentes non constituere  
 libertatem; sed esse casum, pro quo  
 voluntas per se *adæquatè est libera*. Item

Intellectus creatus per se esset proximè potens producere visionem Beatam adequatè pro casu luminis : quia cum connectatur cum eo , quod , si existat unio luminis , detur visio Beata ; per se adequatè habebit absolutam connexionem cum visione beata pro casu luminis ; & consequentè per se adequatè erit proportionatus ad producendam visionem pro tali casu : cum nulla causa habeat per se adequatè connexionem absolutam cum effectu , quin sit ad illum proportionata. Et sic discurrere licebit de omni constitutivo cuiusvis complexi pro casu existentiæ alterius constitutivi.

65 Item , ut observant Sapientissimi Magistri , sicut Scientia Media , nequit existere pro casu libertatis , quin existat consensus : ita libertas nequit existere pro casu libertatis , quin existat consensus : & consequentè libertas erit per se adequatè absolute connecta cum consensu pro casu Scientiæ Mediæ , quod etsi non renuant Sapientissimi Primarij ; durum tamen videtur libertatem proximam formalem , & indifferentiam proximam ad actum , & carentiam ; esse per se connexam cum actu ,

actu quoties influit in actū: si enim hęc connexio identificata cum auxilio potest esse impedibilis per ipsum auxilium , non durum videtur , gratiam necessario constituentem potestatem proximam ad amorem , esse impedibilem non per eandem ; sed per potestatem ad carentiam amoris , quod adhuc ex Thomistis pauci concedunt. Imò ipsa voluntas se ipsa erit similitèr *absolutè* connexa cum consensu pro casu Scientiæ Mediæ , & auxiliij ; & se ipsa se discernet , seu erit discretio sui à dislentiente pro tali casu : & æquè primo erit discretio , & colatio auxiliij . Item colatio auxiliij prævisi inefficacis est beneficium pro tali casu etiam iuxta Adversarios ; quomodo ergo erit beneficium pro tali casu conferre auxilium per se *adæquate absolutè* connexum cum peccato pro tali casu ?

66 Impugnatur præcipue. Id quo *præcisè* difficiente , authoritas permittit , quod nunquam existat *absolutè* revelatio , nec in hoc , nec in alio casu , constituit connexionem absolutam cum eo , quod aliquando existat *absolutè* revelatio pro hoc , aut illo casu. Sed *præcisè* deficientibus argumentis credibilię

bilitatis, authoritas permittit, quod nunquam existat *absolutè* revelatio, neque in hoc, neque in illo casu: ergo argumenta credibilitatis, & authoritas constituant connexionem absolutam cum eo, quod aliquando existat revelatio pro hoc, vel illo casu. Mai. videtur clara: quia connexionis absolute cum existentia termini non permittit deficere ita *absolutè* terminum, ut in nullo instanti, nec pro illo casu detur *absolutè* terminus: quia in connexione absolute ab existentia fundamenti arguitur existentia termini, & à defectu absolute termini pro omni instanti & casu, arguitur defectus fundamenti. Prob. min. Existere *absolutè* revelationem pro casu argumentorum includit existentiam absolutam revelationis, & argumentorum. Sed *præcisè* deficientibus argumentis, authoricas permittit deficere existentiam argumentorum: ergo *præcisè* deficientibus argumentis, authoricas permittit, quod nunquam existat *absolutè* revelatio neque in hoc, neque in casu argumentorum.

67 Aliter: Ut ex vi authoritatis, ut *subjectivè* indiferentis, existat revelatio, non sufficit existere authorita-

tem, ut *subiective* indifferentem; sed ulterius requiritur existere casum argumentorum: ergo authoritas non est adæquata connexio cum existentia revelationis; sed hæc resultabit ex autoritate, & casu argumentorum: quia connexio adæquata cum termino se sola sufficit, ut in vi illius existat terminus. Item, ut in vi connexionis existat terminus, est necessarium connexionem inferre *absolute*, non solum *subiective*; sed etiam *terminative* existentiam termini: hoc est, non sufficit, quod existat *absolute* antecedens inferens; sed ulterius requiritur existere *absolute* terminum illatum. Sed authoritas ex se permittens deficere casum argumentorum, non infert *absolute* *terminative* existere revelationem pro casu argumentorum, ut supra vidimus: ergo authoritas non connectitur *absolute* cum existentia revelationis pro casu argumentorum. *Explicat.* Casus argumentorum est accidentalis authoritati: ergo existere *absolute* revelationem pro casu argumentorum est accidentale authoritati. Prob. conseq. Cui est accidentalis casus argumentorum, est accidentale id, quod necessario includit casum

casum argumentorum. Sed existere *absolutè* revelationem pro casu argumentorum necessario includit casum argumentorum; & hic est accidentalis auctoritati: ergo existere *absolutè* revelationem pro casu argumentorum est accidentale auctoritati: & consequenter non connectitur per se *ad e quatè* *absolutè* cum existentia revelationis pro casu argumentorum.

68 2. Quod non infert *absolutè* revelationem tam pro casu argumentorum, quam eorum carentia; sed solum pro casu argumentorum, & per se permittit non existere argumenta; non habet per se *ad e quatè* *absolutè* connecti; sed per argumenta. Sed auctoritas solum infert revelationem pro casu argumentorum, & per se permittit non existere argumenta: ergo non habet per se *ad e quatè* *absolutè* connecti pro casu argumentorum; sed per argumenta. Prob. mai. Quod non infert visionem Dei pro omni casu; sed solum pro casu luminis (ut accidit intellectui creato) non habet per se *ad e quatè* *absolutè* connecti cum visione pro casu luminis; sed per lumen, propter rationes suprà datas. Quod non infert præsen-

tiam Petri pro omni casu ; sed solum pro casu existentiae Petri (ut accidit Deo) non habet per se *ad euanescere absolute connecti* cum præsentia Petri ; sed per existentiam : alijs quodvis necessarium connecteretur *absolute* cum quovis contingentibus, scilicet pro casu actionis productivæ ; ergo quod non inferre revelationem nisi pro casu argumentorum, & per se permittit non existere argumenta ; non habet per se *ad euanescere absolute connecti* pro casu argumentorum ; sed per argumenta.

69 Aliter : quod per se habet inferre terminum pro casu ipsi *accidentaliter contingentis*, habet etiam inferre pro parentia talis casus ; vel non habet per se *ad euanescere absolute* inferre terminum pro tali casu. Sed autoritatibus *est accidentalis* casus argumentorum : ergo habet inferre revelationem pro parentia casus argumentorum , vel non habet *absolute ad euanescere* inferre terminum pro casu argumentorum. Mai. præterquam videtur vera : quia Paulus per se habens connecti *absolute* cum Deo pro casu existentiae Petri ipsi *accidentaliter contingentis* connectitur etiam cum Deo pro casu parentis Petri. Prob. quia

quia assensus fidei de incarnatione *accidentaliter* coniungitur cum somno Turcæ, talis assensus vel habet inferre incarnationem pro casu carentiæ somni; vel non habet *absolutè* inferre incarnationem pro casu somni Turcæ: quia Scientia Media de consensu Petri infert *conditionatè* consensum Petri pro casu somni Turcæ ipsi *accidentaliter* contingent, habet etiam inferre *conditionatè* consensum Petri pro casu carentiæ somni Turcæ: ergo, quod per se habet inferre terminum pro casu ipsi *accidentaliter* contingent, vel non habet per se *adquate absolutè* inferre terminum pro tali casu, vel habet etiam inferre pro casu carentiæ tali casus.

70 Prob. directè intendendo auctoritatem per se *adsignatè* solum connecti *conditionatè* cum existentia revelationis. Authoritas divina cum semper habeat eandem essentiam, semper infert eodem modo. Authoritas divina, quando non existunt argumenta, solum infert existere *absolutè* revelationem cum hoc addito *pro casu argumentorum*; non verò *absolutè* sine hoc addito: ergo authoritas, quando existunt argumenta, solum infert existere revelationem

cum hoc addito pro casu argumentorum, non verò sine hoc addito. Sed quando non existunt argumenta ita infert revelationem pro casu argumentorum, ut hic modus inferendi non afferat per se absolute revelationem; sed solum conditionare: quia sine revelatione potest existere: ergo quando existunt argumenta, ita infert revelationem pro casu argumentorum, ut hic modus inferendi non afferat per se absolute revelationem; sed solum conditionate.

7<sup>i</sup> Aliter: per te, autoritatem per se absolute inferre revelationem, non est ita inferre, ut non possit omnino absolute separari à revelatione: ergo solum est inferre, quod si existat talis casus, existet revelatio: hæc enim, seclusis vocibus, idem sunt: sicut igitur per se habere, quod pro casu applicationis sit proximè potens ad comburendum, non est per se adæquatè absolute esse proximè potentem pro illo casu; sed quod si detur applicatio, existit proximè potens per se ipsum, & per applicationem. Sed inferre, quod si existat talis casus, existet revelatio, solum est connecti conditionatè cum revelatione, & quod ex autoritate, & puri-

ficatione conditionis resultet connexio  
absoluta: ergo authoritas per se *ade-*  
*quate* non connectitur *absolute* cum re-  
velatione pro casu argumentorum; sed  
solum *conditionate*. Min. quæ videtur  
clara, suadetur. Libertatem, seu indif-  
ferentiam proximam ad consensum per  
se inferre, quod si existat Scientia Me-  
dia, existet consensus, non est liberta-  
tem, seu indifferentiam proximam se  
sola *adequate*, & *absolute* connecti cum  
consensu pro casu Scientiæ Mediae:  
 1. Quia non bene percipitur, quomo-  
do absoluta connexio cum uno extre-  
mo, sit proxima indifferentia ad illum.  
 2. Quia alijs non solum principium  
redundans; sed principium necessariū,  
& constitutivum non solum potestatis;  
sed libertatis potest esse connexum cum  
consensu. Et gratia *essentialiter* pug-  
nans cum carentia charitatis præceptæ  
potest constituere non solum potesta-  
tem necessariam; sed libertatem imme-  
diatā ad actum, & carentiam charitatis.

72 Verum est, decretum de exi-  
stentia Angeli pro instanti A, solum  
inferre existentiam Angeli pro A, &  
per se *adequate absolute* connecti cum  
existentia Angeli pro A. Sed hoc de-

cretum hoc ipso non permittit, num  
quam existere instans *A*, & mitto dis-  
paritatem, quæ communiter alsignatur  
inter connexiones pure physicas, qualis  
est connexionio authoritatis, & connexioni-  
ones intentionales, qualis est connexionio  
decreti, de quo P. D. Peinado lib. 3.  
*Physicæ*, disp. 2. sect. 1. §. 2.

73 Dices: Semel data connexione  
illa conditionata authoritatis, si pro ca-  
su argumentorum non existeret *absolute*  
*revelatio*, deficeret authoritas: ergo so-  
la authoritas per se *adequate*, *absolute*  
connectitur cum existentia absoluta re-  
velationis pro tali casu. Prob. conseq.  
Defectus fundamenti connexi solum  
infertur ex defectu termini, ea ratio-  
ne, qua est terminus connexionis, non  
verò ex defectu termini ea ratione, qua  
non est terminus connexionis. Sed ex  
defectu existentie *absolute* *revelatio-*  
*nis* pro casu argumentorum infertur  
defectus authoritatis: ergo authoritas  
connectitur *absolute* cum existentia ab-  
soluta revelationis pro casu argumento-  
rum. *Hoc argumentum similiter pro-*  
*bat*, defecturam authoritatem pro casu  
argumentorum; et si authoritas solum  
*inadequate* connectatur *absolute* cum

revelatione pro tali casu , ut constabit.

*Resp.* conc. ant. neg. conf. Ad prob. conc. mai. & min. dilt. conf. Ergo authoritas connectitur *absolute* cum existentia revelationis pro tali casu , connexione resultante ex authoritate , & ex casu , conc. conf seu ipsa , & casus, concedo ; authoritas sola , neg. conf. Itaque cum authoritas , & casus habeant connexionem absolutam cum existentia revelationis ; pro casu argumentorum , ex defectu revelationis pro tali casu , infertur defectus huius complexi Authoritas , & casus : cum autem pro casu argumentorum non inferatur defectus casus argumentorum , ut patet ; ex defectu revelationis pro tali casu solum infertur defectus authoritatis : verum , ut vides , talis defectus similiter inferatur ; et si authoritas ex se sit solum inadæquate *absolute* connexa , & connexione absolute adæquata resultet ex authoritate , & argumentis.

74 Dices : Scientia Media de consensu sub auxilio per se adæquate *absolute* connectitur cum existentia absolute consensus pro casu auxiliij ergo & authoritas cum revelatione pro casu argumentorum. Prqb. ant. Scientia Media per

per se *adequate absolute* repugnat suæ falsitati: ergo per se *adequate absolute* connectitur cum sui veritate. Sed sua veritas stat in eo, quod pro casu auxiliij existat *absolute consensus*: ergo per se *adequate absolute* connectitur cum eo, quod pro casu auxiliij existat *absolute consensus*. *Hoc argum.* ut iacet, videtur multum probare, quod sic propono. Scientia media repugnat *absolute* suæ falsitati pro omni casu, etiam pro casu non existentiæ auxiliij: ergo connectetur per se *absolute* cum sui veritate pro omni casu, etiam pro casu non existentiæ auxiliij. Sed sua veritas est existere *absolute consensus* pro casu auxiliij: ergo per se *absolute* connectitur cum eo, quod pro casu non existentiæ auxiliij existat *consensus* pro casu auxiliij.

175 Ideò aliter propono probationem illius antecedentis. Scientia Media per se *adequate* repugnans suæ falsitati per se *adequate* connectitur cum eo, quod non detur suum falsificativum. Sed si detur carentia *absoluta consensus* pro casu auxiliij, dabitur falsificativum dictæ Scientiæ Mediae: ergo Scientia Media de consensu per se *adqua-*

*quare absolute connectitur cum eo;*  
*quod non detur carentia absoluta con-*  
*sensus pro casu auxiliij. Sed hoc est per*  
*se absolute connecti cum existentia ab-*  
*soluta consensus pro casu auxiliij: ergo*  
*ita connectitur. Mittō alias formas ad*  
*suum locum: quia ex solutione huius*  
*dari potest solutio reliquarum.*

76 Ad solutionem adverte. Etsi Scientia Media de consensu solum connectatur per se *conditionatè* cum existentia absoluta consensus pro casu auxiliij; falsificaretur, seu deficeret Scientia, si pro casu auxiliij non existeret *absolutè* consensus: ergo ex eo, quod ex defectu consensus pro tali casu, arguatur falsificatio, vel defectus Scientiæ, non infertur, Scientiam Medium de consensu esse *absolute* connexam per se cum consensu pro tali casu. Considetur bona. Prob. ant. quamvis Scientia Media affirmat *conditionatè*, & non *absolutè*; affirmat tamen dandum *absolute* consensum, si detur auxilium (in quo consistit veritas obiectiva conditionalis:) ergo si dato auxilio, non detur *absolute* consensus, non data est veritas conditionalis illa, neque datur obiectum ea ratione, qua affir-

matur : ergo præscindendo ab eo, quod Scientia Media connectatur per se *absolutè*, vel non cum consensu pro tali casu , falsificaretur, seu deficeret Scientia, si pro casu auxiliij non datur *absolutè* consensus. *Explicat.* Demus solum complexum ex Scientia , & auxilio connecti *absolutè* cum consensu pro casu auxiliij , adhuc ex defectu consensus pro tali casu argueretur defectus Scientiæ : ergo ex eo, quod ex defectu consensus pro tali casu arguatur defectus Scientiæ , non bene infertur solam Scientiam esse per se *adequate absolutè connexam* cum consensu pro tali casu .  
*Conf.* videtur bona. *Prob.* antec. Complexum ex Scientia , & auxilio habet connexionem cum existentia consensus sub auxilio : ergo ex defectu consensus , posito auxilio , inferitur deficere hoc complexum. Sed non qua parte dicit auxilium: quia defectus consensus datur , posito auxilio : ergo infertur defectus Scientiæ : ergo licet fingamus scientiam non esse per se *absolute adequate connexam* cum consensu pro casu auxiliij , deficeret , vel falsificaretur Scientiæ , si pro casu auxiliij non daretur *absolute* consensus.

77 Alias simili argumento probaretur, Scientiam necessariam, si Petrus existat, existet sine contradictione, connecti per se absolute cum eo, quod Petrus nunc, qui est casus suæ existentiaz, existat sine contradictione, & consequenter connecti cum eo, quod Petrus existat nunc absolute sine contradictione. *Resp.* ad argum. conc. mai. neg. min. Ad prob. dist. mai. Scientia Media de consensu per se absolute connectitur cum eo, quod non detur sui falsificativum, connexione inferente suum verificativum dati conditionate, conc. mai. connexione inferente suum verificativum dari absolute, neg. mai. Et conc. min. dist. cons. Scientia Media per se absolute connectitur cum eo, quod non detur carentia absoluta consensus sub auxilio, connexione inferente conditionate non dari carentiam absolutam consensus sub auxilio, conc. min. Connexione inferente absolute, neg. min. & cons. Eodem modo dist. min. subsumptam. Scientia Media per se absolute connectitur cum existentia consensus sub auxilio, connexione inferente conditionate existere absolute consensus sub auxilio, conc. cons.

connexione inferente *absolutē* ; nega  
conf. Vndē Scientia Media per se *ade-*  
*quate* connectitur cum eo , quod si  
existat auxilium , existat *absolute* con-  
fensus ; non tamen inferendo *abso-*  
*lute* existere *absolute* consensum. Ita-  
quē dato auxilio , Scientia Me-  
dia de consensu habet *absolute* du-  
plicem connexionem cum existentia  
*absoluta* consensus sub auxilio : aliam  
conditionatam , seu *subjective* *absolutam* ,  
& *objective* conditionatam ; *adequate*  
identificatam cum Scientia , essentia-  
lem ; aliam *absolutam* , sive *subjective* ,  
& *objective* *absolutam* , *inadequate*  
identificatam cum Scientia , & *inad-*  
*quate* cum auxilio , & hæc est acciden-  
talis Scientiæ , & deficit *præcise*  
deficiente auxilio : de hisplura  
tract. de Scient.

\*\*\*



JESUS

## DISPUT. IIJ.

### De credibilitate mysterio rum fidei.

#### SECTIO I.

*V*irium Mysteria nostra fidei sunt eviden-  
cer credibilia; seu an sit evidens esse dig-  
na assensu firmissimo excludente  
formidinem, ut impru-  
dentem?



Up, i. Non proce-  
dere questionem de  
credibilitate physica,  
qua identificatur cu  
veritate obiecti; sed solum de credibi-  
litate morali, qua oritur, vel per ra-  
tionem, vel virtutiter, aut realiter ex  
fundamentis suadentibus veritatem ob-  
iecti.

iecti : vnde contingere potest , rem sibi  
sunt esse magis credibilem , & habere  
moiorem dignitatem ad assensum , quam  
veram . Hæc dignitas potest esse ad as-  
sensum evidentem , quando scilicet ar-  
gumenta *evidenter* suadent obiectum &  
tales veritates dicuntur *evidentes* ; &  
potest esse ad assensum certum , licet  
obscurum : quando scilicet argumenta  
cum morali certitudine suadent obie-  
ctum ; & potest esse ad assensum proba-  
bilem : quando scilicet argumenta *pro-  
babiliter* suadent obiectum . Hæc credi-  
bilities , seu dignitates erunt eviden-  
tes , si evidens sit dari dignitatem ad  
prædictos assensus .

2 Sup. 2. Argumenta credibilitatis  
fidei non reddere *immediate* prima-  
riò credibilia ipsa mysteria , ut volunt  
RR. sed secundariò saltem negative : hoc  
est primariò tendunt ad illustrandam  
revelationem , & exinde mysteria : vel  
saltem non tendunt primariò ad illu-  
stranda mysteria , & secundariò revela-  
tionem . Hoc patet ex D. Thom. hic  
quæst. 5. art. 2. afferendo 1. prob.  
Confirm. 2. Et ratio est : quia argu-  
menta credibilitatis nostræ fidei non  
intendunt *præcisè* suadere veritatem  
mysticæ

mysterij; sed veritatem mysterij, vt re-  
velatam: quia talem veritatem inten-  
dunt, vt credantur; & non illis assen-  
tiamus alio modo, quam quia dictis à  
Deo. Sed hoc ipso, vel *primario*, vel  
æquè *primo* saltem, intendunt illustra-  
re, & credibilem reddere revelatio-  
nem, ac mysteria: quia mysteria credi  
non possunt, nisi media revelatione:  
ergo &c.

3. Sup. 3. *Esse moraliter evidens*  
mysteria nostræ fidei esse digna assensu  
firmissimo: Hoc solum dicunt AA. qui  
absolutè, & sine distinctione asserunt  
mysteria nostræ fidei *esse evidenter cre-  
dibilia*: quales sunt Caietan. & com-  
munitè Interpretè D. Thom. Coninc  
disp. 13. dub. 1. Granad. tract. 2. dis-  
put. 3. Lugo disp. 5. sect. 1. Ovieda  
controv. 4. part. 1. Ripalda disp. 6.  
sect. 5. & disp. 5. sect. 1. & de quæ-  
stione in hoc sensu accepta ait Exim.  
Doct. disp. 4. sect. 3. quod nullus Ca-  
tholicus potest dubitare. Vnde Capreo-  
lus negans in 3. disp. 32. quæst. vnic.  
art. 3. ad tertium forte loquitur de  
evidentia metaphysica, aut physica, de  
qua postea. Prob. assumptum. Quoties  
*moraliter certum est*, dari argumenta,

quæ cum mortali certitudine persuadent mysteria nostræ fidei, est *moraliter* evidens, mysteria nostræ fidei esse digna assensu firmissimo. Sed *moraliter* certum est dari argumenta, quæ cum mortali certitudine persuadent mysteria nostræ fidei, ut postea videbimus: ergo. Confirm. ex Psalm. 92. *Testimonia sua credibilia facta sunt nimis.* Vbi *nimas* saltem indicat evidentiam moralem credibilitatis. Ex Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent.* Excusationem tamen habent, si argumenta solum *probabiliter* suaderent doctrinam, vel si solum esset probabile, dari argumenta, quæ cum mortali certitudine suaderent doctrinam.

4. In idem recidunt Div. August. lib. de Utile credendi, cap. 12. *Nolle illi primicias dare, vel summa impietatis, vel præcipitis arrogantiae est.* Et Ricard. de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 22. *Genus esse dementiae in his vel aliquantulum dubitare.* Et cap. 2. *Dominus si error est, quod credimus, à te decepit sumus: ista enim nobis eis signis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri posuerunt.* Quæ omnia saltem ostendunt esse

*esse moraliter certum, & moraliter evi-*  
*dens, nostram fidem esse dignam assen-*  
*su firmissimo : siquidem ostendunt esse*  
*moraliter certum, dari argumenta, quæ*  
*cum morali certitudine suadent nostrā*  
*fidem : Alias etiam negantes excusatio-*  
*nem haberent, & non essent dementes,*  
*neque à Deo decepti. Vnde quæstio*  
*non procedit de hac evidētia moralis;*  
*sed de evidētia physica, aut metaphy-*  
*sica credibilitatis.*

5. Sup. 4. Quæstionem non pro-  
 cedere de evidētia directa credibilita-  
 tis : hoc est, non inquirere , an sit evi-  
 dens *physice*, aut *metaphysice*, dari argu-  
 menta credibilitatis , quæ cum morali  
 certitudine probent nostram doctri-  
 nam : quia in primis certum est , non  
 dari evidētiā metaphysicā de exi-  
 stentia miraculorum Martyrum , &c.  
 Deinde neque datur evidētia physica  
 de existentia Sanctorum Martyrum,  
 miraculorum confirmantium nostram  
 doctrinam saltem respectu omnium fi-  
 delium. Neque datur evidētia physi-  
 ca de eo , quod Ecclesia per suam au-  
 thoritatem humanam habuerit serio in-  
 tentionem ordinatam ad proponēdum  
 hoc mysterium ; de his autem solum

potest haberi evidentia moralis; non  
verò physica, & multo minus meta-  
physica: quia de nullo quamvis Sanctissi-  
mo possumus evidenter physice iudica-  
re, quod nos non decipiatur: ergo non  
datur evidentia physica respectu oini-  
tum fidelium, & multo minus meta-  
physica omnium, neque aliquorum fun-  
damentorum, quæ cum certitudine mo-  
rali suadeant nostram fidem. Quæstio  
ergo procedit de evidentia credibilitati-  
tis: hoc est, an sit evidens metaphysice,  
aut physice mysteria nostræ fidei esse  
digna assensu firmissimo.

6 Sup. 5. Certum est respectu il-  
lius, qui certo *moraliter* iudicat, dari  
argumenta credibilitatis, cum morali  
certitudine suadentia nostram fidem, in  
sensu composito talis iudicij, posse dari  
evidentiam physicam, de eo quod no-  
stra fides est digna assensu firmissimo:  
quia evidens est *physice*, imo & *meta-*  
*physice*, quod qui certo iudicat, dari ar-  
gumenta morali certitudine suadentia  
aliquam doctrinam, non potest illi *pru-*  
*denter* dissentiri; etsi cum eadem certi-  
tudine proponatur obligatio assentien-  
di, evidens est *metaphysice*, quod te-  
netur assentiri. Sed qui iudicat dari  
talia

Talia fundamenta, in sensu composito talis iudicij potest habere evidentiam physicam de tali iudicio proponenti talia fundamenta, & obligationem assentiendi: ergo sic iudicans, & in sensu composito talis iudicij, certum est, quod potest habere evidentiam physicam de eo, quod nostra fides sit digna assensu firmissimo. Sed existimo non bene resolvi hanc quæstionem à RR, ad presentem casum, & consequenter ad dictum iudicium. Quæstio enim præsens videtur inquirere: An antecedenter ad suppositionem huius iudicij mysteria nostræ fidei sint ita obiective explicata, ut sit obiective evidens physice, aut metaphysice, aut moraliter esse digna assensu firmissimo?

7 In hac quæstione AA. citati sup.

3. dicunt, esse moraliter evidens nostram fidem esse credibilem assensu firmissimo: quibus accedunt Sapientissimi Magistri addentes, consequenter ad iudicium, quo quis iudicat, dari argumenta suadentia cum morali certitudine nostram fidem esse physicè evidens, respectu huius, nostram fidem esse dignam assensu firmissimo. Pat. Thyrs. in Manuduct. ad cōversionem Maurorum,

lx. part lib. 2. cap. 2. citans Elizalde; de forma veræ Religionis, & Petrum Daniel. Huecio dicit esse *metaphysice evidens*, nostram fidem esse credibilem assensu firmissimo: & addunt, mysteria nostra esse *metaphysice evidentia* in attestante; id est, dari evidentiam metaphysicam revelationis, cum quo intendunt salvare obscuritatem sufficiensem mysteriorum, quam iudicant necessarium ad fidem. Ferre quæst. 4. §. 2. Oviedo supr. Gonet disput. 1. art. 4. Munies. disp. 6. sect. 2. dicunt esse *metaphysice evidenter credibilia*. Palanco disp. 4. quæst. 4. tria dicit: 1. Si argumenta inspiciantur solo lumine naturæ, nostram fidem esse *metaphysice evidenter credibilem* fide abstractente à fide in re, vel existimata divina: in quo convenit cum AA. immediate relatis, 2. Solo lumine naturæ haberi posse evidentiam metaphysicam credibilitatis negativer relatæ ad fidem in re divinam, & infusam. Quod non resuunt AA. præcedentes: quia hoc solum est mysteria non dicere *evidenter positivam* repugnantiam, ut credantur, 3. Si motiva credibilitatis inspiciantur Iu-  
guine infuso, ex illis resultat evidentia

positiva credibilitatis fide in re divina, non evidentia reflexa, & speculativa; sed practica, & exercita. Dixerat etiam quæst. 3. num. 58. evidentiam moralem non sufficere ad depellendam formidinem: qua ratione dicit, existere Romanum esse evidens non solum *moraliter*; sed *physice*. Et num. 6. evidentiam moralem de re oculis, & sensibus subjecta, ut existere Romanum, sufficere ad depellendam formidinem. In his aliqua videntur falsa, quæ non vacat impugnare.

8 Dico cum Ferre, & Oviedo. Attentis argumentis solo lumine naturæ, nostram fidem esse *metaphysice* evidenter credibilem fide divina in re, vel in existimatione tali: seu fide *objektive*, vel *effectiva* divina: seu fide divina naturali, vel supernaturali, quæ idem significant. Non tamen sunt sic evidenter credibilia fide in re divina determinatae; nec determinatae fide effectiva, & subiectiva divina; nec determinatae fide divina supernaturali. Secunda pars constabit ex dicendis. Prob. prima. Quæ sunt plusquam evidenter *moraliter* credibilia, sunt *physice*, & *metaphysice* evidenter credibilia. Sed nostra fides est plus-

quam evidenter moraliter credibilis a se sensu firmissimo excludente omnem formidinem tanquam imprudentem; ergo. Prob. min. Nostra fides est nimis credibilis assensu firmissimo. Sed non esset nimis credibilis, si solum esset evidenter moraliter credibilis : ergo. Mai. est Psalm. 92. *Testimonia tua credibili facta sunt nimis: & ut vertit Lo-*  
*rinus ex alijs: Nimis, nimis, nimium,*  
*valde.* Ex Basil. & Theodor. Ne nimiam quidem falsitatem considerari posse: non dicit timeri; sed consenserari, ut de-  
notet evidentiam metaphysicam: quia  
*timor imprudens coniungi* potest cum  
evidentia morali: *consideratio falsitatis*  
non potest coniungi cum evidētia me-  
taphysica credibilitatis. Minor patet.  
Quod omnino necessarium est ad ali-  
quid, non est nimium. Sed esse eviden-  
ter moraliter credibilem est omnino ne-  
cessarium ad assentiendum assensu fir-  
missimo: ergo si non esset plusquam, &c.  
Min. ex se constans, suaderetur ex Pro-  
pos. 21. Innocentij XI. *Assensus fidei*  
*supernaturalis, & utilis ad salutem stan-*  
*cum notitia solum probabili revelationis;*  
*imo cum formidine, qua quis formideret,*  
*non locutus sit Deus.*

¶ Confirm. Demonstratio non est  
sola evidentia moralis; sed metaphysica.  
Sed datur demonstratio de credibilita-  
te nostræ fidei: ergo datur non solum  
evidentia moralis; sed metaphysica.  
Min. prob. ex Chrysost. in oratione  
contra Gentiles, cuius titulus est *Ad-  
versus Gentiles demonstratio, quod Christus  
sit Deus.* Et ibi. *Hinc autem faciemus  
demonstrationem veritatis Christi,*  
ut ostendamus, ipsum esse Deum. Et  
concludit. *Nullus itaque his conteradixen-  
tit, nisi qui valde insanus, & totus spur-  
cus, natureque sensu privatus.* Sed hæc  
demonstratio non est de ipsis mysterijs  
fidei, ut patet: ergo de credibilitate  
fidei. 2. Intellectus neque convinci-  
tur, neque cognoscit manifeste, nisi  
quod est metaphysice evidens. Sed intel-  
lectus convincitur, & cognoscit ma-  
nifeste nostram fidem esse dignam assen-  
su firmissimo, & dictam à Deo: ergo.  
Prob. min. ex D. Thom. hic quæst. 5.  
*Si quis Propheta prænuntiaret in ser-  
mone Domini aliquid fruorum, & adhi-  
beret signum, mortuum suscitando, ex  
hoc signo convinceretur intellectus viden-  
tis, ut cognosceret manifeste, hoc dici à  
Deo, qui non mentitur. Sed hic non lo-*

quitur de evidentiā revelationis; sed solum de videntiā credibilitatis: ergo:  
 Prob. min. Quia immediate ante dixerat:  
*Quod autem voluntas moveat voluntatem ad assentiendum, potest contingere duobus modis. Uno modo ex ordine voluntatis ad bonum, & sic actus est laudabilis. Alio modo, quia intellectus convincitur ad hoc, quid iudicet, esse credendum hac, que dicunt. Sicut si aliquis Propheta. &c.*

10 Prob. 2. Evidenter credibile est, supremum numen, curam, & providentiam habens de creaturis rationibus habere in mundo aliquam veram Religionem; in qua placeat, & in qua velit colli, & adorari, v. gr. Gentilicam, Iudaicam, Mahometanam, vel Catholicam. Sed evidenter incredibile est reliquias, tot comulatas erroribus, & tot signis, miraculis, argumentis notatas ut falsas, esse veras: ergo evidenter credibile est nostra esse veram. Confirm. Evidenter incredibile est, Deum permettere, doctrinam falsam proponi cum tanta apparentia veritatis, ut omnes obligentur ad eam amplectendam, quin sit ullus etiam doctus, acutus, & Sanctus, qui possit detegere, vel per formidare de falsitate.

Sed

Sed nostra fides eius modi est : ergo est evidenter incredibile eam esse falsam.

Prob. mai. Si Deus posset id permettere , non haberet modum obligandi per se ad credendum *formaliter* veritatem à se revelatam. Sed hoc est evidenter falsum ergò. Prob. mai. Deus non haberet alium modum obligandi per se, quam præbendo eiusmodi argumenta. Sed si posset permettere eiusmodi argumentis proponi doctrinam falsam , non obligaret per se ; sed per accidens, ad credendam veritatem à se revelatam, sub his argumentis : ea ratione qua ruitus obligatur ad credendam quaternitatem Personarum : quomodo enim obligabit per se ad credendum *firmiter* sub his fundamentis, si non sit incredibile sub eisdem proponi falsum : ergo,

Prob. illa mai. 2. Si Deus posset permettere Religionem falsam sic proponi , homines possent queri de Deo tanquam seductore, ut dixit Ricardus sup.

3. Sed evidenter incredibile est , quod Deus permittat homines ponи in ea statu : ergo evidenter incredibile est, Deum permettere doctrinam falsam proponi eiusmodi argumentis. Ex his iudico cum Eximio Doctore Suarez,

Deum non posse permettere doctrinam falsam proponi *absoluta* & credibilem , seu credibilem respectu omnium , seu sub omnibus signis , sub quibus toti Ecclesiæ proponuntur credenda nostra mysteria.

II. Prob. 3. Quoties est *moraliter* certum dari argumenta cum morali certitudine suadentia nostram fidem , est *metaphysice* evidens nostram fidem esse dignam assensu firmissimo. Sed *moraliter* certum est , dari talia argumenta ergo. Min. prob. recensendo argumenta credibilitatis. *Primum* , hanc Religionem esse extensam ad tot Provincias , in quibus sunt viri Sanctissimi , & Doctissimi in Theologia , & Philosophia ; ideoque testes omni exceptione maiores , quod est maximum miraculorum , ut expendit Aug. lib. 22. de Civit. cap. 5. *Secundum* est , quod à paucis hominibus , & his abiectis introducta est doctrina repugnans carni , & sanguini , & quæ alijs videbatur scandalum , alijs infania , adversantibus Imperatoribus tam diris tormentis. *Tertium* est , miracula quæ facta sunt , & continuo sicut in eius confirmatio- nes , & insignia martyria omnis gene-

personarum. Quartum est , quod hæc Religio nihil continet contra rationem , imò potius omnia , quæ præcipit credenda , alia sunt conformia lumeni rationis , alia non contra ; sed supra lumen rationis , & hoc expositus ipsa ratio scilicet Deum non posse cognosci lumine naturali. Sed esse supra lumen naturalis rationis , & quæ facienda præcipit , conformia sunt rationi : ergo dantur argumenta , quæ cum morali certitudine suadent nostram fidem. De his argumentis vide Div. Thom. 1. Contra Gent. cap. 6. Bellarminum lib. 4. de Ecclesia Militante , & inter omnes , vt iudico , Taner. hic disp. 1. dub. 4. quæst. 2. Gonet disp. 1. art. 8.

12 Confirm. Ad minus aque evidenter credibilis est nostra fides , quam dari Romam. Sed est evidenter metaphysice credibile dari Romam : ergo. Prob. min. Magis evidens est posse prudenter affirmari sine formidine , dari Romam ; quam sit evidens aeris Romanus. Sed dari Romanus sit evidens moraliter : ergo primum est plusquam moraliter : ideoque physice , & metaphysice evidens. Maior videtur nota cuius si-

sicut firmius assentimur probabilitati  
alicuius sententiæ , quam eius veritati;  
cum probabilitati assentiamur certo; &  
veritati cum formidine : ita similiter.  
2. Quia nullus formidare potest , ad-  
huc imprudenter esse prudenter affirma-  
bilem Romanum : & potest imprudenter  
formidare de existentia Romæ. 2.  
Conclusio legitime deducta ex præmis-  
sis metaphysicè evidenteribus est metaphy-  
sicè evidens. Sed hæc conclusio , Fides  
nostra est digna assensu firmissimo , est  
legitime deducta ex præmissis metaphy-  
sicè evidenteribus : ergo. Prob. mai.  
Quia deducitur ex hac maior. Quo-  
ties certum est moraliter , dari argumen-  
ta, quæ cum morali certitudine suadeant  
aliquam doctrinam ; illa doctrina est dig-  
na assensu firmissimo , quæ mai. est evi-  
dens metaphysice : & ex hac min. Sed  
certum est moraliter , dari argumenta,  
quæ cum morali certitudine suadeant  
nostram fidem , quæ etiam est metaphysi-  
cè evidens. Quamvis enim non est me-  
taphysice evidens , dari in re talia argu-  
menta sic suadentia ; est tamen evidens  
metaphysice esse certum moraliter , da-  
ri talia argumenta : sicut quamvis non  
est metaphysice evidens dari Romanum; est

namen evidens metaphysice esse moraliter certum dari Romanum : ergo.

13 In modo forte dicet aliquis , et si non esset metaphysice evidens ; sed moraliter certum dari talia argumenta , esset metaphysice evidens nostram fidem esse dignam assensu firmissimam : quia conficitur haec demonstratio : *Quoties est moraliter certum , dari argumenta , que cum morali certitudine suadeant aliquam doctrinam , est metaphysice evidens talem doctrinam esse dignam assensu firmissimo. Sed est moraliter certum , dari argumenta , que cum morali certitudine suadeant nostram fidem ergo est moraliter certum esse metaphysice evidens nostram fidem esse dignam assensu firmissimo: in quo discutit maius & minor sunt evidens metaphysice.*

## SECTIO II.

### *Solvuntur obiectiones.*

14 **O**bijc. 1. Non datur evidentia metaphysica credibilitatis , quando non datur evidentia metaphysica illius , in quo fundatur credibilitas. Sed non datur evidentia

metaphysica talis existentia : ergo  
 Prob. min. Credibilitas fundatur in  
 miraculis, & alijs. Sed non datur evi-  
 dentia metaphysica de miraculis : ergo  
**Explicar.** magis credibilis esset nostra  
 fides, si daretur evidencia metaphysica  
 miraculorum, &c. suadentium nostram  
 doctrinam, quam si solum daretur evi-  
 dentia moralis miraculorum, &c. Sed  
 si daretur talis evidencia metaphysica,  
 solum daretur evidencia metaphysica  
 credibilitatis : ergo quando solum da-  
 tur evidencia moralis, non datur evi-  
 dentia metaphysica credibilitatis. Maia  
 videtur certa : quia magis suavibile est  
 totum esse maius sua parte, quam exi-  
 stere Romam. 2. In hoc syllogismo  
*Quoties est moraliter certum dari argu-  
 menta, &c. seu dari Incarnationem, est  
 credibilis Incarnatio. Sed est moraliter  
 certum dari Incarnationem : ergo est  
 credibilis Incarnatio.* Admisso quod  
 mai. sit metaphysice evidens, minor  
 non est metaphysice evidens : quia dari  
 talia argumenta solum constat eviden-  
 tia visus, & auditus ; visus autem, &  
 auditus solum fundant evidencia physi-  
 eam, hinc est quod solum erit evidens  
 physice.

15 Resp. conc. mai. neg. min. Ad prob. dist. mai. Fundatur *proxime* in miraculis, & cum morali certitudine existentibus, & suadentibus, conc. mai. in miraculis, & alijs *physicè* existentibus, neg. mai. & dist. min. Non datur evidētia metaphysica de *existentia physica* miraculorum, conc. min. de *moralibz certitudine* existentiæ physicæ miraculorum, neg. min. & conseq. Itaque credibilitas proxima, seu *proximè* fundatur, non in *existentia physica* miraculorum *physicè* certo existenti; sed in *existentia physica* miraculorum *moraliter* certa; cum autem evidētis sit *metaphysicè moraliter* certum esse existere talia miracula, vel saltem *moraliter* certum esse, esse *moraliter* certum existere talia miracula: Hinc est dari evidētia in metaphysicam. *Ad primam explicationem* resp. Verum esse, quod si datur evidētia metaphysica miraculorum, esset magis credibilis nostra fides intra eandem lineam: quia adhuc in linea evidentiæ dantur alia evidētiora alijs: sic prima principia adhuc in linea evidentiæ, evidētiora sunt conclusio- ne, ex ipsis deducta: & unus actus evi- dens *metaphysice*, potest esse clarior.

alio metaphysice evidenti: clarior enim est actus scientiæ Beatæ, qua cognosco hoc principium: *Totum est maius sua parte*, quam actus naturalis, quo idem cognosco. Probatio subsumpta non nocet: quia verum est, esse magis suavisibile totum esse maius sua parte, quam existere Romam: quia primum est metaphysice evidens, secundum moraliter certum: at verò non est magis suavisibile totum esse maius sua parte, quam est suavisibile Romam esse dignam assensu firmissimo de sua existentia. Ad secundam. Et est metaphysice evidens, esse certum moraliter dari Incarnationem, seu argumenta illam suadentia; & est metaphysice evidens, esse moraliter certam existentiam Incarnationis, ex dictis. Ad prob. Visus, & auditus solum faciunt evidentiam physicam rei visæ, & auditæ; at verò si moraliter certum est, & non dico physicæ, dari argumenta suadentia cum morali certitudine aliquam doctrinam, est credibilis talis doctrina. Vnde si evidens sit, esse moraliter certum, dari talia argumenta; erit metaphysice evidens esse credibilem talem doctrinam. Et idem est hanc esse evidenter credibilem assensu firmissimo exclusum.

excludente, ut imprudentem, omnem formidinem de opposito, ac esse evidens et incredibiles sectas oppositas.

16 Obijc. 2. Hæretici non solum negant nostram fidem, sed eius credibilitatem. Sed non possent existentiam negare, si esset metaphysicè evidens: quia evidenter metaphysica necessitat saltem quoad speciem: ergo. In primis, quod attinet ad pueros, & rudes hæreticos, certum est propter ignorantiam invincibilem excusari à peccato non credendi; & cum non habeant rationem dubitandi, non peccant contra fidem manendo sine inquisitione in suis erroribus. Respectu verò doctorum duplicitè responderi potest: 1. Dist. mai. eam negant imprudenter, conc. prudenter, neg. mai. & dist. min. non possunt eam negare prudenter, conc. min. imprudenter, neg. min. Quia cum solum sit probabile, esse metaphysicè evidenter credibilitatem, solum est certum, esse moraliter evidenter: quod autem solum est moraliter certum, seu moraliter evidens, negari potest imprudenter. Resp. Oviedo, 2. Hæreticos doctos nō posse negare credibilitarem nostræ fidei, si fundamenta credibilitatis vellent

expendere: cum autem evidentia credibilis non sit immediata, & ex terminis, sicut hoc principium: *Totum est maius sua parte*; sed mediata, & per aliud medium, potest errore vincibili, & per voluntariam distractionem, & currentiam applicationis ad considerandum non cognosci illud medium, nec conducentia ad inferendam credibilitatem: & tunc fallentes se ipsos possunt temere negare credibilitatem ex Matthei 13. *Videntes non vident*: & *audentes non audiunt*, nec intelligunt. Id est, quasi claudunt oculos, & obturant aures, ne audiant, nec videant, quæ non possunt non videri. *Alij iudicant veritatem, & credibilitatem fidei*, ut constat ex testimonio Bezae in vita S. Franc. de Sales, interius fateri; sed ob fines, & convenientias temporales eam exterius negant: sicut multi nolentes verum, dicunt contra mentem, & mentiuntur.

17 Obijc. 3. Licet nostra fides sic evidenter credibilis respectu doctorum, non respectu puerorum, & respectu rudium, qui nequeunt penetrare vim argumentorum. Argumentum, si vim habet, etiam habet in quavis secta.

*Resp.* Etiam respectu puerorum, & respectu rudium dari evidentiam respectuam, quæ oritur ex dicto Parentis, & Parochi: quia evidens est, quod tenentur credere illis, quos natura, & Providentia constituit Magistros, quando ipsis non occurrit ratio dubitandi: ideoque tenentur credere mysteria ab ipsis proposita; de hoc sect. sequenti, præcipue ex Matth. 23. *Quicumque dixerint vobis, facite.*

18 Obijc. 2. Ex Capreolo: si mysteria nostræ fidei essent *evidenter* credibilia fide divina, essent *evidenter* vera: quia nihil potest credi fide divina, nisi verum. *Explicat.* Hæc est bona consequentia, est *evidenter* impossibile: ergo non est *evidenter* credibile: ergo ab opposito est bona: est *evidenter* credibile: ergo est *evidenter* possibile. 2. Eo ipso quod sit nostra fides *evidenter* credibilis, tenemur etiam credere fide divina, vel saltem est possibilis fides divina circa ipsam. Sed ex possibilitate fidei divinæ circa aliquid obiectum, infertur *metaphysice* veritas illius obiecti: ergo ex evidentia credibilitatis infertur evidentia veritatis obiecti. *Resp.* Mysteria nostræ fidei esse *evidenter*,

*'denter credibilia fide divina obiective;*  
*id est, quia dicta à Deo. Non verò sunt*  
*evidenter credibilia fide divina subiecti-*  
*ve, & effective (attentis præcisè argu-*  
*mentis credibilitatis) quia his præcisè*  
*attentis, non est evidenter credibile da-*  
*ri hic, & nunc auxilium supernaturale*  
*ad assensum: paratam esse omnipoten-*  
*tiam ad assensum supernaturalem: dari*  
*reliqua com principia: nec de his curat*  
*iudicium de credibilitate, quod solum*  
*curat, an prudenter possit imperari as-*  
*sensus sine formidine? Et bene potest*  
*aliquid esse credibile fide divina obie-*  
*ctive, & esse falsum: ut patet in rustico*  
*credente quaternitatem Personarum.*  
*Aliter. Mysteria nostræ fidei sunt evi-*  
*denter credibilia fide divina naturali,*  
*vel supernaturali; non determinatè fide*  
*divina supernaturali: & fide divina na-*  
*turali potest credi falsum, ut patet in*  
*rustico dicto. Resp. 2. Per mis. mai. dist.*  
*min. Et est evidens fidem supernatura-*  
*lem esse veram, neg. min. quia aliqui*  
*rei concedunt in falsitatem ex natura*  
*reij ratione decentiæ; alij dicunt*  
*posse moveri ex revelatione falso exi-*  
*stimata; & alij dicunt Deum posse lo-*  
*qui falsum, &c. ut videbimus infra. Ita-*  
*que*

que mysteria nostræ fidei solum sunt  
 evidenter credibilia assensu firmissimo,  
 & solum tenemur assentiri eo assensu  
 quo possumus ; cum tamen non sit evi-  
 dens , nos posse assentiri assensu super-  
 naturali determinatè ; sed solum vel na-  
 turali , vel supernaturali assensu fidei  
 veræ ; vel assensu fidei divinæ existi-  
 matæ , hinc est , quod ex credibilitate  
 evidenti , non infertur evidentia my-  
 sterij.

19 Quod autem hæc obligatio  
 credendi respiciat immediate , & prima-  
 rio actum fidei , & ex inde connatum  
 voluntatis ; non è contra , vt docet  
 Oviedo , & RR. suadetur ex dictis  
 disp. i. de Bonit. & malit. sect. 7. in  
 præceptis de actibus externis : quia  
 præceptum audiendi sacrum , primario  
 respicit actum externum , & exinde in-  
 ternum ; fidei autem actus se habet si-  
 cut actio externa. Deinde hæc obliga-  
 tio credendi , et si antecedens ad iudi-  
 cium , vt solum fundata in ipsis argu-  
 mentis , non est evidenter connexa cum  
 existentia divinæ revelationis ; adeò-  
 que , nec cum existentia termini ; & hinc  
 patet ad secundam explicationem : Ad  
 primam advertere oportet hoc iudi-

cium : *Extremum esse evidenter impossibile*, nō opponi cōtradictorie cum hoc : *Extremum esse evidenter possibile* : quia in utroque est affirmatum sincathegoma evidenter , & utrumque potest deficere : siquidem dantur plura, quæ neque sunt evidenter possibilia , neque evidenter impossibilia. Ideo respondet negando secundam consequentiam, concessa prima : quia ibi non arguitur ad oppositum contradictione cum antecedenti : ut enim argueretur ad oppositum antecedentis , sic debebat fieri argumentum , est evidenter credibile: ergo non est evidenter impossibile , quod recte arguitur ; sed non contra nos.

20 Insistes : Mysteria fidei sunt evidenter credibilia fide , qua possunt. Sed possunt credi fide divina supernaturali , & vera : ergo sunt evidenter credibilia fide supernaturali , & vera. Sed non potest credi fide supernaturali , & vera , nisi verum : ergo sunt evidenter vera. 2. Argumento , quo detegitur fallacia antecedentis: Sunt evidenter credibilia fide, qua possum. Sed possum credere fide meritoria de condigno: quia , ut pie iudico , sum in gratia : ergo sunt à me evidenter credibilia fide meri-

meritoria de condigno , & consequen-  
tē saltem esset *evidenter* credibile , ut  
verum , me esse in gratia. Et quidem  
idem argumentum sit , si evidētia sit  
solum moralis. *Resp.* conc. mai. dist.  
min. Et est evidens posse credi fide su-  
pernaturali , & vera , neg. min. & non  
est evidens , conc. min. & neg. conf.  
& disting. similiter min. quoad primam  
partem , neg. conf. *Ad 2.* conc. mai.  
dist. min. similiter , & neg. conf. Imò  
hinc patet fallacia huius , & prioris ar-  
gumenti : quia de fide est , nullum pos-  
se credere sine speciali revelatione: nec  
firmiter assentiri *prudenter* esse in gra-  
tia : & si tenet argumentum , licet non  
evidens *metaphysice* ; sed solum sit *mo-*  
*raliter* evidens credibilitas fidei ; sine  
speciali revelatione , posset *firmiter*  
iudicare esse in gratia. Simili forma  
probatur , esse *evidenter* credibile liber-  
tatem consti. uī per carentiam præde-  
terminacionis. Quia est sic credibile , nos  
vitare peccatum libertate , qua possu-  
mus. Sed possumus vitare peccatum li-  
bertate constituta per carentiam præ-  
determinationis : ergo & sic de alijs ,  
quæ solum sunt probabilia.

21 Obije. 3. Id non est evidenter  
cre-

credibile, quod probabile est non esse credibile. Sed probabile est mysterium Trinitatis non esse credibile: Nam id sua let illud principium: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Cui principio repugnat mysterium Trinitatis: ergo non est credibile. *Resp.* neg. min. quia ipsa argumenta credibilitatis quæ reddunt credibile mysterium Trinitatis, eadem vi reddunt securum intellectum de eo quod principium: *Quæ sunt eadem uni tertio, non debet accipi, & intelligi, modo, quo opponatur mysterio, etiam si nesciat reddere rationem, quo modo intelligendum sit; ideoque in obsequium fidei captivat intellectum.*

22 Obje. 4. Si evidentia credibilitatis non est evidentia saltem physica; sed solum moralis obiecti, non possumus credere mysterium Eucharistiae, scilicet, ibi dari accidentia sine subiecto. Prob. ex vi solius evidentiæ moralis non possumus credere id, de eius opposito datur evidentia physica: nam hæc evidentia est maior morali. Sed datur evidentia physica, de eo quod accidentia sint ibi in subiecto: quia est evidens *physica* non posse accidentia existere sine subiecto: ergo &c.

Argumentum probat nunquam posse  
prudenter credi existentiam alicuius  
mysterij: quia dum hoc datur, datur  
iuxta argumentum evidētia physica de  
non existentia ipsius: quia evidētia est  
physica, quod nulli creaturæ denegatur  
terminus, cum quo naturaliter conne-  
ctitur. Ideò disp. 6. de Actibus hu-  
man. sect. 5. vidimus, quando neces-  
sitas moralis est maior necessitate phy-  
sica. Modo ex ibi dictis. Resp. neg.  
suppositum. Ad prob. dist. mai. Quan-  
do evidētia moralis non supponit vi-  
ctam, aut vincendam evidētiam phy-  
sicam, conc. mai. Quando sic eam sup-  
ponit, neg. mai. ut patet in instantia,  
& conc. min. neg. conf. Patet ergo  
argumenti fallacia: siquidem ex autho-  
ritate vnius hominis fidedigni pruden-  
ter credimus existentiam alicuius mi-  
raculi, & tamen unus homo tantum fa-  
cit certitudinem moralem negativam:  
si tamen evidētia moralis non suppo-  
neret victam, aut vincendam physicam:  
hoc est, si quin agens supponeretur  
habere connexionem physicam cum  
termino, daretur evidētia moralis de  
non existentia termini, eo scilicet,  
quod omnes Philosophi assertant illud  
agens

agens connecti cum carentia termini, tunc evidentia physica experientiae prævalere et illi evidentiae morali negativa omnium Philosophorum; nihilominus absolute iudico evidentiam moralē stricte talē, qualis requiritur ad fidem, ex specie sua esse superiorem evidentia physica, quæcumque hæc sit: siquidem illa talis est, ut *absoluta* reddat incredibile oppositum, etiam ad præsentiam cuiusvis evidentiae physice in contrarium: ideoque suadet, vel non dari evidentiam physicam in oppositum, vel ipsam esse supratam ab agenti superiori, scilicet à Deo habente dominium super exigentias.

### SECTIO IIJ.

*An evidentiæ credibilitatis sit sufficiens ad credendum, et si sub eisdem signis possit proponi falsum, vel non revelatum?*

23

**T**am diximus omnia mysteria nostræ fidei ex præcepto credenda, esse evidenter metaphysicè credibilia; & dicemus, non sufficiere probabilitatem de continentia

Singularis in revelatione vniuersali , ut credamus. Nunc inquiritur an eviden-  
tia metaphysica credibilitatis sit suffi-  
ciens ad credendum , eis sub eisdem  
signis possit proponi falso , vel non  
revelatum ? Sup. 1. Veritatem assensus  
circa mysterium revelatum depende-  
re à proponente applicativè ; non mo-  
tivè , nec constitutivè : quia constitu-  
tivè dependet , ab obiecto in se : & mo-  
tivè ab authoritate , ut revelante : sicut  
amor obiecti dependet à cognitione ;  
non tanquam à motivo ; sed tanquam  
applicatione : & combustio dependet  
ab applicatione tanquam à conditione ;  
non tanquam à virtute.

24 Sup. 2. Esse plures res , quæ eodem modo causant , si sufficienter applicantur , licet sit inæqualitas inter applicantes. Sie ignis eodem modo cau-  
sat , si applicetur à puer , ac à viro , modo sufficienter applicetur. Sic æquè movet ad assensum authoritas Augustini , si ab Eximio Suarez dicatur , illam sententiam esse Agustini ; ac si à Div. Thom. dicatur eam sententiam esse Au-  
gustini , quia per quemvis illorum suf-  
ficienter applicatur : quamvis D. Thom.  
in Sanctitate , & Principatu Magisterij supperet.

Sup.

25 Sup. 3. Quando est inæqualitas inter motiva, licet sit æqualitas in applicatione diversimode movere motiva. Sic si ab Eximio Suarez dicatur, aliquam sententiam esse D. Thom. & Caietani, magis digna est assensu illa opinio eo quod sit D. Thom. quam eo, quod sit Caietani. Quia D. Thom. pro sua excellentia in Doctrina, & Sanctitate meretur, quod plus ei debeatur, quam Caietano, dum est sufficienter applicatum eius testimonium, licet sit æquè applicatum testimonium Caietani. Sic plus movet assensum *Rex*, quam *eques*, si à viro fidedigno referatur: hæc nuntia dicta sunt à *Rege*, & à tali equite. Hac ratione magis movet assensum authoritas Divina, quam Augustinus, si sit moraliter evidens rem dicat esse à *Deo*, & ab *Augustino*.

26 Sup. 4. Magnam irreverentiam facere Regi, & exercite facere Regem mendacem, qui proposita attestacione Regis taliter, vt prudenter formidari non possit, attestacionem esse Regis, non crederet. Non dico dubitari sed formidari: inter quæ est magnum discrimen iuxta omnes, licet ab uno, vel altero in modo loqendi con-

fundi videantur : quia de his , quæ solum sunt probabilia , & ut talia proponuntur , prudenter dubitare possumus. De his , quæ sunt certa moraliter negative , potest prudenter formidari ; non verò dubitari. Sic formidari potest ; an talis Sacerdos rite consecraverit ; non verò dubitari. De his , quæ sunt certa omnimoda certitudine morali rigorosa , & positiva , non solum non potest dubitari prudenter , sed nec prudenter formidari. Sic non potest prudenter formidari , non dari Romam : Potest tamen imprudenter formidari. De his , quæ evidentia sunt , & ut talia propo-nuntur , nec imprudenter formidari po-test. Sic non potest formidari , totum non esse maius parte.

27 His soppotitis, Arriaga disp. 5. Sect. 4. Coninc disp. 13. dub. 1. Lu-go disput. 4. num. 34. & disp. 5. à num. 25. Ripald. disp. 6. Ovied. con-trov. 3. punc. 4. Muniesa , disp. 5. sect. 10. & alij dicunt sufficere ad cre-dendum argumenta communia credibi-litatis , quamvis sub eisdem argumen-tis proponi posset aliquibus præseri-miudioribus aliquid falso , vel non re-velatum sub obligatione credendum.

Antonius Perez , disp. 1. cap. 2. Es-  
forcia lib. 3. de Fide , cap. 5. Esparça  
quæst. 22. ad 1. dicunt , non posse  
Deum permettere , quid falsum propo-  
ni sub obligatione credendum adhuc  
rudioribus eisdem signis , quibus pro-  
ponitur verum. Ideò dum rusticus.  
credit mysterium Trinitatis vnicè pro-  
positum à Parocho debet apparere dis-  
cerniculum aliquod , vi cuius credens  
duci possit ad cognoscendum illud esse  
verum , quod non haberet ille , cui Pa-  
rochus proposuit Personas esse qua-  
tuor. De hoc discerniculo plura di-  
cemus.

28 In hac quæst. de hac providen-  
tia iam dicemus disp. 8. sect. 3. &c  
dicimus : in primis esse de fide Eccles-  
iam non erraturam in propositione ob-  
iecti credendi , & licet non sit de fide  
reliquos omnes Doctores non posse er-  
rare ( excepto etiam Pontifice ) est  
Theologicè certum non omnes erratu-  
ros. Ex illo , *& portæ inferi non præ-*  
*valebunt* : Quia hoc pertinet ad provi-  
dentiam , qua regit Ecclesiam. De alia  
Providentia diximus hic sect. 1. cum  
Suarez disp. 3. sect. 13. nec vniuersali-  
ter posse proponi evidenter credibilem  
fa-

falsam doctrinā adhuc in alia providētia. Neque vlli posse proponi evidenter credibile *evidentia absoluta* aliquid falsum, vel non revelatum eisdem signis, quibus proponuntur *absolutè evidenter credibilitia* revelata. Respectu vero iusticiorum, & similium, dico cum communī, posse proponi quid falsum, vel non revelatum *evidenier credibile* evidētia respectiva sub eisdem signis, quibus proponitur sub obligatione credibile verum. Ratio est: quia rusticus, cui Parochus, & Parentes proponunt credendam Trinitatem, ex hoc præcisè, si non occurrit obligatio plūs investigandi, habet obligationem credēdi. Matth. 23.  
*Super Cathedram Moysis sedērunt Scriptae, & Pharisei, omnia ergo quacunque dixerint vobis, facite. Nota ergo denotans ex eo inferri obligationem credēdi. Sed sub eisdem signis potest proponi sub obligatione credendum aliquid falsum: quia vnde repugnabit Parochum, & Parentes proponere sub obligatione credendum aliquid falsum. Imò ita proponitur rudioribus hæreticis, quorum plurimi ignorantia invincibili excusantur à culpa; & piè iudico, aliquos eorum tādem illuminatos*

salvari , nempè omnes illos , qui non commisserunt peccatum lethale: & forte plures , qui si commisserunt , fecerunt quæ iudicabant necessaria , ut delerentur . Hoc enim videtur pertinere ad providentiam , & misericordiam Dei , & apud Indos referunt Historiæ raroſ casus Gentilibus accidisse in hoc puncto , præcipue in vita V. P. Antonij Ruiz de Montoya , quæ habetur 5. tom. Viror. Illustr. Socier. & in vita V. P. Iosephi Ancheta , novi Thaumaturgi: de quo disp. 6. de Liber. arbitr. sect. 4. Ad illa facienti quod est in se , Deus non denegat gratiam . Sed notare placet claritatis gratia : Si contenti Adversarij essent cum eo , quod dum proponitur verum , & revelatum , detur in re , & exercitè discerniculum , quod non datur , dum proponitur falso , vel non revelatum , est verum : quia datur revelatio exercitè discernens unam veritatem ab alia , & unum assensum ab aliis ; si vero velint , ut volunt , hoc discerniculum debere dari signare , ita ut appareat , & discernatur , est falso .

29 Obijc. 1. Div. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 9. dicit : Credens inducitur auctoritate divine doctrina miracu-

lis confirmata, & quod plus est, insin-  
 etus Dei movementis: deo non leviter creditur  
 ergo inter motiva credendi ponendum  
 est discerniculum, quod vocat *instinctum Dei*. 2. Quæ docentur à Parochio  
 ut Ministro Dei, accipiuntur ut omnino  
 certa. Sed si iudicamus cum posse  
 mentiri, non possunt accipi ut omnino  
 certa: quia possumus dubitare de eius  
 veritate: ergo aliquid aliud discernicu-  
 lum necessarium est. *Ad 1. conc. ant.*  
 nego conseq. quia D. Thom. vocat in-  
 stinctum iudicium de necessitate cre-  
 dendi: quod quia est donum Dei, dici-  
 tur *instinctus Dei movementis* medio illo,  
 & pia affectione: non in alio sensu non  
 vero, quod clarius explicatum dabimus  
 disp. 8. sect. 3. *Ad 2. conc. mai. ex ip-*  
 sa experientia docente, rusticos firmius  
 credere; vel eam disting. accipiuntur,  
 ut omnino certa ex autoritate Dei di-  
 centis, conc. mai. ex dicto Parochi, ne-  
 go mai. quia ex dicto Parochi solum  
 sunt certa moraliter respectivè. Et dist.  
 min. Si sciamus posse mentiri non pos-  
 sunt accipi, ut omnino certa, ex motiva  
 ipsius, conc. min. ex *Deo dicente*, sub-  
 dist. Si nullum sit dubium, nec formi-  
 do, quod tunc non fallat, nego min. si

sit dubium, vel formido, conc. min. Et tunc tenetur plus investigare, aut deponere formidinem, iuxta qualitatem fundamentorum dubij, aut timoris. Solutio constat ex dictis; & ex dicendis.

30 Insistunt: Si doctrina falsa possit proponi eisdem signis, ac vera, non potest credens esse certus de veritate doctrinæ propositæ: ergo non potest sic proponi. *Prob.* ant. Veritas doctrinæ dependet à proponente, saltem ut applicate. Sed hoc ipso, si doctrina falsa possit proponi eisdem signis, ac vera, credens non potest esse certus de veritate doctrinæ: ergo. *Resp.* dist. ant. Credens non posset esse certus moraliter de veritate doctrinæ, nego ant. *metaphysicæ*, subdist. ante assensum, conc. antec. post assensum nego ant. Ad prob. conc. mai. & dist. similiter min. nego cons. Itaque credens *antecedenter* ad assensum non habet certitudinem *metaphysicam* de re credenda: quia solum habet certitudinem iudicij de credibilitate fundatam in argumentis credibilitatis, quæ dum est respectiva, solum est moraliter conuexa cum existentia obiecti: hæc tamen certitudo moralis, quæ datur *antecedenter* ad assensum, sufficit, ut

prudenter imperetur assensus firmus<sup>s</sup>  
 quia assecurat cum certitudine morali,  
 hic, & nunc dari antecedens, seu revo-  
 lationem metaphysicè connexam cum  
 obiecto, & obiectum esse metaphysicè  
 certum; licet sub eisdem signis possit  
 non existere in re: sicut sub argumen-  
 tis de existentia Romæ possum impera-  
 re prudenter assensum sine formidine de  
 existentiæ Romæ, & sub his argumen-  
 tis, potest non existere Roma. Vnde mo-  
 tiva iudicij de credibilitate, eadem  
 sunt, quando datur *revelatio vera*, &  
 quando datur *existimata*; motivum ve-  
 rò assensus circa obiectum, diversum  
 est, quando datur *revelatio*: quia est  
 ipsa *revelatio vera*, quæ non datur,  
 dum est existimata.

31. Insist. 2. Non possumus crede-  
 re prudenter sine formidine, & super  
 omnia, si tota apparentia obiecti est  
 compatibilis cum falsitate. Sed si sub  
 eisdem signis potest proponi falsa, tota  
 apparentia obiecti est compatibilis cum  
 falsitate: ergò. Prob. mai. Credere sine  
 formidine, & super omnia, est credere  
 modo tendendi firmissimo, reddente  
 quietum, & imperturbabilem intellec-

sum, & pugnantem cum admissione  
 formidinis. Sed non potest sic credere,  
 si tota apparentia obiecti est compati-  
 bilis cum falsitate: ergo. Min. videtur  
 nota: Quomodo enim esset quietus, &  
 imperturbabilis in assensu, qui sciret  
 totam eam apparentiam veritatis, qua  
 movetur ad assensum, stare posse cum  
 falsitate obiecti, cui assentitur: huius-  
 modi creditio videtur ultra merita ob-  
 jecti, adeoque imprudens, & in honeste-  
 imperabilis. Confirm. Repugnant dari  
 simul haec iudicia: Credo prudenter sine  
 formidine, & super omnia Trinitatem.  
 & iudico totam apparentiam motivorum,  
 quae moveor ad imperandum assensum,  
 posse compatri cum non Trinitate. Sed  
 haec darentur in eiusmodi cognoscen-  
 tia: ergo. Maior videtur vera: quia se-  
 cundum videtur destruere prudentiam  
 primi, & quasi dicere, imprudenter agi,  
 & ultra merita credi. 2. Si posset fal-  
 sum sic proponi, discredens posset ha-  
 bere excusationem, & dicere, se non  
 facere Deum mendacem: Ioan. 1. quia  
 dicet, credo impossibile esse metiri Deum;  
 non tamen credo, nec possum prudent-  
 ter credere, esse dictum à Deo id, quod

Sub eisdem signis, quibus proponitur; compati possit cum eo, quod neque sit, neque fit dictum à Deo.

32 Resp. neg. mai. Ad prob. conc. mai. neg. min. vel eam dist. Si prudenter iudicat, hic, & nunc non compati cum falsitate, nec formidari posse, quod hic, & nunc compatiatur cum falsitate, neg. min. aliter, conc. min. & neg. conseq. & prob. min. Quia prudenter assentimur sine formidine, & non ultra merita obiecti dari Romam ex dicto omnium (cum sciamus hæc dicta compati posse cum falsitate) eo quod moraliter est evidens hic, & nunc non compati cum falsitate. *Ad confirm.* Nego mai. quia totum hoc requiritur in sapiente credente dari Romam ex dictis omnium. Et nostro casu est aliud discrimen; quia non credimus mysteria ex motivo argumentorum; sed ex dicto Dei, quod dum sufficienter apparret, meretur assensum super omnia ex sup. 3. Munies, nolct, Adversarios denotare, quod assentire sine formidine, seu quod illa certitudo adhesiva super omnia, quæ datur in actu fidei, est intrinseca actu, cum tamen sit extrinseca, orta ex imperio: existimo tamen in hoc

non insistendum: Quia *tale assentiri*, & *certius adhäsiva radicaliter est intrinseca* actui in re fidei divina: cum non possit dari hæc fides sive prævia certitudine morali; est tamen *formaliter ex trinoteca*: quia *formaliter*, & *actualiter* provenit ab imperio. Actui vero fidei *præscindenii à fide in re*, & *fide in estimatione*, est *formaliter*. & *actualiter extrinseca*, & *præscindit ab esse radicaliter intrinsecam*.

33. Ad 2. Neg. antec. quia non habet excusationem, non acceptando testimonium Dei circa Trinitatem, dum hic, & nunc constat dari tale testimonium, ita ut solum imprudenter formaliter possit, non dari hic, & nunc; licet si nul iudicat, sub his signis posse non dari: ut diximus de existentia Romæ: hoc enim esset irreverenter tractare, & contemnere Dei testimonium, & exercere facere Deum mendacem: vel quia potius iudicandum de illo, existimare Deum mentiri, quam negare esse credibile, quod est evidenter credibile: vel quia virtualiter facit Deum mendacem, dum eius testimonium sufficienter apparet, ut dignum assensu firmissimo, non acceptat: certè hujusmodi irrever-

tentia esset maxima, si testimonium Regis sic apparens, non acceptaretur: & quilibet privatus, cuius testimonium, sic apparens non acceptaretur his verbis quereretur. *Hoc est tractare me us  
mendacem:* in hoc ergo sensu dicit Ioann. quod *culpabiliter* discredens, *fau  
ci Deum mendacem*. Non tamen negaverim aliquatum temescere fidem in advertente reflexe, *Sub his signis potest esse  
falsum*. Ideò dixi, sub signis de credibilitate absoluta non posse subesse falsum: & sub his signis revelationi debetri assensum sine villa tepiditate: quia sub illis non potest subesse falsum.

34 Infist. 3. Fidelis potest, & debet credere firmissime mysteria. Sed non potest sic credere, si sub eiusmodi propositione obligante potest subesse falsum: ergo non potest subesse. Prob. min. 1. Quia sub eiusmodi cognitione vacillaret fides. 2. Quia sub credentia credibilitatis, datur evidentia obligationis. Sed lex Dei nequit obligare ad credendum, quod in se non est revelatum: ergo. 3. Quia posset obligari ad credendum falsum, ex prævio iudicio supernaturali, & ex pia affectione supernaturali. Sed implicat iudicium, & piam

piam affectionem supernaturalem inclinare ad iudicium falsum: ergo. 4. Quia ille actus credendi falsum esset merito-  
rius , ideoque supernaturalis. Sed im-  
plicat assensus supernaturalis falsus: er-  
go. 5. Dum sic appareret falsum , pec-  
carer , qui non crederet : & gratum  
Deo opus ficeret credens : quis autem  
credat errorum in sensum Deo , esse  
Deo gratum; & veritatem graram Deo,  
esse Deo displicentem. 6. Quia sic cre-  
dens falsum , si postea melius instruere-  
tur , deberet repudiare suum assensum  
fidei. Sed hoc est falsum: quia Inno-  
centius XI. damnavit dicentes , posse  
sequitur repudiare assensum fidei , quam se-  
mper habuit: & quia cum fides sit meta-  
physica certa , est immutabilis , & irrevo-  
cabilis : ergo. 7. Quia dedecet divi-  
nam providentiam , permittere , quod  
et rusticis bona fide decipientur in ma-  
teria fidei : & sic deciperentur , nisi di-  
camus dari discerniculum: quia si da-  
hur , sibi imputent , quod decipientur.  
8. Resp. conc. mai. neg. min. ex  
dictis ad argum. praeced. Ad 1. Prob.  
neg. ant. quia solum posset procedere  
cum aliqua rapiditate naturaliter orta  
sex iudicio de possibiliitate falsi sub his  
meisq .

signis. *Ad 2.* Conc. mai. dist. min. Nequit dari lex Dei ad credendum non revelatum *antecedenter* ad suppositionem contingentem de evidentiā creditabilitatis conc. min. *Consequenter* ad tamē suppositionem , neg. min. Quia Matth. 23. dicitur, *Quaecumque dixerint vobis, facire* : & propter alia dicenda disp. 5. vbi latē dicemus ; Deum *consequenter* ad eiusmodi suppositionem posse causare per se errorem moralem. Vel aliter dicere poteris. Non posse dari legem Dei *directe* præcipientem assensum falsum ; secus *reflexe* præcipientem, scilicet pro casu, quo assensus proponatur obligatorius , & id saltem insinuac. Matth. 23. *Ad 3.* Conc. mai. neg. min, loquendo *consequenter* ad eiusmodi suppositionem contingentem. *Ad 4.* Ille assensus esset meritorius , & supernaturalis in imperio; non in se : de quo disp. 8. sect. 3. & 4. *Inde ad 5.* Conc. quod peccaret non credens ; & quod non credere esset Deo gratum in actu 2. & solum dispiiens in actu 1. remoto. *Ad 6.* dist. mai. Posset repudiare assensum fidei , iudicando , dum repudiat eum non esse assensum fidei, conc. mai. iudicando eum esse assensum fidei,

neg.

Neg. mai. & in hoc sensu intelligendus  
Innocentius, de quo seet. sequenti.  
**Affensus in re fidei est metaphysicè**  
**certus formaliter**, vel ut alij volunt,  
*sic sive: adhesivè vero* saltem est mo-  
raliè certus: quia certitudo **adhesiva**  
pende: formaliter ab imperio regulato  
per cognitionem honestatis credendi  
sub argumentis moraliter evidenter  
sudentibus obiectum; affensus fidei  
**existimata**, vel fidei **naturalis**, vel fidei  
**objektiva**, solum habet hanc secundam  
certitudinem, quæ saltem dum credi-  
bilitas est respectiva, deponi potest, &  
aliquando debet. *Ad 7. neg. mai.* Quia  
cum sit Dominus; & nihil de hoc pro-  
miserit: & fines iustissimos habere pos-  
sit hæc permittendi: sicut & permit-  
tit tot esse Gentiles, Hæreticos, & Is-  
dæos, & permettere potest baptizan-  
tem, & absolventem non habere inten-  
tionem absolvendi, nec baptizandi,  
etiam urgente morte: quid si hæc per-  
mitat? Imò plura vitantur peccata:  
si dicamus, hæc posse permettere: quia  
sic datur locus, ut plures non credant,  
sed non peccent: qui locus non datur  
in opposita sententia: ideo magis pie  
sentimus de Deo: quia sic appetitur ia-  
nua,

nua ; ut plures illorum salventur , ut  
diximus : quæ ianua clauditur ab  
Adversarijs.

## SECTIO IV.

*An evidētia credibilitatis necessaria  
sit pro omnibus actibus  
credendi?*

36

**S**up. 1. cum Suarez disp. 6.  
sect. 5. duplicem esse cer-  
titudinem , alia est certitudo conne-  
xionis cum obiecto , seu ut alij certi-  
tudo formalis : alia certitudo intentionis  
consistens in eo , quod non possit deri-  
ctus: quin detur obiectum sicut repre-  
sentatur , & hæc est omnino necessaria,  
ut detur actus fidei supernaturalis , ut  
dicemus disp. 8. sect. 3. & preb. Suau-  
rez disp. 3. sect. 13. Alia est , Certitudo  
**adhæsiva** : quæ dicitur etiam subiectiva ,  
consistens in eo , quod ita firmiter ten-  
dat actus in obiectum , ut non permit-  
tat formidinem voluntariam pruden-  
tem. Præsens quæstio inquirit , an hæc  
sit necessaria in omni actu credendi ? Et  
cum ad hanc habendam sit necessaria  
evidētia credibilitatis . Inquirit an  
hæc

hæc evidētia sit necessaria pro omni  
actu credendi?

37 Sup. 2. Ad credendum, & ad  
firmiter, & perfecte credendum fide  
divina non est ita necessaria publica  
propositio infallibilis Ecclesiæ, ut sup-  
pleri non possit. Ita communiter cum  
Scoto in 3. dist. 25. Cano de locis,  
lib. 2. cap. 5. Mærat. disp. 17. Ripald.  
disp. 6. sect. 4. Ovied. controv. 4.  
punct. 5. Quia ipsa authoritas infalli-  
bilis Ecclesiæ creditur fide divina. Sed  
ante hunc assensum præsupponitur  
propositus hic articulus modo suffi-  
cienti ad credendum, & non per ipsam  
authoritatem infallibilem, ut patet: er-  
gò. Oppositum tamen dicit Durand.  
in 3. dist. 24. quæst. 1. & Michael de  
Medina lib. 5. de recta in Deum fide  
cap. 11. existimantes hanc authorita-  
tem esse ultimum resolutivum fidei.

38 Sup. 3. Ad firmiter, & perfecte  
credendum, non ita necessaria est pu-  
blica propositio humana Ecclesiæ, ut  
suppleri non possit. Ita Aragon 2. 2.  
quæst. 1. art. 1. Torres disp. 4. Castro  
Palao tract. 4. disp. 1. punct. 2. Bañez  
quæst. 1. art. 1. Valencia, disp. 1.  
quæst. 1. Ripalda, & Oviedo supr.

Ratio est: quia propositio hæc Ecclesiæ solum esset necessaria, ut fieret credibilis. Sed multis nulla facta mentione Ecclesiæ revelatio sit credibilis: ergo. Prob. min. Quia in lege Scripta multi crediderunt Prophetis, antequam eorum libri recipirentur ab Ecclesia. Et Act. 3. & 4. Petrus miraculo facto, & nulla facta mentione Ecclesiæ convertit quinque millia; & frequentes sunt similes casus in historia Ecclesiastica: ergo revelatio potest aliunde fieri credibilis, nulla facta mentione auctoritatis humanæ Ecclesiæ. Contra hoc esse potest. Illud vulgare August. contra Epist. fundament. cap. 3. *Evangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesiæ auctoritas commoveret. Teneat me consensus populorum, &c. & Div. Thom.* hic quæst. 5. art. 3. dicens, obiectum fidei esse primam veritatem, quatenus contentam in doctrina Ecclesiæ. Verum dici potest, Augustino forte fuisse specialiter necessariam hanc applicationem: cum ipse adhæreret oppositæ sententiæ, & ratione sui ingenij ad omnia inveniret solutiones, & in omnibus difficultates: vel summi accessuariam pro valde expedientem: vel

vage fuisse necessariam hanc , vel æquivalentem applicationem : sive hæc sit specialis illustratio , vel illuminatio, vel propositio , vi cuius dubitare , nec torpidare possit de revelatione : ex Div. Thom. hic quæst. 5. art 5. ad 1. Per hunc modum fideles habent eorum notiam , non quasi demonstrative ; sed in quantum per lumen fidei vident esse credenda. Sed in his cautè Quo sensu etiam loquitur D. Thom. vel dicunt fuisse necessariam negative , seu nullatenus fore aliquid credibile fide quibusvis argumentis , si constet , in contrarium dari propositionem publicam Ecclesiæ : quæ cum non proponat nisi visis , & expensis omnibus , & præponderatis omnibus alijs argumentis : & ideo in dubijs est necessarius hic recursus : præsertim cum ex assistentia Spiritus Sancti habeat infallibilem autoritatem , quam noscimus ex Scripturis.

39 Sup. 4. De facto dari saltem evidentiam moralem credibilitatis de credendis ex obligatione : sive hæc evidencia credibilitatis satis nota sit omnibus credentibus , sive non , de quo infra , hoc constat ex sect. 1. His suppositis. Apud Tan. disp. 1. quæst. 4.  
dub.

dub. 4. num. 91. dicunt, ad credendum ex obligatione. Cano, & Bañez requiri evidentiam moralem credibilitatis; secus ad credenda, quæ non ex obligatione; sed piè creduntur. Ripalda disput. 6. sect. 5. non esse necessariam evidentiam moralem credibilitatis ad omnes actus credendi; sed sufficere iudicium probabile ad aliquos actus, quos vocat imperfectos, & non ita firmos, quales iudicat reperiri in rudiорibus. Hac ratione disp. 8. sect. 5. dicit, sufficere probabilitatem de continentia singularis in universalis revelata, ut credatur fide supernaturalis idem & cum maiori latitudine sentiunt alij citandi sect. 5. pro explicatione propositionis 4. damnata ab Innocentio XI. Communis sententia dicit, ad credendum fide divina requiri evidentiam moralem credibilitatis, seu certitudinem moralem revelationis, & non sufficere probabilitatem. Ita D. Thom. hic quæst. 1. art. 4. ad 2. Cajetano, Aragon, Eximius Suarez disp. 4. sect. 2. & disp. 6. sect. 5. Petrus Hurtado disput. 14. Coninc disp. 13. Tanner. disput. 1. quæst. 2. Granados tract. 2. disp. 3 Lugo disp. 5. Oviedo controv. 4.

punct. 5. Amicus disput. 3. Esparza  
quæst. 16. Puente Hurtado dissert. 11.  
cap. 3. Carden as dissert. 14. Munies.  
disp. 6. sect 3. Advertit Castro Palao,  
non esse necessarium in omnibus evi-  
denter cognoscere eius credibilitatem;  
sed sufficere aliquomodo eam cognos-  
cere, ut accidit rusticis, qui certissime  
iudicant, in re tam gravi nullatenus  
decipiendos à Parocho. Sic Valenc. dis-  
put. 1. quæst. 1. punct. 4. dicit, non  
omnes prudenter credentes habere  
evidentiam in actu; sed in actu, vel  
potentia. Et Oviedo supr. non requiri  
evidentiam moralem ex omnibus moti-  
vis, quibus revelatio fit credibilis. Ita  
citati D. Thom. Suarez, &c.

40 Dico cum relatis; Ad omnes  
actus credendi esse necessariam eviden-  
tiam credibilitatis; & non sufficere so-  
lam probabilitatem revelationis; nec  
solam probabilitatem contingentiae sin-  
gularis in universalis revelata. De hoc  
secundo iam agemus; modo autem de 10.  
utrumque constat ex propositione 21.  
diminata ab Innocentio XI. Assensus fi-  
dei supernaturalis, & utilis ad salutem  
stat cum notitia solum probabili revela-  
tionis; imò cum formidine, qua quis for-  
mis-

vides, ne non sit locutio Dei. Prob. In  
 primis est necessaria evidentia credibi-  
 litatis ad credenda ex obligatione: dein-  
 de ad credenda, quæ non sunt ex obli-  
 gatione: ergo ad omnes actus creden-  
 di. Prob. 1. pars. Credens ex obliga-  
 tione debet credere sine dubitatione, &  
 formidine. Sed ad sic credendum est  
 necessaria evidentia credibilitatis: ergo.  
 Min. patet: quia non potest credere si-  
 ne formidine, qui iudicaret probabile  
 esse oppositum, & hoc ipso esse pru-  
 dentem formidinem. 2. Credens ex  
 obligatione debet credere ita firmiter,  
 ut prudenter paratus sit mori pro ve-  
 ritate revelationis, & mysterij. Sed ne-  
 quit esse prudenter sic paratus, cum so-  
 la probabilitate revelationis, & myste-  
 rij: ergo. Mi n. patet: quia impruden-  
 ter prodigeret vitam pro veritate, de  
 qua prudenter potest dicere, forte est  
 falsa: & cuius oppositum æquè proba-  
 bilitè potest iudicare: quia esset mo-  
 raliter se exponere periculo sustinendi  
 mortem pro re falsa. 3. Debet ita fir-  
 miter assentiri, ut non dissentiret, et si  
 Angelus de Cœlo, aut D. Paulus dice-  
 set oppositum. Sed ad sic assentiendum  
 non sufficit probabilitas: ergo. Mai. est

Pauli ad Galat. 1. Min. patet: quia per dictum Pauli, & Angeli in contrarium posset, & deberet deponi iudicium solum probabile. 4. Credens ex obligatione ita credit, ut non haberet excusationem, si non crederet. Sed cum sola probabilitate haberet, aut facile habere posset excusationem: quia per oppositam probabilitatem iudicare poterat non teneri credere; immo non posse firmiter credere, ut postulat fides: ergo. Mai. est Ioan. 15. *Nunc autem excusacionem non habent.* Vnde, qui non credit, sine formidine voluntaria, non satisfacit obligationi credendi; non habet actum credendi *etiam imperfectum*: de quo sect. 5. eo quod de essentia fidei sit certitudo adhaesiva, sicut obiectiva.

41 Prob. Esse necessariam evidenteriam credibilitatis, seu non sufficere probabilitatem ad credenda, quæ non sunt ex obligatione. Si ad credenda sufficeret sola probabilitas, posset quis sine speciali revelatione credere fide divina se esse in gratia. Sed non potest: ergo. Min. est Trident. sess. 6. cap. 9. *Quilibet :: de sua gratia firmidare, & simere potest, cum nullus scire valcat certitudine fidei, cui non potest subesse*

*vix falso*, se gratiam Dei esse consecutum. Mai. patet: quia de fide est, quod omnis, qui conteritur contritione perfecta est in gratia, & posset prudenter iudicare se perfectè contritum. *Alij èr.* Qui potest formidare de sua gratia, non potest credere se esse in gratia. Sed cum sola probabilitate revelationis, aut continentiae singularis in universalis potest formidare de sua gratia: ergo non potest credere. Mai. est Trid. *Quilibet, &c.* Vel ab *opposito*. Qui potest credere, non potest formidare. Sed cum sola probabilitate potest formidare: ergo. Prob. mai. Quia ab *opposito* consequentis valet ad *oppositum* antecedentis. Sed ex Trid. *Qui potest formidare non potest credere: ergo qui potest credere, non potest formidare.* Ideò Suarez disp. 3. sect. 19. num. 9. Lugo disp. 1. sect. 13. Petrus Hurtado disp. 11. sect. 4. dicunt, actum fidei non posse terminari ad obiectum probabilitèr contentum sub obiecto revelato. Idem tenent Cardenas, & Muniesa suprà.

42 Dubitari posset: An sententia dicens sufficere solam probabilitatem ad credendam cadat sub damnatione propositionis 21, relata? Lumbler, & Car-

edens, Muniesſa disp. 6. ſect. 4. exiſtia  
na t ſub damnatione cadere. Aliqui  
apud Fuente Hurtado diſſert. 11. iudi-  
ca t dici poſſe, non cader e: quia pro-  
poſi tio damnata eſt complexa, & copu-  
lativa; cum notitia ſolum probabili; imo  
eum formidine: quod complexum non  
diceret, qui ſolum dicat cum notitia  
probabili; quia haec eſt separabilis à for-  
midine. Alius diſcet non damnari, di-  
centes, ſufficere probabilitatem ad cre-  
dendam, qua non ſunt ex obligacione; fe-  
cūs dicentes ſufficere ad credenda ex  
obligacione; quia propositio ait, *Affen-  
ſus ſ pernaturalis, & utiles ad ſalutem;*  
que verba inſinuant agi de affenſu ecli-  
gatorio. Hoc 2. Effigium maiorem  
apparētiam habet. Sed exiſtimo utrum  
que eſſe effigium. Non dubito, vt di-  
cit Muniesſa, corticem verborum ſic  
ſalvari poſſe. Sed nec poſteſt dubitari,  
verba ſufficere ad quamvis damnan-  
dam, & ſeorsim damnandam: ideò iu-  
dico, hanc ſubtilitatem eſſe eludere  
irrifiore, potiusquam tenere prohibi-  
tionem: p raeſertim cu m nullus, quem  
audierim, aufus ſit, adhuc diſputando,  
defendere aliquam ex illis ſeorsim poſt  
decretum: & obſervantia eſt rectus

interpret̄ legum. Similiter eludere possunt irrisoriè Hæretici præceptum annuæ confessionis obligans omnes utriusque sexus, dicentes, hoc esse, solos Hermophroditas. Quia hic sensus cadit in cortice verborum. Et similiter studi possunt plura præcepta.

## SECTIO V.

### *Solvuntur Argumenta,*

43

**O**bijc. i. Contingere potest, quod pueris, & rusticis, qui vivunt in Olandia, & Anglia vnuſ Parochus proponat credendam doctrinam Catholicam; alter doctrinam Lutheri, cum æqua, vel paulo minori autoritate: respectu huius neuter facit evidentiam moralem: quia vnuſ enervat vires dicti alterius, & cum vterque proponatur æquè doctus, pius, & prudens: apparet æquè, vel ferè iudicabilis vna ac alia sententia. Homo sic constitutus, vel excusat ab infidelitate non credens, vel non. Si non excusat: ego solum cum iudicio probabili potest credere: & consequenter non requiritur evidētia cre-

dibilitatis. Si excusatur ; est contra Prop. 4. Innocentij XI. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, auctor opinione minus probabili.*

44 Ad hæc Lumbier tom. 3. Sum. respondet. Infidelem eo ipso, quod ipsi appareat probabilior doctrina Catholica, teneri credere, & cum ipse dixisset, requiri evidentiam credibilitatis, ut fidelis teneatur credere: dicit, per evidentiam credibilitatis se intelligere evidentiam maioris probabilitatis. Filguera explicat hanc propositionem dicens, *Peccatum in fiducia consistere in eo, quod cum obiectum sit evidenter credibile, ipse habeat suum cognitionem probabilitatem.* Magist. Hoz s explicat, dicens huiusmodi hominem non teneri statim credere; teneri tamen non negare fidem in dictis circumstantijs: quia hoc debetur si dei, cum teneatur deferere suam infidelitatem. Carderas, dissertat. 5. cap. 2. dicit, probabilitatem, quæ datur in infideli de rebus fidei involvere ignorantiam vincibilem: ideoque non excusat, quia sic ignorans tenetur investigare certitudinem, vel sequi strictiorem partem: itaque est infidelis.

Muniessa disp. 6. sect. 4. parum differt à dicendis. Sed existimo maiori egere explicatione; quia vnicè dicit, hunc excusari ab inevidentia credibilitatis: quæ potest dari etiam sine probabilitate in contrarium, scilicet, si viriusque datur dubium.

45 Propositio damnata, ut iacet, sumpta est ex Ioann. Sanchez disp. 19. num. 7. vbi dicit, sicut in alijs materijs homo excusatur à peccato, sequendo opinionem minus probabilem; ita excusatur in materia fidei. Bañez, Aragon, Victoria apud Thom. Sanch. lib. 2. Sum. cap. 1. num. 5. & 6 dicunt, debere amplecti, quod probabilius apparet: ipse dicit, hoc esse verum in articulo mortis; in salute tamen investigare debere, & orationibus vacare, ne sit deinceps ignorantia culpabilis. Resp. Quod homo sic constitutus per se loquendo tenetur investigare, quantum in se sit, veritatem: quia agitur de his, quæ in re sunt necessaria ad salutem, quod non supplet probabilitas, neque extimatio: & consequenter per se loquendo non excusat à peccato infidelitatis sequens sententiam Lutheri, ex vi præcisè opinionis minus probabilis sicut

Sicut excusatur à peccato in alijs materiaj  
rijs sequens opiniones minus probabi-  
les : quia in alijs materiaj non tenetur  
amplius in daggere ; secus in materia  
ad eō necessaria ad salutem , si ve d , vel  
non occurrat obligatio indagandi , vel  
post examen , quod iudicet sufficiens ,  
maneat ut antea , excusatur à peccato  
infidelitatis sequens sententiam Luthe-  
ri , non ex his terminis : *Quia si quis*  
*opinione minus probabilem.* Sed quia  
vel non occurrit obligatio investigan-  
di , vel post debitum examen apud se ,  
manet in statu probabilitatis , seu incul-  
pabiliter est in statu , in quo nec tene-  
tur , nec potest credere : quia ad cre-  
dendum requiritur evidētia credibili-  
tatis . Hæc videtur mens damnationis :  
quia opposita est mens propositionis ,  
& Authoris damnata . Idem quod dixi  
de his terminis , *Sequi sententiam Lu-*  
*theri :* dico de his ; *non credens :* quia  
ratio est eadem .

46 Ex his , sic manens in linea  
probabilitatis , non tenetur nec in vita ,  
nec in articulo mortis sequi probabi-  
liss : quia hic assensus non est utilis ad  
salutem : cum non sit actus fidei : &  
consequenter non tenetur ad illum;

æredibile tamen est , vt latè dixim.  
 disp. 6. de Liber. Arbitr. sect. 4. quod  
 si is servaverit præcepta naturalia : aut  
 post violata, doluerit, & fecerit, quæ ne-  
 cessaria iudicabat , vt delerentur, Deus  
 eum illuminet , ita , vt credere possit:  
 vt diximus hic sect. 3. Si autem in-  
 vincibiliter hæc non facit, aut non illu-  
 minatus est , non tenetur credere : quia  
 non potest, & non peccat non credens,  
 vel quia non occurrit obligatio inda-  
 gandi : vel quia post debitum examen  
 inculpabiliter manet in statu , in quo  
 non potest credere.

47 Obijc. 2. Si ad credendum re-  
 quiritur indispensabiliter evidētia  
 credibilitatis , pueri , & rustici non  
 possent credere , vt oportet ad salu-  
 tem. Sed hoc est fālsum : ergo. Mai.  
 prob. Quia isti cum non penetrant, imò  
 neque sciant argumēta, non possunt ha-  
 bere iudicium moraliter evidens credi-  
 bilitatis. Et min. & mai. suadetur ex  
 Agust. Epist. 102. Si propter eos so-  
 los Christus moreuus est , qui certa intel-  
 ligentia possint ista discurrere pens fru-  
 stra in Ecclesia laborare quis : ergo iuxta  
 Augustinum , sine iudicio certo credi-  
 bilitatis potest credi a rudi bns, vt opor-  
 ter

ter ad salutem. *Confirm.* Tempore Christi, & Apostol. multi credebant ex prædicatione viso ad summum, uno, vel altero miraculo; & ignoratis multis ex his, quæ nunc fundant evidentiā moralē. Sed illa credebant falso animo; ergo ad sic credendum non requiritur evidentiā moralis.

48 *Resp. neg. mai.* Quia licet pueri, & rudes non habeant evidentiā moralē ea intelligentia discretionē, & claritate, qua literati, habent evidentiā moralē respectivam: quia certissimè iudicant, non decipiens à Parocho in re tanti momenti: & experientia teste, sæpè firmius credunt, quam literati: quia certo iudicant, esse rationem credendi; & non apparent rationes formidandi. Augustinus solum intendit, non esse necessariam ad fidem evidentiā absolutam credibilitatis: nec evidentiā tam claram, discretam, & perpicacem, qualem habent literati, & possunt fundare argumenta apud penetrantes eorum vim; non verò negat, requiri evidentiā respectivam. *Ad confirm.* Conc. mai. & min. neg. conseq. Quia vel illi habebant evidentiā respectivam, ut dicimus

cimus de rusticis , vel evidentiam ab-  
solutam credibilitatis : quia multa ex  
his, quæ fundant evidentiam moralē,  
redundanter eam fundant : cum multa  
ex his supersint ad evidentiam mo-  
ralem.

49 Obijc. 3. Infideles idiotæ au-  
dientes nostros Ministros , possunt  
credere. Sed non habent evidentiam  
moralē ; sed ad summum probabili-  
tatem : ergo. Maior est vera : alias non  
peccarent , dum non crederent. Prob.  
min. Ipsi saltē iudicant suam sectam  
esse probabilem : & vitra non agnosc-  
cunt obligationem amplius inquirendi.  
Sed iudicium de probabilitate suæ se-  
ctæ pugnat cum evidētia credibilita-  
tis nostræ fidei : ergo. 2. Rusticis in-  
fidelibus proponuntur à Ministris sua  
dogmata , eodem modo ac nostris my-  
steria fidei : allegatis miraculis , à virtus  
sanctis , doctis , & prudentibus ea de-  
fendentibus. Sed isti non redunt sua  
dogmata evidenter credibilia respectu  
suorum : ergo neque nostri : & con-  
sequenter sufficiet probabilitas ad cre-  
dendum. 3. Si rustico proponant si-  
mal duo Ministri , æquè authoritatis  
quoad ipsum , alter doctrinam versus ;  
alter

alter Lutheranum , allegando similiis  
miracula , & argumenta ac Catholicus;  
rusticus ille posset converti , & ample-  
cti nostram fidem. Sed non haberet  
evidentiam; sed ad summum probabili-  
tatem maiorem nostræ fidei: ergò.

50 Cardenás dicit. 5. Muniessa  
disp. 6. dicunt, Ministros infideles non  
fundare veram evidētiā respectivam,  
nec veram probabilitatē ; sed solum  
apparentem ; & iudicium credibilitatis  
audientium esse iudicium prudentium;  
non prudens , neqne prudentia: Hæc  
difficilia sunt , & longius examen ex  
tractatu de conscientia petebant: de quo  
al qua disp. 5. vbi de præcepto erroris  
moralis. Resp. dicit. mai. Infideles illi  
possunt remotè credere, conc. mai. pro-  
xime, subdicit. Dum non manent in iu-  
dicio de prudenti , aut probabili iudi-  
cio credibilitatis suæ sectæ , conc. mai.  
dum in eo manent, neg. mai. & permis.  
min. neg. conseq. Ad prob. min. per-  
mitto totum syllogismum. Itaque si  
nostra fides solum ipsis appareat proba-  
bilis, & non occurrat obligatio inqui-  
sendi , non peccant non credendo : quia  
non possunt credere , ut constat ex ob-  
iect. i. per se loquendo , in re tanti mo-  
menti

menti in dictis circumstantijs tenentur  
investigare, & orare; si faciant debita,  
Deus illuminabit, ut certo moraliter  
agnoscant credibilitatem. *Ad 2. conc.*  
*mai. neg. min.* Quia ex lumine naturae  
tenemur credere, & audire, quos natu-  
ra, vel recta gubernatio, etiam politi-  
ca, constituit nobis Magistros. *Ad 3.*  
Ex dictis, non posset plene converti,  
nec posset credere; posset magis incli-  
nari in nostram fidem, & in dies facien-  
do, quod est in se, Deus illuminaret, ut  
ad perfectam cognitionem veniret.

51 *Obijc. 4.* Cum sola probabili-  
tate veritatis, potest quis prudenter, &  
honeste assentiri alicui sententiae; &  
potest prudenter, & honeste credere  
homini; & potest prudenter, & hone-  
ste credere Deo fide naturali: ergo  
& supernaturali. *Prob. conseq.* & an-  
tec. quoad ultimam partem. 1. Eo ip-  
so quod assensus proponatur prudens,  
potest haberi prudenter. Sed cum sola  
probabilitate potest iudicari prudens:  
ergo. 2. Obligatio assentiendi myste-  
rio revelato, potius, quam scito, non  
sumitur ex evidentia credibilitatis; sed  
ex praestantia motivi. Sed haec præ-  
stantia datur sub probabilitate: ergo.

3. Quia

3. Quia adoramus hostiam in Sacerdotiis. Sed solum est probabile esse consecratam: ergo. 4. Authores saepè allegant pro suis opinionibus Scripturas. Sed hæc allegationes solum sunt probabiles: ergo possunt credi ex vi Scripturarum: alias ad quid allegarentur.

52 Resp. dict. ant. Potest assentia re credere homini, & Deo fide naturali prudenter, & honeste, affectu firmo adhaesivè, & sine formidine, neg. ant. non firmo, & cum formidine, conced. antec. & neg. conseq. Quia fides supernaturalis, ex dictis, est omnino certa. Ad prob. conc. mai. neg. min. Quia imprudens est imperare assensum sine formidine, & cum animo parato ad moriendum pro veritate obiecti, cum sola probabilitate veritatis: ut est notum. Si autem aliquis insisterat: In bello utrumque probabili de obtinendo Regno, milites cuiusvis exercitus, prudenter, honeste, & honorifici sunt parati ad moriendum pro veritate attinentiae Regni ad suum Duxem; & solum datur probabilitas, ut supponitur, attinentiae Regni ad ipsum. Ad hæc respondere tenentur omnes: & iudico respondebunt, quod quamvis voces sonent, patet

*Paros esse ad moriendum pro veritate; int̄ re solum esse sic paratos ad moriendum pro iustitia, & fidelitate: quia iustum est, & magna fidelitas defendere usque ad sanguinem ius Principis, quod prudenter creditur in Principe esse. Non est pro veritate: quia non ita firmiter assentiuntur, ut exercitè dicant, potius est verum ad hunc Principem attinere Regnum, quam illud, quæ sunt eadem universalia, sive eadem inter se; & quidem Ripalda, & alij Adversarij fatentur, cum sola probabilitate revelationis, solum posse dari assensus imperfectos fideli, & formidolosos; non tamen firmos nisi imprudenter.*

53 Ad 2. dist. mai. Obligatio assentiendi mysterio *revelato* potius quam *scito* non sumitur ex sola evidentia credibilitatis; sed ex motivo sufficienter apparenti, conc. mai. aliter, neg. mai. & dist. min. Sub probabilitate datur præstantia motivi insufficienter apparentis ad assensum firmum, conc. min. sufficienter apparentis, neg. min. & conseq. Itaque illa obligatio non sumitur ex sola evidentia credibilitatis *etenimque*: quia si haec non cedat supra divinum testimonium; sed supra rem non

revelatam, v. gr. existentiam *Matrii*, non datur obligatio ad assentiendum potius existentia *Matrii*, quam obiecto naturaliter scito; creditur ex illa cadente supra *divinum testimonium*, seu supra *divinum testimonium sufficienter apparens* ad prudenter imperandum assensum firmum: & non sic apparet cu[m] sola probabilitate, ut vidimus. *Ad 3.* conc. mai. & min. neg. cons. vel superpositum. Quia ad prudenter, firmiter & sine formidine imperandam adorationem hostiæ, & exercendam honestam aliam virtutem in hac, vel illa materia, non est necessarium credere fidei absoluta, ibi esse corpus Christi; sed sufficit probabiliter iudicare ibi esse corpus Christi: quia hoc ipso formatum iudicium certum regulans adorationem, & exercitia aliarum virtutum quale est hoc: *Honestum est adorare bestiam, qua prudenter indicatur consecrata. Succurrere prudenter indicato pauperi*, & sic de alijs. *Ad 4.* conc. mai. & min. dist. conseq. Possunt credi assensu non salvatoris; sed naturali, & simili fidei humanae, conc. conseq. assensu salvatori, & fidei subiectivè, & effectivè Theologicæ, neg. cons. Solutio constat ex dictis.

Quia

Quia intentum eorum non est , vt crea-  
dantur fide salutari ; sed vt suadeatur  
veritas opinionis, quæ satis suadetur, si  
prudenter suadetur esse revelatam , &  
posse illi assenti ex motivo divino, fi-  
de naturali, & formidolosa.

54 Insistes : Si *probabilitè* appa-  
reat obiectum dignum assensu firmissi-  
mo , potest voluntas *prudenter* impera-  
re assensum firmissimum : quia ad *pru-*  
*denter* imperandum aliquem assensum,  
sufficit, quod talis assensus proponatur  
*honestè* , & *prudenter* imperabilis. Sed  
hoc ipso quod *probabilitè* appareat  
aliquod obiectum dignum assensu fir-  
missimo , talis assensus proponitur *ho-*  
*nestè* , & *prudenter* imperabilis : quia  
hoc ipso , quod aliquod obiectum pro-  
ponatur *probabilitè* honestum , amor  
illius proponitur *honestè* , & *probabilitè*  
imperabilis : ergo ad assensum fir-  
missimum non requiritur evidētia mo-  
ralis credibilitatis, seu evidentia mora-  
lis talis dignitatis; sed sufficit probabi-  
litas credibilitatis. Si hæc obiectio in-  
tendat cum sola probabilitate revela-  
tionis , posse imperari *prudenter* assen-  
sum firmum: ex terminis est falsa: quia  
quomodò imperabitur *prudenter* assen-

Ius excludens, ut imprudens, omne dubium, & formidinem, dum prudenter iudicat, vel appareat iudicabile, probabile esse, posse prudenter formidari, immo dubitari? Si intendat, cum iudicio probabili de certitudine morali existentiae revelationis posse dari fidem, de hoc agemus sect. seq.

55 Insistes 2. Per iudicium probabile potest proponi obiectum esse dignum assensu, absque advertentia probabilitatis oppositæ; tunc autem voluntas posset prudenter imperare assensum firmissimum: quia si aliquid obstareret, esset probabilitas opposita, quæ tunc non appetet. Resp. Tunc non posse imperare prudenter assensum firmissimum: quia experimenta iter cognoscerebat iudicium illud non esse certum: cum motiva non essent digna assensu certo. Quod autem non daretur advertentia probabilitatis oppositæ, solum efficere poterat, quod voluntas non posset imperare assensum oppositum. At vero cum assensus probabilis, vel secum afferat formidinem, vel saltem facile adverti possit dari potestatem formidandi prudenter, & proponat semper obiectum cum incertitudine;

non potest imperare *prudenter* assensum firmum: quia quomodo potest voluntas *prudenter* imperare assensum certum circa obiectum incertum?

56 Insistes 3. Aegrotis, dum conferitur Viaticum, non solum proponitur credendum, quod per verba consecrationis à Sacerdote cum intentione prolata *Corpus Christi* proponitur in Hostia; sed etiam sic proponitur: *Credis, quod sub hac numero hostia continetur Corpus Christi?* Et respondet; *credo.* Tunc sic: Solum est probabile, vel quod est idem, *moraliter* certum *negativè*, quod sub illa hostia continetur *Corpus Christi*; & tamen proponitur credendum: ergo ad credendum sufficit probabilitas, saltem dum non detur probabilitas opposita. Resp. cum D. Thom. quod ab aegrotis solum exigitur fides conditionata de existentia *Corporis Christi* sub hostia, si fuerit consecrata; sed dum proponitur illa numero hostia, solum exigitur fides conditionata, casu quo sit consecrata; non vero absolute; proponitur in illa hostia, tunc ad maiorem expressionem fidei, tunc quia revelatio, seu promissio Dei, est universalis sub omni hostia, & ibi pro-

ponitur particularis contenta sub unius versali. Vnde aliquid amplius facit per secundam fidem esse in illa numero, quia per primam, esse in quavis hostia consecrata: quia distributio est maior explicatio universalis: & major confirmatio ægroti in veritate Sacramenti: Sic vii spirituales docent, ad exercendas virtutes, ultra proposita generalia, opus esse descensu ad casus particulares, ut magis radicerur virtus.

57. Insistet 4. SS. PP. explicantes illud Marci 9. *Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam*, duplum agnoscunt fidem in homine fidi, aliam perfectam, aliam imperfectam. Vide Ripalda disp. 2. num. 108. & disp. 11. num. 18. Et eandem incredulitatem, & imperfectionem notavit Christus in Apost. Matth. 17. ut docet ibi Maldonado. Sed imperfectio fidei nequit aliunde provenire, quam ex probabilitate revelationis: ergo cum sola probabilitate potest stare fides supernaturalis imperfecta. Resp. Hæc testimonia solum cogere ad asserendum in illis dari formidinem indeliberatam, vel aliquatenus culpabilem in causa, vel inculpabilem, quæ formido propria est incipientem.

pientium credere : quia cum asueti sine oppositum iudicare , subito occurunt fundamenta opposita , & quin præveniri possint , formidinem movent . Vel si velis , dico , in illis dati aliquando fidem naturalem , ad quam sufficit , ex dictis , probabilitas revelationis ; & runc vocari fidem imperfectam ; & in hoc sensu potest dici fidem per differentias intrinsecas , & essentiales dividi in perfectam , & imperfectam ; perfecta est supernaturalis ; & imperfecta naturalis : si autem nolis ita loqui ; dic divisionem illam in perfectam , & imperfectam , esse divisionem per differentias accidentales : quia eadem fides supernaturalis , quando coniungitur cum formidine indeliberata , est imperfecta ; & quando est sine illa , est perfecta .

58 Obijc. 5. Habitus charitatis potest elicere actus perfectos pugnantes cum omni peccato lethali ; & actus imperfectos non pugnantes , v. gr. simplicem complacentiam : ergo habitus fidei potest facere actus perfectos pugnantes cum formidine ; & actus imperfectos non pugnantes , ad quod secundum sufficit probabilitas . 2. Amicitia hominis ad Deum permittit ali-

uos defectus leves deliberatos : ergo fides hominis ad Deum permittet aliquos defectus leves deliberatos , qualis erit aliqua formido. 3. Deus non est magis dignus fide titulo veracis , & sapientis ; quam dignus amore titulo bonitatis : nec magis debetur fides veritati , & sapientiae , quam amor bonitati. Sed amor super omnia Deo debitius ratione bonitatis permittit aliquos defectus deliberatos leves in amore : ergo fides super omnia Deo debita ratione veritatis , & sapientiae , permettit similes defectus in fide , qualis erit aliqua formidø.

59 Omissis alijs solution. *Resp. ex dicendis disp. 2. de Charitate. Dist. ant. charitas potest elicere actus incomplexos , qualis est simplex complacentia , non pugnantes cum lethali, conc. ant. actus complexos , qualis est desiderium , voluntas efficax, neg. ant. & dist. cons. Habitus fidei potest elicere actus incomplexos , scilicet simplicem apprehensionem , non pugnantem cum formidine, conc. conseq. actus complexos , scilicet actus credendi, neg. cons. Itaque poterit facere apprehensionem supernaturalem revelationis, ad*

quam sufficiet fortè probabilitas; hæc tamen apprehensio non sufficit ad salutem; actus vero credendi non pugnantes cum formidine deliberata non potest facere, ut constat ex Innocentio XI. requirente certitudinem moralem. Et poterit etiam elicere actus non pugnantes cum semiformidine (fas sit ita loqui) propter dicenda sect. 6. *Ad 2.* conc. ant. dist. conf. Fides permittet aliquos defectus deliberatos, qui non sint formido, permitto conf. qui sint formido, neg. conf. Itaque permittit aliquam pigritiam in eliciendis actibus fidei tempore debito, aut confessionis, aut alterius casus; formidinem vero deliberatam non permittit, ut constat ex immedia<sup>t</sup>e dictis: & quia est magna irreverentia, quod in dubium revoetur, quod apparet *sufficienter* credibile per divinam authoritatem: cum debeat credere ea adhæsione, ut ipsam præferat omni motivo etiam *naturaliter* scito in contrarium occurrenti.

*6o Ad 3.* Conc. mai. & min. dist. conf. Fides super omnia permittit aliquos defectus, qui non sint formido deliberata, conc. conf. qui sint formido deliberata, neg. conf. Itaque Deus

*æquæ*

què dignus est amore super omnia ratione bonitatis ; ac fide super omnia ratione veracitatis , & sapientiæ : & què debetur amor super omnia bonitati ; ac fides super omnia veracitati, & sapientiæ : quia utraque perfectio est infinitè digna alia amore ; alia fide. Amor super omnia permittit aliquos defectus, qui solum opponuntur leviter cum bonitate Dei , & cum amore super omnia : quia amare super omnia est paratum esse amittere omnia , ne amittatur Deus , ne disolvatur eius amicitia : & cum hoc amore stare possunt aliqui defectus , qui non sufficient ad dissolvendam amicitiam , ut fide constat contra dicentes , *omnia peccata esse lethalia.* Similiter cum fide super omnia debita veracitati, & sapientiæ componuntur aliqui defectus leves , ut diximus , non tamen formido deliberata: quia fides super omnia est fides, vi cuius paratus sit mori pro hac veritate: vi cuius præfert dictum Dei motivo in contrarium naturaliter scito : & cum hac adhæsione non componitur formido , ut patet.

61 Obijc. 6. Data apprehensiore revelationis in re existentis , fides super

pernaturalis potest elicere assentum non firmum: quia ut virtus, quæ pertinet ad intellectum possit elicere aliquem actum, solum requiritur, quod ille actus sit honestè, & prudentè imperabilis, & verus: & talis esset: ergo.

*Explicat.* Ille actus movetur à motivo fidei: ergo elicetur à fide: quia non est alia virtus à qua eliciatur. *Ex dictis* facile respondetur, verum esse moveri ex motivo fidei, & esse actum verum; sed ultra requiritur, ut eliciatur à fide, esse actum *adhesive* certum, sicut requiritur esse *objivative* certum: & consequenter, petit obiectum proponi cum certitudine morali, ut constat ex decreto Innoc. *Explicat.* Iuxta aliquos, ut actus eliciatur à fide, non sufficit, quod moveatur ex motivo fidei; sed *indispensabiliter* requiritur, quod obiectum saltem formale sit obscurum: sicut ergo hæc circūstantia ab aliquibus *indispensabiliter* requiritur, ut actus eliciatur à fide; ita revelationem proponi certo moraliter debet ab omnibus *indispensabiliter* requiri post decretum Innocentij. Ille ergo actus erit fidei naturalis divinæ, quia movetur ex motivo fidei; & non erit fidei supernatura-

Nis divinæ , neque potest elici à principio supernaturali fidei.

62 Obijc. 7. Prudenter possumus credere fide B. Virginem fuisse conceputam sine peccato originali. Sed tamen soluim datur probabilitas revelationis: ergo sufficit. *Resp. conc. mai. neg. min.* quomodo enim dabitur tantum probabilitas in re , quam omnes fideles tam liberaliter amplectuntur , & quæ præcipitur non discredi exterius , & quæ ex iusu Pontificum tam solemniter celebratur , quamque tam graves AA. ( quod verum iudico ) dicunt esse proximè definibilem de fide , seu nihil iam desiderari , ut præcipiatur eius assensus , cuius defendendæ votum ab omnibus DD. exigitur , & quæ in omnium fideliū animis nascitur scripta. De hoc, Deo auspice , seorsim agemus.



## SECTIO VI.

*An qui indicaverit esse moraliter certum obiectum esse revelatum, possit credere fide divina, si in re sit revelatum, quamvis alij AA. dicant, non esse moraliter certum esse revelatum, quorum opinio sit probabilis? Et an hoc censetur etiam damnatum ab Innoc. XI. in prefata damnatione.*

63 **I**N primis, existimo sententiam affirmatiem non esse damnatam in damnatione Prop. 21. Assensum saturaris, & utilis ad salutem stat cum notitia solam probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. Cum hoc clare dicant AA. citati sect. 4. solum concedentes damnationem copulativa; non cuiusvis seorsim. Et qui intendant damnationem obligare ad ea, quae credenda sint ex obligatione; secus ad ea, quae piè credi possint; v. gr. B. Virginem fuisse conceptam sine peccato originali. Datur etiam specialis ratio pro hac conclusione. Quia ex decreto solum constat, non posse credi cum

cum sola probabilitate revelationis. Sed in dicto casu non datur sola probabilitas revelationis : quia iudicat, esse moraliter certum , dari revelationem: ergo ex vi huius damnationis non videatur damnata dicta sententia. Qued autem AA. explicantes propositiones damnatas , non faciant mentionem de hac ; foris est , quia supponant , hanc non esse damnatam.

64 Dico 2. Sic credens , non crederet cum omnimoda certitudine *adhesiva* : nec omnino *sine formidine*. Quia ad credendum cum omnimoda certitudine *adhesiva* , & omnino *sine formidine* , opus erat , quod non esset probabilis absentia certitudinis moralis , ut diximus sect. 3. Si enim iudicat esse probabilem sententiam dicentem non dari certitudinem moralem , quomodo credet cum omnimoda certitudine *adhesiva* , & omnino *sine formidine*? Aliunde videtur , quod hic non haberet formidinem propriam : quia formido de existentia cuiusvis rei iuxta aliquos involvitur , & iuxta alios fundatur in *probabilitate carentie rei*. Sed hic non habet probabilitatem de *carenie revelationis*. Sed solum

lum probabilitatem de *absentia certitudinis moralis de existentia revelationis*: ergò. Cum ergo hæc probabilitas de *absentia certitudinis moralis*, sit, ut ita loquar, *semiprobabilitas* de non existentia revelationis: videtur quod hic crederet cum *semiformidine*, ut sic loquar. Hæc notasse placuit, ut aliorum iudicio decidantur.

## SECTIO VII.

### *De supernaturalitate, & principio indicij credibilitatis.*

¶ **S**up. 1. Suarez 1.2. disp. 6. sect. 5. num. 4. quem sequuntur fere omnes citati à Ripald. disp. 15. num. 3. & novissime Doct. D. Eusebius de los Rios, Nobilis Professor, & Pignus Vniversitatis Cancellarius, lib. de Iudicij indiffer. disp. 1. dub. 3. prærequirere iudicium ad omnem effectum efficacem deliberatum sive naturalem, sive supernaturalem. Tunc disp. 46. dub. 6. Lugo hic disp. 11. num. 43. iudicium prærequirunt ad effectus supernaturales, non vero ad naturales. Ingenios. Theolog. Doct.

D.

D. Ioannes de Prado , de Liber. Arbi-  
trio , disp. 1. sect. 6. Non exigit vni-  
versaliter iudicium ad omnes actus li-  
beros ; ait namque s̄apē sufficere, quod  
præcedat apprehensio. Ripalda , hic,  
asserit ad omnes affectus tam naturales,  
quād supernaturales sufficere appre-  
hensionem suaviam. Idem Palanco,  
disp. 5. de Fide, quæst. 10. addens, iu-  
dicium evidens credibilitatis non posse  
esse immediatè regulativum fidei , sed  
me iudice bene impugnatur , à Doct.  
D. Eusebio de los Rios , de Libert. ad  
fidem, disp. 1. dub. 2. § 5. sufficiat hæc  
notasse.

66 Sup. 2. Duplex iudicium de  
credibilitate excogitari posse, aliud di-  
rectum , cognoscens fundamenta sua-  
dentia revelationem ; & præceptum  
credendi : aliud reflexum , & practi-  
cum , quod reflectendo supra primum  
iudicium directum , & speculativum,  
judicat honestum esse hic , & nunc cre-  
dere Incarnationem : quia honestum  
est credere , quod appetet prudenter  
credibile : Incarnatio appetet pruden-  
ter credibilis : ergo honestum est cre-  
dere Incarnationem : & quia hoc iudi-  
cium immediatè dirigit imperium , vo-  
catur

catur practicum. *Sup. 3.* Ad iudicium etiam immediate evidens licet sit veritas, circa prima principia prærequisita apprehensionem ad consensum: quia intellectus per iudicium fert sententiam de obiecto; non potest autem ferre sententiam de obiecto non præcognito.

67 His suppositis, Gabriel in 3<sup>a</sup> dist. 24. Coninc hic disp. 13. num. 19<sup>a</sup> & alij nulla facta distinctione inter apprehensionem, & iudicium, dicunt cognitionem credibilitatis præviam ad effectum supernaturalem credendi non esse entitative supernaturalem. Suarez disp. 6. sect. 8. & alij dicunt, iudicium de credibilitate esse naturale, apprehensionem verò esse supernaturalem. Lugo disp. 11. num. 3<sup>a</sup> & 4<sup>a</sup>. dicit, apprehensionem esse naturalem, iudicium verò supernaturale. Oviedo contr. 4. num. 8. dicit, iudicium reflexum esse supernaturale; secus directum. Ripalda disp. 15. à n. 23. ad 31. afferit omnem cognitionem per se præviam ad actum supernaturalem esse entitative supernaturalem.

68 Dico aliquam ex dictis cognitionibus esse supernaturalem quoam  
*De Fide, 1.* Y sub-

Substantiam. Prob. supponendo aliquam ex illis cognitionibus esse prærequisitam ad fidem. Nunc sic. Id ad quod est necessaria gratia per Christum est supernaturale quoad substantiam. Sed ad aliquam ex illis cognitionibus est necessaria gratia per Christum: ergo. Maior latè probata disp. 7. de Liber. Arbitr. sect. 2. & constat: quia si quamvis ad cogitationem requiratur gratia per Christum, non sequatur esse supernaturalem, nihil erit supernaturale quoad substantiam. Tum quia etiam Pelagiani negantes gratiam ad fidem, & alia opera concedebant gratiam cogitationum naturalium ad iectè operandum, & ad posse: & quidquid dicant graves AA. citati disp. 7. de Liber. Arbitr. sect. 2. si ad illam cognitionem requiritur gratia per Christum, quia exigunt Catholici contra Pelagianos, illa cognitio est supernaturalis quoad substantiam. Quid enim ad aliquam ex illis requiratur gratia per Christum. Prob. 1. ex August. lib. 2. contra tuas Epistolas, cap. 8. ubi explicans illud Pauli ex 2. ad Corinthios 3. ( Non quod sufficienes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra

nostra ex Deo est) sic ait: (Quis non videat prius esse cogitare, quam credere; nullus non credit, nisi prius cogitat esse credendum: & hoc vult Apostolus non esse ex nobis; sed ex gratia.)

2. Ex Concilio Arausiano, can. 7. (Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, cogitare ut expedit, aut diligere, sive prædicationi consentire, possit contenterit illuminationi, & inspirationi Spiritus Sancti, heretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli, non sumus, &c.) 3. Quia aliqua ex ipsis cognitionibus est initium fidei. Sed ad initium fidei requiritur gratia per Christum iuxta August. lib. de Prædest. Sancti præsertim à cap. 2. usque ad 10. & à cap. 17. usque ad 22. ubi sèpè repetit: (Ipsum igitur initium fidei, ex quo nisi ex Deo est?) Vide plura apud Ripalda hic, & loco citato de Liber. arbitr.

69 Prob. 2. Ad omnes motus potentiarum appetitivæ prærequiritur cognitio eiusdem ordinis cum motu: ideo ad motus spirituales voluntatis prærequiritur cognitio spiritualis: ad motus materiales potentiarum appetitivæ prærequiritur cognitio materialis: ad dilec-

rationem Dei supernaturalem , & ad actus spei,cognitio supernaturalis. Sed pia affectio, seu imperium credendi est supernaturale, vt constans est apud Catholicos contra Pelagium: ergo cognitio ad illud prærequisita est supernaturalis. Vnde infertur , quod si quævis ex dictis cognitionibus est sufficiens ad regulandum imperium actus fidei, quævis ex illis erit supernaturalis quo ad substantiam. Infertur etiam , quod si iudicium reflexum,& practicum est supernaturale ; iudicium directum, si est applicatio per se , & positivè inducens ad iudicium reflexum , est etiam supernaturale : quia propter hanc rationem cognitio ad actus supernaturales est supernaturalis : & si iudicium directum est supernaturale , apprehensio suavis ut potè applicans ad iudicium directum , est supernaturalis : evidentia enim non obstat supernaturalitatij.

70 Obijc. 1. Intellectus habet ex se vires sufficientes ad cognoscendam talem credibilitatem ut potè evidenter , & fundatam in argumentis naturaliter cognoscibilibus : ergo cognitio credibilitatis non erit supernaturalis. Resp. conc. ant. dist. cons. cognitio regui

Ians imperium credendi , & piam affectio-  
 nem supernaturalem , & ad creden-  
 dum proat oportet ad salutem , nego;  
 fidem naturalem , & ad imperium natu-  
 rale , conc. conseq. hoc est , recte potest  
 dari initium fidei naturae , & fides na-  
 turalis , seu dilectio naturalis Dei , ve-  
 rum dicimus iudicium regulans impe-  
 riū fidei supernaturalis debere esse  
 supernaturale : neque obstat illud iudi-  
 cium esse evidens : quia prudentia in-  
 fusa , imò & fides , potest elicere actus  
 evidentes. Neque obstat , quod moti-  
 vum est naturale: quia circa obiecta , &  
 motiva naturalia potest dari scientia  
 supernaturalis , vt patet in scientia in-  
 fusa oppositi.

71 Obijc. 2. Concilia , & PP. præ-  
 sertim August. tanquam dogma certum  
 constituunt exordium iustificationis , &  
 omnem actum salutarem procedere à  
 fide : ergo ante fidem non datur actus  
 salutaris , & supernaturalis : aliás ex il-  
 lo sumeret exordium , & non ex fide.  
 Antec. probant ex illo Pauli , *Sine fide  
 impossibile est placere Deo.* Resp. dist.  
 ant. est dogma certum , exordium pro-  
 ximum iustificationis , & omnem actum  
 salutarem sic disponentum procedere à

fide, conc. ant. & hoc probat dictum Pauli; exordium remorum, subdit, procedit à fide radicaliter, seu inchoativè tali, conc. ant. formaliter tali, neg. ant. & conseq. alijs ipsa pia affectio, quæ præcedit ad fidem, procederet à fide: itaque omnes actus præcedentes fidem vocantur fides inchoativè: quia in illis incipit fides: & procedunt à fide inchoativè tali: quia cognitio causans vocatur fides inchoativè, vel fides reductivè.

72 Obijc. 3. Nostræ probationes ex insufficientia naturæ solum probant cognitiones illas esse supernaturales quoad modum; non quoad substantiam: imò Mastrius in 3. disp. 6. quæst. 6. art. 1. solos actus patræ sicut visio, & fruitio beata, iudicat esse supernaturales quoad substantiam: quod verò sum probent supernaturalitatem quoad modum, & non necessitatem gratiæ ad cogitandum, colligunt ex illa particula, ad cogitandum prout oportet: ergo non ad cogitationem secundum se; sed ad differentiam illam extrinsecam requiritur gratia. Contra tamen: quis communis Theologorum sententia est actus virtutum Theologalium esse super-

pernaturales quoad substantiam. Et tam  
men Concilia , & PP. dicunt , quod ad  
operandum , *ut oportet*, requiritur gra-  
tia per Christum: sicut ergo *ly ut opor-*  
*teret* fundat differentiam intrinsecam illis  
actibus : cur non eam fundabit in *regi-*  
*zare ly ut oportet*, & non solum differē-  
tiam extrinsecam consistentem in con-  
junctione cum voluntate credendi, hoc  
est, cum pia affectione. *Insistes.* Etiam  
cogitationes naturales ad actus natu-  
rales bonos esse gratiam per Christum:  
ergo quod ad illam cogitationem re-  
quiratur gratia per Christum, non pro-  
bat esse supernaturalem. Conc. antec.  
nego conseq. Primum est verum , quia  
omne bonum datur ex meritis Christi  
at vero cum à PP. contra Pelagium di-  
citur esse necessariam gratiam per  
Christum loquuntur de gratia super-  
naturali : quia loquuntur de gratia  
Theologica tribuente posse ad id , ad  
quod natura erat sufficiens : cum ergo  
ad initium fidei exigatur hæc gratia  
per Christum , de gratia supernaturali  
loquuntur.

73 Rogabis, à quo procedit illud  
iudicium credibilitatis ? Quia non à

fidei, quæ nondum intelligitur: non à prudentia infusa, quia hæc subsequitur fidem: non à donis Spiritus Sancti, quia hæc etiam subsequuntur fidem; & quia hæc dantur ad actus extraordinarios virtutum (& in hoc differunt dona à virtutibus) hæc tamen iudicia frequentia sunt: ergo tale iudicium non erit supernaturale. Valenc. Coninc, Hurtado, dicunt fieri ab habitu prudentiæ generalis infusa. Résp. cum Granados tract. 9. disp. 4. num. 10. Lugo disp. 11. sect. 1. & 2. Muniesa disp. 6. sect. 6. Tales cognitiones procedere ab habitu infuso ad similes actus: quia sicut non datur unus habitus infusus ad omnes actus virtutum; sed pro diversitate actuum, & obiectorum datur diversitas habituum: ita cum si niles cognitiones credibilitatis sint valde frequentes, & absolutè differant à reliquis actibus, assignandus videtur pro illis aliquis habitus, quem vocare prudentiam specialem infusam; vel non vocare prudentiam infusam: quia prudentia infusa communiter subsequitur fidem, erit quæstio de nomine, ut advertit Lugo: melius tamen

videtur loqui, qui cum vocant prudentialiam infusam specialem ad solos illos actus de statu, & quae praecedit ad fidem. An tamen hic habitus infundatur post actum, seu primam cognitionem credibilitatis, quae elicatur ab auxilio extrinseco, vel intrinseco, sicut in peccatore sic elicetur primus actus charitatis: an a Deo infundatur ante actum, seu cognitionem credibilitatis: quis noverit? Certè sicut habitus pietatis affectionis ut potest manens amissa gratia, dicitur infundi prius quam gratia, & non radicari necessario in gratia: quamvis semel existente gratia, ad illius exigentiam conservetur, ut dicitur in Philosophia de dispositionibus praecedentibus ad formas idem dici poterit de hoc habitu. Ita Suarez, & alij apud Lugo disput. 16. Sect. 1. dicentes habitus fidei, & spei sèpè infundi prius quam infundatur gratia: & multi citati a Lugo dixerant initium fidei debere infundi prius quam gratia, quia ex natura rei erat dispositio ad illam. Ferre quæst. 4. §. 5. dicit, iudicium credibilitatis elicì a fide, quia obiectum formale illius, licet

licet moraliter distinguatur; non est formaliter distinctum ab obiecto formalis fidei, siquidem ordinatur ad fidem, & est propter illam; & ubi est unum propter aliud, ibi est moraliter idem.

**Vide** alia responsa apud Ripalda dis-  
put. 16. sect. 3. quae omitto,  
quia dicta sufficiunt.

\*\*\*



**DIS-**



## DISPUT. IV.

### De pia affectione.

CUM EGERIMUS DE EVIDEN-  
tia credibilitatis requisitæ ad fidem,  
modo agendum de pia affectione.

### SECTIO I.

*An sit necessaria pia affectio, seu prævius  
affactus voluntatis ad cre-  
dendum?*



Upon. i. Certum esse  
debere dari aliquem  
actum voluntatis, qui  
saltē remotē se ha-  
beat ad actus fidei fre-  
quentē occurrentes: quia pro priori  
ad fidem debet dari aliqua cognitio  
præ-

prudens, & deliberata credibilitatis: & cum hæc cognitio non sit de rebus immediate, & per se notis, est necessarium, quod actus applicet intellectum ad ita cogitandum: ad quam applicationem precedat mediately, vel immediately aliqua cognitio necessaria, ne procedamus in infinitum. Quæstio ergo procedit de alio affectu magis immediato ad actum credendi.

2. Sup. 2. Ex communi sententia contra Caietan. 1. 2. quæst. 65. art. 4. Intellectum adhuc ex imperio voluntatis non posse iudicare, nec assentiri obiecto, quod nullo modo proponeatur verum. Ratio est: quia nulla potentia ferri potest extra suum obiectum. Sed obiectum intellectus ad assensum est verum: ergo intellectus non potest assentiri nisi *verè*: & explicatur in voluntate, quæ amare non potest nisi bonum, scilicet quod appareat tale. Itaque iudicium imprudens, seu temerarium, non est illud, quod sine ullo fundamento concipitur: quia hoc est impossibile; sed quod habetur cum levì fundamento. An *verè* sit possibile aliquod fundamentum ita leve, ut neque possit movere iudicium temerarium,

rium, ut sentit Izquierdo in Piar<sup>o</sup>  
disp. 7. num. 57. non disputo. Cer-  
tum est, dari magis, & minus inter  
fundamenta levia.

3 His supp. Holchot in 1. quæst. 1.  
art. 1. dicit, ad credendum non requi-  
ri alium affectum, præter affectum ap-  
plicantem intellectum ad consideranda  
motiva credibilitatis. Idem Franc. Mar-  
chia apud Suarez disp. 6. sect. 6. eo  
quod res fidei sint evidentes, & sic sal-  
vat Scripturam requirentem fidem esse  
liberam, cum credenti promittantur  
præmia ex iustitia; libertate se exercen-  
te in applicatione ad consideranda mo-  
tiva. Aliqui Scotistæ dicunt, sufficere  
non resistentiam, seu non contra mo-  
tionem per nolitionem positivam: eam-  
que asserunt esse Scotti in 3. dist. 25.  
quæst. 2. quamvis Mastrius id neget,  
& prius negaverit Suarez. Maior in 3.  
disp. 23. solum requirit imperium,  
quando adest positiva difficultas cre-  
dendi. Mastrius in 3. disp. 6. quæst. 8.  
imperium requirit ad primos actus fi-  
dei, secus ad alios: idem Bañez quæst. 1.  
art. 4. & RR. apud Zumel, quibus  
ipse aliqualiter favet Ripald. disp. 16.  
sect. 4. dicit, intellectum impotentem

dissen-

dissentire ex defectu fundamenti ad oppositum, non indigere imperio; se-  
cū si possit dissentiri. Reliqui omnes  
docent requiri imperium positivum, &  
immediatè ad actum fidei. Ita Suarez  
disp. 6. sect. 6. Lugo disp. 10. sect. 1.  
Doct. D. Eusebius de los Rios, disp. 1.  
dub. 2. §. 2. Muniesa disp. 7. sect. 1.  
Palanco disp. 5. quæst. 9. imò Carden.  
dissert. 13. super Prop. 19. damn. ad  
Innocentio XI. censet oppositam anti-  
quari decreto. Non audeo tam acriter  
iudicare: quia prop. 19. damnata est:  
*Voluntas non potest efficere, ut assensus*  
*fidei in se ipso sit magis firmans, quam*  
*mereatur pondus rationum ad assensum*  
*impellentium, & ut ait cap. 3. antiqua-*  
*tur propositio, quando est incomponi-*  
*bilis cum decreto, licet per proposicio-*  
*nes, & formales terminos non expri-*  
*matur. Dico ad actus fidei frequenter*  
*occurrentes est necessaria pia affectio.*

4 Prob. De ratione intellectus ut  
potè potestatis non liberæ est, quod si  
ab obiecto non determinetur propriæ  
evidentem propositionem veritatis de-  
beat determinari. Sed intellectus non  
determinatur ab obiecto propter evi-  
dentiæ veritatis: neque determinatur

2. voluntate per solam applicationem ad consideranda motiva : quia adhuc illis consideratis est liber assensus: nec per non contra motionem; propter eandem rationem : nec per solam nolitionem dissensus , quia adhuc est indifferens ; siquidem duo contraria, qualia sunt assensus , & dissensus , possunt deficeret & propter hanc rationem nolitus ambulandi ad Orientem, non est adhuc virtualiter volitus ambulandi ad Occidentem ( quamvis , cum contraria non possit existere , volitus ambulandi ad Orientem est saltem virtualis nolitus ambulandi ad Occidentem:) ergo cum adhuc post haec omnia intellectus sit indifferens ad assensum , indiget imperio voluntatis , quod enim determinat ad assensum præ dissensu.

5. 2. Potentiae subjectivæ voluntati indigent imperio voluntatis ad ipsarum operationem , quando non supponuntur determinatae. Sed intellectus est subiectus voluntati , & ut constat non determinatus ante hoc immediatum imperium: ergo indigebit imperio voluntatis positivè immediatè cum determinante ad assensum præ eius carentia , & frequenter præ dissensu.

Dixi

Dixi frequentè præ dissensu : quia frequentè occurunt fundamenta ad dissensum , si tamen non occurrant, tunc non poterit dissentire ; tamen non erit necessitatus ex hoc intellectus ad assensum , nisi proponatur consequenter solum assensus. Hæ rationes æquè probant de primis , ac de sequentibus actibus. Quia ut ait August. tract. 26. in Ioann. *Multa potest homo facere non volens ; credere autem non potest nisi volens.* Et D.Thom. quæst. 14. de Veritate , artic. 1. dicit, intellectum ex se solum determinari ab obiecto viso ; ad credendum verò , à voluntate. Et ideo inquit. August. dicit , quod cetera potest homo nollens ; credere autem non potest nisi volens : & 2. 2. quæst. 5. artic. 2. ad 2. *Fides , quæ est donum gratiæ inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni.*

6 3. Impugnando contramotio nem, seu non resistentiam Scotistarum. Hæc non contramotio æquè non resistit positivè dissensi, ac assensi: alias non esset præcisè non resistentia negativè. Sed ex eo quod non resistat positivè dissensi, non infertur determinare positivè ad dissensum : ergo ex eo quod

quod non resistat positivè ad assensum; non infertur determinare ad assensum.

4. Adhuc posito iudicio credibilitatis intellectus frequenter loquendo , est positivè potens ad dissensum mysterij, & positivè potens ad assensum. Sed in intellectu potente ad dissensum , pura non resistentia non est determinatio ad dissensum : ergo in intellectu potente ad assensum , pura non resistentia non est determinatio ad assensum : quod enim vnum sit credibile, secus aliud , faciet dissensum imprudentem , non verò impossibilem , dum non appareat evidenter veritas opposita : & dum datur aliquid fundamentum et si leye falsitatis.

5. Obiectum propositum præcisè ut probabile , non determinat intellectum ad assensum adhuc posita non resistentia , & iniori probabilitate: alias ferè nunquam egebit intellectus imperio voluntatis cum ferè nunquam proponantur fundamenta æqualia ad assensum , & dissensum : non alia ratione nisi : quia obiectum probabiliter sic apparet non est sufficienter propositum , ut determinet intellectum ; seu quod est idem , quia voluntas potest

cohibere talem assenüm. Sed etiam vna  
luntas potest cohibere assenüm obiecti  
propositi evidenter credibilis : ergo  
non resistentia non determinabit intel-  
lectum ad assenüm. 6. Quia ut ait  
D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. &  
Ambros. in illud ad Roman. 4. *Ei an-*  
*tem qui operatur inquit. Credere, &*  
*non credere voluntatis est, neque cogi-*  
*poteat ad id, quod manifestum non est.*  
Sed adhuc posita non resistentia non est  
manifestum : ergo non cogitur ad af-  
fentiendum : ergo indiget determina-  
tione alia voluntatis.

8 *Dices:* Nolitio dissensus erit de-  
terminatio ad assenüm saltem quando  
dissensus reiçitur, ut falsus: nam ex hoc  
principio *quodlibet est, vel non est*, &  
iudicio de fallitate unius, evidenter  
proponitur veritas alterius. *Rsp.* In  
primis, si sola apprehensio falsitatis suf-  
ficiat ad reiçendū dissensum, cum  
tunc non detur iudicium de fallitate,  
vīm non habet argumentum. Deinde  
admitto totum, quia quæstio non pro-  
cedit quando reiçitur dissensus, quia  
falsus; sed quando ex alio motivo rei-  
çitur, scilicet, quia non apparet evi-  
denter oīlum, & apparet violentia  
in reiçendo dissensu. *Dis:*

9 Dices: Voluntas determinatur quoad exercitium ad amorem obiecti finiti, & limitati obscure propositi, quando proponitur absque villa ratione mali, etiam negativi: ergo similiter accidet intellectui respectu assensus. Sed mysteria fidei proponuntur ita vera saltem sapientibus, ut nulla ratione appareant falsa: ergo quoad exercitium absolutum necessitatibus sapientes. *Confirm.* Intellectus est necessitatus quoad speciem ad existentiam Romæ, quia sub nulla ratione appetit falsi talis existentia. Sed non magis est credibilis existentia Romæ, quam nostra mysteria: ergo necessitatibus saltem quod speciem. *Resp.* Perm. ant. quod ipsa finitudo boni non sufficiat ad retrahendum ab amore, hac enim ratione motus primi dicuntur necessarij: & neg. conf. Ratio disparitatis est: quia quando voluntas ita est potens ad amorem, ut sit antecedenter impotens ad omissionem amoris, est antecedenter necessitata ad amorem; est autem impotens ad omissionem, quando obiectum non proponitur sub ratione mali saltem negativi: at vero ad suspendendum assensum non requiritur

ratio falsi ; sed solum quod verum non  
 ta evidenter proponatur , vt rapiat , &  
 quod in suspensione appareat aliqua  
 convenientia ; verum namque , & fal-  
 sum sunt motiva assensus , & dislensus ,  
 non vero suspensionis . *Ad confirm. conc-*  
*ant. neg. conseq.* Quia quamvis non sit  
 magis credibilis existentia Romæ , quam  
 mysteria nostræ fidei : nihilominus  
 existentia Romæ sub nulla ratione ap-  
 paret falsa , cum nullus eam neget , neque  
 est supra rationem , quod afferitur : at ve-  
 ro mysteria nostræ fidei sub aliqua ra-  
 tione apparent falsa , quia aliquis , &  
 plures ea negant ; & plura sunt supra  
 rationem naturalem , vt mysterium  
 Trinitatis , Incarnationis , Eucharistie :  
 & in se continent magnam arduitatem :  
 quæ reddit mysteria difficultia assensu.  
*Explicat.* Si enim unus homo fidedi-  
 gnis dixisset aliquid , & in oppositum  
 non haberet fundamentum , poteras non  
 assentire , tamen non poteras dissentire , & tamen illa res non est æquè cre-  
 dibilis , ac nostra mysteria , cum solum  
 sit probabilitè certa : ergo rectè com-  
 ponitur unum esse magis credibile  
 quam aliud , & quod minus credibile  
 necessitet quoad speciem , secus aliud .

## SECTIO II.

*Solvuntur obiectiones.*

110 **O**bijc. 1. Quia intellectus est determinatus ad verum, non potest determinari à voluntate ad assentiendum non vero : neque ad assentiendum minus vero præ magis vero. Sed nostra fides apparet magis vera alijs: ergo non potest determinari à voluntate ad assentiendum fidei , seu quoad speciem. *Explicat.* Assensus fidei debet esse summè firmus; & non erit summè firmus, si daretur potestas ad dissensum oppositum : ergo non datur talis potestas. *Resp.* conc. prima parte maioris, nego secundam. Quia quamvis intellectus non possit assentiri obiecto, nisi appareat verum ; potest ex determinatione voluntatis assentiri obiecto apparenti minus vero, dummodò appareat verum ; sic voluntas licet non possit amare nisi bonum ; potest amare, quod appareat minus bonum : quidquid dicat Vazquez asserens voluntatem necessario rapi à maiori bono , sicque intelligit D. Thom. t. 2. quæst. 9. art. 1.

dicentem, intellectum determinare vos  
ignatatem quoad speciem; verum Div.  
Thom. ibi solum intendit, actus volun-  
tatis specificari ab obiectis repræsentan-  
tis per intellectum; non vero necessita-  
re voluntatem quoad speciem amoris.  
*Ad confirm.* Actus fidei debet esse sum-  
mè firmus obiectivè, & subiectivè fir-  
mitate sumpta ex principio; non vero  
adhæsivè firmitate sumpta ex argumen-  
tis: quia sic non excludit formidinem  
temerariam, quem excludit actus evi-  
dens metaphysicè, aut physicè.

ii Obje. 2. Ad actus intellectus  
solum potest pertinere assensus, & dis-  
sensus, non omissiones eorum: quia  
omissiones non cadunt sub obiecto in-  
tellectus, quod est verum: & quia omis-  
sio actus, vel tribuitur impotentiae cau-  
sa, vel voluntati determinant, aut per-  
mittenti: ergo cum intellectus non ha-  
beat alios actus, quam assensus, & dis-  
sensus, se habebit ad illos ac ad contra-  
dictoria: unde idem erit, intellectum  
esse impotenter ad dissensum: quia non  
apparet falsitas; aut esse reiectum dis-  
sensum, ac intellectum esse determina-  
tum ad assensum. *Resp. neg. ant.* Quia  
etiam omissiones eliciuntur suo modo

physicè ab intellectu; et si determinatiæ  
vè subiectivè tæpè sunt à voluntate. Si-  
militer est falsa ratio absolute loquen-  
do: quia dum intellectus movetur obie-  
ctivè à veritate ad assensum , simul mo-  
vetur obiectivè à veritate ad omissionem  
dissensum. Itaque omissiones ca-  
dunt sub obiecto intellectus, scilicet sub  
ratione veritatis. Quia ideo obiectivè  
omittit (seu tanquam ratio se tenens ex  
parte obiecti ) assensum v. gr. quia ve-  
ritas non cogit : & ideo omittit subie-  
ctivè (seu tanquam ratio se tenens ex  
parte subiecti ) quia non determinatur  
à voluntate. Vel si velis aliter. Intellec-  
tus, & eius actus , & omissiones , in-  
trinsicè obiectivè moventur à veritate:  
extrinsicè possunt moveri à bonitate;  
sicut charitas & actus charitatis inrin-  
secè obiectivè movetur à bonitate Dei.  
sed extrinsicè subiectivè possunt mo-  
veri à metu inferni , ex cuius timore  
imperatur. Hinc neg. conf. Quia intel-  
lectus ex imperio voluntatis potest sus-  
pendere assensum , & dissensum , dum  
non necessitatur ex evidentia veritatis  
ad assensum ; nec ex evidentia falsitatis  
ad dissensum.

12 Obijc. 3. Intellectus non po-

rest moveri nisi à veritate obiecti. Sed voluntas per imperium non potest augere veritatem obiecti : ergo voluntas solum potest determinare, quatenus applicat intellectum ad considerandam veritatem ; non verò immediate ad assensum. *Confirm.* Voluntas non potest supplere omnem defectum veritatis, & determinare intellectum ad assentendum obiecto, quod non appareat verum: ergo neque poterit supplere defectum clarioris veritatis determinando intellectum ad obiectum, quod non appareat evidentè verum : quia veritas simpliciter talis, & illius augmentum eiusdem rationis sunt. *Ad respond.* sciendum est, obiectum duplicitè concurre, & movere ad actum : primò obiectivè terminando, & obiectivè movendo ad actum : secundò subiectivè media specie, vel apprehensione sui. Dico ergo intellectum non posse moveri obiectivè nisi à veritate; subiectivè verò moveri potest ab specie obiecti; moveri potest etiam à voluntate, dummodo appareat veritas obiecti : quia si veritas non apparet, non poterit moveri subiectivè à voluntate : quia non potest dari actus sine obiecto ; at verò

semel

Iemel apparente veritate potest determinare voluntas, & supplere defectum motionis subiectivæ, quæ motio existet, si necessitaretur intellectus, eo quod daretur clarior species; non vero supplet defectum motionis obiectivæ.

13 Insistes: Si voluntas media pia affectione moveret ad credendum, ultimum resolutivum credendi, & fidei esset pia affectio. Sed hoc est contra SS.PP. ut vidimus disp. 2. ergo. Prob. mai. Quia ideo crederet, quia vult, & in hanc voluntatem tandem resolveretur fides. Resp. dist. mai. Ultimum resolutivum subiectivum esset pia affectio, conc. mai. Ultimum resolutivum obiectivum, neg. mai. & neg. min. Quia SS. PP. dum agant de resolutivo fidei, solum agunt de resolutivo obiectivo, seu de ratione obiectiva, & motiva, in qua tandem sicut fides; & quam daret rogatus, cur credit?

14 Obijc. 4. Potentia non libera, quæ non est impedita, ut habeat obiectum sufficienter applicatum, necessario fertur in illud, & elicit suum actum: quia posse non agere positis omnibus prærequisitis ad agendum est proprium causæ liberæ. Sed intellectus habet suffi-

Sufficienter propositam nostrā fidem, & posita nō resistentia non est impeditus: ergo necessario fertur in obiectum, & elicit assensum. *Ad resp.* scire oportet etiam Adversarios invenire differentiam inter intellectum, & alias causas necessariias, scilicet ignem: quatenus ignis ut potè non subiectus imperio voluntatis, solum habet vnam applicationem sufficientem ad operandum, scilicet illam qua posita necessitatibus: intellectus verò duplicem sufficientem propositiōnem habet; aliam, qua necessario rapiatur, scilicet propositio evidens obiecti: alia sufficiens, ut determinetur à voluntate, scilicet propositio probabilis, vel certa moraliter, quæ non sufficit, ut rapiat, si detur sola non resistentia obiecti, ut ipsi dicunt, & in propositione probabili amplius videtur requiriendum. *Resp.* ergo dist. mai. Potentia non libera, quæ non est impedita, & habet obiectum sufficienter applicatum necessario fertur in illud, si non est subiecta voluntati, conc. min. si est subiecta, subdist. si habet sufficienter applicatum per applicationem evidentem, conc. mai. per applicationem probabilem, vel certam, neg. mai. & dist. min.

nego

nego conseq. Quia ex dictis in probationibus, adhuc posita illa necessitate, & non resistentia; potest suspendi assensus, ut patet dum probabilitè proponitur obiectum.

15 Obijc. 5. Non minus requiriatur ad conclusionem notitia actualis præmissarum, quam imperium ad assensum fidei. Sed quamvis ad primò habendam conclusionem, requiratur notitia actualis, non tamen ad illam repetendam, quia sufficit habitus: ergo imperium, et si requiratur ad primos actus, secus ad illorum repetitionem. *Respondeat.* mai. neg. min. Quia ad conclusionem, ut tales, semper requiritur, & semper datur notitia actualis præmissarum, magis, vel minus clara, et si aliquando reflexè non advertatur: & hoc non accidit in imperio, quod sàpè præ facilitate assentiendi non advertitur reflexè; sed tamen semper datur in fidei assensu, quando scilicet talis assensus liberè, & meritorie existit.

16 Obijc. 6. Iuxta Jacob. 2. doctri-  
mones credunt, & contremiscunt: & in  
demonibus non datur pia affectio: item  
mala nostra sàpè credimus, & non da-  
tur pia affectio: ergo ad credendum  
non

non requiritur pia affectio. *Resp.* Nos solum asserere requiri piam affectiōnem, quæ est affectus honestus, & supernaturalis ad fidem supernaturalem, & meritoriam: ad fidem verò naturalem, qualem habent dœmones, & nos de rebus ab hominibus dictis, sufficit imperium voluntatis, quod utique datur in nobis, & etiam in dœmonibus dum credunt, nisi forte evidenter physice cognoscant mysteria: quia tunc non indigebunt imperio. Dum Aristoteles dicit 2. de Anima: *Nos non posse opinari cum volumus; secus imaginari,* solum voluit, ad opinionem requiri grave fundamentum; non verò intendit grave fundamentum necessitare intellectum. Vide alia faciliora apud Ripalda hic, & Doct. D. Eusebium de los Rios, suprà.

17 Obijc. 7. Pia affectio requiriatur ad assentiendum illi veritati, quam negant Gentiles, & Hæretici: & qua concessa, non datur difficultas in credendo interne mysterium. Sed in hoc Syllogismo, Honestum est credere, quod proponitur moraliter certo revelatum. Incarnatio proponitur moraliter certo revelata: Gentiles, & Hæretici negant min.

min. & si eam concederent, nulla es-  
set difficultas in assentiendo mysteriis:  
ergo pia affectio requiritur, vt assen-  
tiat minori: & vt applicet intellectum  
ad inquirendam veritatem minoris.  
*Resp.* Apud illos quibus non appareat  
evidenter credibilis nostra fides requiri  
piam affectionem applicantem intelle-  
ctum, vt inquirat veritatem minoris,  
& vt illi assentiat. Sed post assensum  
minoris requiritur pia affectio ad af-  
fensem mysterij: quia quamvis solus  
assensus proponatur prudens, secus  
dissensus, non est sufficienter inclina-  
tus intellectus, vt sine nova determi-  
natione assentiat: quia adhuc his pro-  
positis non proponitur evidenter my-  
sterium; & haec omnino indifferetia  
sunt ad assensum, & dissensum, adhuc  
posita non retinentia, requiritur er-  
go pia affectio determinans, vt firmi-  
ter assentiat, praesertim si firmitas ex-  
trinseca sit fidei.

18 Obijc. 8. Si requireretur pia  
affectio ad credendum, voluntas deter-  
minaret ad assensum præ dissensu, &  
non solum determinaret quoad exerci-  
tium; sed quoad speciem. Sed hoc est  
falsum; ergo, Prob. min. Quid est  
pro-

proprium intellectus, nequit convenire voluntati. Sed determinare quoad speciem est proprium intellectus: ergo. Prob. min. ex D. Thom. I. 2. quæst. 9. art. 1. *Resp.* Dist. mai. Voluntas determinaret *subjectivè*, conc. mai. *objectivè*, neg. mai. & neg. min. Ad prob. conc. mai. dist. min. Determinare quoad speciem *objectivè*, est proprium intellectus, conc. min. *subjectivè* neg. min. & cons. & hoc solum intendit Div. Thom. ut legenti constabit: quia ut sit, omnia comprehenduntur sub ratione veri, etiam si sit bonum, quod non potest movere, nisi cognoscatur: & in hoc sensu movet, & determinat intellectus quoad speciem.

### §. I.

19 Ex his constat esse necessariam piam affectionem ad credendum existentia revelationis, & mysterio propter revelationem, quando non datur evidentia in voluntate; ad assentendum tamen existentia absolute divinitatis authoritatis non requiritur imperium, quidquid dicat Lugo, quia talis assensus est metaphysicè evidens; requiritur tamen ad credendum dari divinam auctoritatem, quia dictum à Deo: potest

rit tamen suppleri defectus pia affectio, per determinationem Dei, quia pia affectio non requiritur in genere causæ formalis, sed solum in genere causæ efficientis in ordine ad assensum. Ab hac pia affectione habet actus fidei certitudinem moralē subiectivam adhæsivam extrinsecam assentui: quia imperium determinat ad assensum firmissime, despiciendo omnem formidinem, ut imprudentem.


20 An vero hæc certitudo adhæsiva, id est, adhæsivè excludens formidinem sit etiam intrinseca assentui? Asserit Lugo disp. 10. num. 19. Quia alias esset ex se formidolosus. Negat Ri. palda disp. 16. sect. 7. Quia D. Thomas quæst. 4. artic. 8. dicit, certitudinem subiectivam scientiæ esse maiorem certitudine subiectiva fidei: quia clarior est scientia, quam fides: cum ergo non sit alia certitudo iudicativa nisi illa, quæ pugnat cum formidine, & dubio, & hæc pugna solum possit provenire à claritate obiecti, quæ non datur in fide: hinc est tales certitudinem non esse intrinsecam actui fidei: quia tamen actus fidei per se exigit certitudinem moralē revelationis, ut dixi.

mus disp. 3. & imperium excludens omnem formidinem , ut imprudentem actus fidei per se habet non esse formidolosum, & esse incompossibilem cum formidine qnamvis hoc habeat à se radicavitè; & ab imperio formaliter; in quo differt ab actu scientiæ, qui à se habet formaliter certitudinem adhæsivam.

21 Constat etiam piam affectiōnem esse entitativē supernaturalem: est communis sententia, à qua nefas est, recedere , vt inquit Ripalda disp. 16. sect. 4. Et quia pia affectio est meritoria præmij supernaturalis : & quia ad ipsam requiritur gratia Theologica, quia est initium fidei: & quia Arausic. Canon. 5. ait, *Ipsum credibilitatis affectum haberi per donum , & inspirationem Spiritus Sancti , contrariumque esse oppositum Apostolicis dogmatibus.* Item pia affectio inefficax est entitativē supernaturalis , vel quia est propriè requisita ad efficacem , vt censet Ripalda , vel quia etiam computatur inter gratias theologicas per se conducentes ad affectus salutares: de quo latè disp. 7. de Liber. arbitr. sect. 2.

22 Datur etiam habitus destinatus ad hanc piam affectionem , siquidem

Si enim hic actus est valde frequens; et si velis ultimus in sua linea, & in eadem perfectus: propter quas rationes dantur habitus ad virtutes morales: qui etiam influunt in actus minus perfectos, sicut habitus piae affectionis in piam affectionem inefficacem. Deinde actus piae affectionis habent motivum diversum à reliquis virtutibus, quia huius motivum est honestas subiiciendi intellectum Deo testificanti: quod motivum potest differre à virtutibus moralibus, & à virtute Religionis, cuius motivum est honestas profitandi Dei excellentiam, & maiestatem, seu condendi Deum: cum ergo credere Deo licet cultus Dei, non respiciatur à pia affectione sub ratione cultus Dei; sed sub ratione speciali subiiciendi Deo testificanti nostrum intellectum, ideo differt etiam à Religione. An vero habitus piae affectionis dicendus sit manere in peccatore sicut habitus fidei, & habitus iudicij creditibilitatis. An vero dicendus sit desicere in peccante? Satius videtur dicendum primum, quia cum pertineat ad initium fidei, loquendum erit de ipso sicut de habitu iudicij creditibilitatis, & de habitu fidei.



## DISPUT. V.

An Deus possit esse causa  
per se erroris?



Uido Carmelita dicit, er-  
rorem fuisse Anomæo-  
rum, Deum aliquando mé-  
tium; id tamen negat  
Castro de Hæres. Prisci-  
lianistæ idem asserunt de Prophetis, &  
Christo, & aliqui voluerunt, idem  
dixisse de Deo, volentes id colligere ex  
August. lib. contra Mendac. cap. 2. &  
lib. de Hæres. hæres. 70. Sed in Con-  
cilio Tarrac. Burdigal, Toletano, Bra-  
char, damnantibus eorum errores,  
nulla de hoc sit mentio. Dixerunt sanè,  
licet aliquando mentiri, & Proph-  
etas, & Christum aliquando mentitos,  
ex quo forte inferri potest, idem vo-  
luisse

Iuisse dicere de Deo. Holchot in secundum quæst. 2. art. 8. afferit, Deum non raro loquutum esse falso; non tamen esse mentitum: quia ad mentendum requiritur intentio decipiendi; Posse tamen afferere falsum cum intentione fallendi, & decipiendi: & hoc nulli esse dubium.

## SECTIO I.

*An Deus possit de potestia absoluta loqui falsum, & mentiri?*

1 Sup. 1. De Fide esse Deum, non esse mentitum; & communiter censetur de fide, iuxta legem ordinariam non posse mentiri, neque loqui falsum, ad Titum 3. *Qui non mentitur Deus, & sæpè alibi.* Si tamen dantur aliqui textus Sacrae Scripturae apparenter oppositi, rectam habent explicationem, & concordiam, ut videtur licet apud Salmer. Belarm. & Cano de Locis, cap. 2. & 16.

2 Sup. 2. Deum plura prædictisse, quæ non evenerunt, ut mortem Ezechiae, subversionem Ninivitarum; hæc tamen prædictio fuit tantum com-

minatoria, & conditionata ; non abso-  
luta. Item si aliquando Patriarchæ,  
& Prophetæ videntur mentiri , vt  
Abraham Genes. 20. dum dixit Sa-  
ram , quæ erat vxor , esse sororem  
suam , & Jacob. Genes. 2. dum dixit,  
*Ego sum primogenitus Esau* , vel dicen-  
dum est non esse mentitos , vt aliqui  
Expositores volunt , vel dicendum est,  
non loquutos esse instinctu divino;  
Dum autem Dominus dicitur decipere,  
vt Ezequiel 9. *Ego Dominus decepi*  
*Prophetam illum.* Et Job 12. *Qui im-*  
*mutat cor Principum , & decipit eos.*  
3. Regum 22. *Dixit Domini ad spiri-*  
*tum malum , decipies , & prævalebis;*  
*egredere , & facit ita.* Intelligendum  
est decipere negativè , vel permissivè:  
sicut dicitur excæcare , quia non illu-  
minat: & indurare , quia non emollitur.

3 His suppositis, dico cum omni-  
bus TT. Deum nec de potentia abso-  
luta posse mentiri, neque loqui falso.  
Ita omnes contra Aliacum lib. 1.  
quæst. 2. dub. 3. Adamum in tertium  
disp. 14. quæst. 4. Almaynum in mo-  
ralibus, cap. 7. & Gabrielem dicentes;  
Deum non posse mentiri ; posse tamen  
de potentia absoluta loqui falso ; no-  
tan-

Tantur tamen communiter erroris, & aliqui, ut Suarez, dicunt esse de fide nostram conclusionem, Granados, & Bañez, esse de fide, vel proximè, Lugo, oppositum accedere ad hæresim. Tores, non posse defendi sine iniuria fidei. Coninc, esse blasphemiam; & sic alij. Probatur 1. conclusio: Ad Hebreos 6. *Impossibile est mentiri Deum.* Et Lucas 21. *Cælum, & Terra transibunt, verba autem mea non prateribunt.* Ex Dionysio cap. 18. de Divinis non minibus; *A veritate cadere, à Deo est cadere.* Ex August. lib. 1. de Symbolo ad Catecum. cap. 1. *Si mentiri posset, non esset omnipotens.* Et ex alijs apud Suarez disp. 3. sect. 6. num. 7.

4. Probatur à priori: Deo concedenda est omnis perfectio simpliciter simplex; hoc est perfectio, quæ sit melior quam non ipsa, & quæ nullam dicat imperfectionem. Sed veracitas talis, & sapientia, ut nec possit mentiri, nec loqui falsum est perfectio simpliciter; ergo hæc concedenda est Deo. *Explicit.* Omnipotentia, Sapientia, & reliqua attributa in summo gradu sumpta sunt perfectio simpliciter simplex: cur ergo talis non erit veracitas

Tumpta in summo gradu. 2. Iuxta Adversarios, Dominus non mentitur de facto , quia non mentiri est perfectio; cur ergo non erit perfectio non posse mentiri. 3. Iuxta August. Hæresi 70. de Fide, est mendacium esse intrinsecè malum : Ideoque non licet mentiri adhuc pro tuenda vita , aut fama : & admisso Deum posse dispensare hominibus , ut mentirentur ( sicut dispensare potest in ablatione rei alienæ , in occisione proximi ) de quo non dispuo, quia credo , quod dispensare non potest , eo quod ex terminis sit malum mendacium ; Deo tamen nunquam licere potest mendacium : homini namque aliquando imaginare possumus licere mendacium , quia non habet aliud medium vitandi grave damnum ; Deus tamen non indiget mendacio ad vitandum malum : cum ei supersint infinita media ad fines , quos intendere potest.

5 Dices : Mendacium , ut potè necessario malum, semper esse contrarium divinæ voluntati ; at verò locutio falsa non est contraria voluntati divinæ , quia à divina voluntate erit determinata. Contra : quia eadem ratione

tione probabitur mendacium Dei non futurum malum : si qui dem determinarerur à Divina voluntate : idemque dici potest , de quavis actione turpissima Dei : sicut ergo dicis implicare in terminis mendacium esse conformis divinæ voluntati , quia est ab intrinseco malum : ita dico loquutionem falsam , & contrariam menti non posse esse conformem divinæ voluntati , quia est ab intrinseco mala : vel quia in tali locutione cum advertentia facta , consistit formaliter mendacium , vt tenet communis sententia cum D. Th. quest. 110. artic. 1. Mendacium nominatur ex eo , quod contra mentem dicitur. Quod aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constitutere , fallendo ipsum , non pertinet ad speciem mendacij ; sed ad quandam perfectionem ipsius. Vel si necessaria est ad mendacium intentio decipiendi , vt vult August. lib. contra Mendacium , cap. 14. Enchir. cap. 14. & 2. soliloq. sic datur intentio virtutalis : vel quia est abusiva potentiae locutivæ destinatae ad explicandos conceptus mentis : vel quia sicut ex terminis veracitas est bona , ita ex terminis fallacia , & falsitas contra mentem

est mala : sicut odium Dei ex terminis  
est malum , & amor bonus : blasphemia  
est mala ; & cultus bonus.

6 Vnde Deus potest dare facultatem sumendi res alienas , & occidendi proximum , & alia: quia hæc solum sunt illicita quando non datur gravis causa , seu quando fiunt sine authoritate , aut concessione speciali ; non tamen potest dare facultatem mentiendi : quia mendacium indispensabiliter est malum: quare autem tale sit dicimus disp. 1. de Bonitate , & malitia loquendo de regula moralitatis , modo sufficiat dicere tale esse : quia ita sentiunt Sancti PP. & Ecclesia : & quia est intrinsecè disconforme ideæ divinæ , seu providentiae , dantis potentiam locutivam ad explicandos conceptus mentis : & quia nunquam dari potest gravis causa excusans à malitia locutionem falsam: quia nunquam est necessarium loqui falsum ad vitandum grave damnum : si enim illud fuerit iusta causa occultandi rem , hæc occultatio fit absque locutione falsa : quia Respublica , & consensus hominum mutavit significacionem vocum pro illo casu , ne significarent , quod videntur sonare : ad quid ergo

ergo erit mentiri, aut loqui falsum?

7 Prob. 2. Si Deus posset mentiri, seu loqui falsum de potentia absoluta, rueret tota firmitas, & securitas nostræ fidei: quia firmitas, & securitas nostræ fidei stat in veritate Scripturarum, & divinarum revelationum. Sed si Deus potest mentiri, aut loqui falsum, non est ratio ut simus ita securi de mysterijs nostræ fidei: quia fortè mentiretur in Scripturis, & dum dicit se non mentiri ergo. Hæc ratio etiam probat Deum non posse mentiri per internuntios, per Prophetas, & Apostolos: quia tunc verè loquitur Deus, ut constat ad Hebreos 1. *Multifariam multisque modis olim laquens Deus Patribas in Prophetis.* Et Matth. 10. *Non vos estis, qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vnde quamvis Deus facta revelatione, potest facere oppositum: quia revelatio non auferit libertatem; non tamen potest facere oppositum in sensu composito revelationis; sed solum in sensu diviso; sicut idem accidit in Scientia visionis, & Scientia Media.

8 Dices: Rectè stat, Deum posse mentiri de potentia absoluta, & nihilominus

minus nos esse securos de veritate Scripturarum: quia iuxta præsentem providentiam mentiri non potest, nec loqui falsum: eo quod decretum habeat non loquendi falsum, quod decretum nobis constat ex præcepto credendi Scripturis. Contra 1. Si mentiri potest de potentia absoluta, vel loqui falsum: *Tunc forte mentitur quando præcipit, ut illi credamus, ut dicit August. lib. de Mendac. cap. 8.* & addit: *Quo admissa omnis omnino disciplina fidei subversitur.*

2. Si potest loqui falsum, quin opponatur veracitati, poterit etiam mutare decreta, quin opponatur immutabilitati: quam ergo securitatem habebimus de rebus dictis, & promissis. Dices: Et si Deus possit mentiri, per argumenta credibilitatis, & per autoritatem Ecclesiæ possumus convinci Deum hic, & nunc non loqui falsum. Contra: Argumenta credibilitatis, & authoritas Ecclesiæ estenus habent vim suadendi aliquam veritatem, quatenus suadent illam esse dictam à Deo: si ergo Deus posset dicere falsum, quomodo suadent dictum à Deo esse verum?

, Dices: Deus potest loqui æquivocè, & Christus ita loquitus est; si

cut ergo tunc per argumenta credibilitatis, & per authoritatem Ecclesiæ cognoscimus in quo sensu loquutus est Deus: ita et si Deus possit loqui falsum per eandem cognoscemus quando loquitur verum. Argumentum in primis probat, Deum in hac providentia posse loqui falsum: quia in hac providentia potest, & loquitur æquivocè, & nobis licitum est æquivocè loqui ex iusta causa etiam post prop. 26. Ut constat ex prop. 27. ex Lumb. quæst. 5. à n. 294. Carden. & Munies. hic disp. 5. sect. 4. præter multos graves AA. idem dicentes ante damnationem. *Resp.* Verum esse, Deum posse loqui æquivocè ex iusta causa, & iustam causam sæpè reperi-  
ti. 1. Ne doctrina vilescat. 2. Ut de-  
tetur recursus ad suum caput; non ta-  
men potest æquivocè loqui in circum-  
stantijs in quibus non possit deprehen-  
di humano modo sensus loquutionis;  
quia esset stulta locutio ordinata ad il-  
lum, qui non posset eam percipere. Et  
quia tunc vetè deciperet, & moraliter  
esset idem ac mentiri; quid ergo mi-  
rūm, quod per authoritatem infallibili-  
lem Ecclesiæ, & per argumenta credi-  
bilitatis cognosci posset sensus verus

propositionis æquivocæ; cum ad hoc data sit Ecclesiæ authoritas infallibilis declarandi Scripturas: at per nullam ræuthoritatem intelligi potest, sensus verus propositionis faliæ.

10 Dices: Et si textus, in quibus dicimus concedi Ecclesiæ hanc authoritatem, dicant Hæretici, esse æquivocos, quo confugiemus? *Resp.* Textus esse claros, & non æquivocos. Deinde tunc esset recursus ad authoritatem humanam Ecclesiæ, & argumenta credibiliatis, quæ fundent moraliter, illum esse sensum propositionis; cum autem sciamus, Deum non posse decipere, neque mentiri, & mentiretur moraliter, si sensus, qui proponitur credibilis universaliter non esset verus: sufficiens fundamentum habemus, ut convincatur de authoritate infallibili Ecclesiæ; at vero si potest loqui falsum, quomodo poterimus convinci cum argumenta non habeant vim suadendi, nisi quisquis proponunt illud esse dictum à Deo, qui potest tunc loqui falsum? Hinc patet qua ratione possimus uti locutione æquivoca. Ad vitandum obiectionem de restrictione mentali sufficere dicere, hanc non licere Deo; quia casu quo

apud homines licere, solum esset quando aliter non possent vitare grave dampnum, vel quid simile, cum autem Deo sint infinita media, non potest Deo licere restrictione mentalis; nihilominus pauca dicemus.

## §. I.

11 Dico cum Coninc hic disp. 30  
dub. 3. Aldrete de Incarnatione, dispu-  
t. 57. sect. 10. Cardenas, & Fuente  
Hurtado, de Propos. damnat. dissert. 16.  
cap. 8. Munies. supr. non esse licitam  
restrictionem pure mentalem: quia talis  
loquutio est mendacium. Prob. Pro-  
positio falsa liberè prolata ab eo, qui  
non fallitur, est mendacium. Sed pro-  
positio solum mentaliter restricta ta-  
lis est: ergo. Prob. min. quoad pri-  
mam partem. Restrictio illa mentalis  
eodem modo se habet respectu signifi-  
cationis illarum vocum, ac si non pro-  
ferretur. Sed si non proferretur esset  
falsa: ergo licet proferretur est falsa.  
Prob. mai. Restrictio illa non immu-  
tat significationem: quia significatio  
vocum, cum pendeat à communi be-  
neplacito hominum, non pendet ex

Iolo placito loquentis: ideoque propositio alias simpliciter falsa non definet esse talis eo præcisè, quod vnuſ velit esse veram: & propositio externa medax non definet esse talis eo præcisè, quod vnuſ velit esse veram. Deinde quia nihil sensibile, & externum immutari potest externe per id præcisè, quod ei addatur aliquid internum, & inconnexum cum externo, nisi forte sit communis sensus.

12 Dices: Ad excusandum à falsitate illam propositionem ultrà restrictionem requiri causam occultandi veritatem. Contra tamen: quia tunc non datur restrictio, quæ in illo casu impertinens est. Sed vel Deus, vel Respublica, seu communis consensus hominum, qui dedit significationem vocibus, immutavit significationem pro tali casu, & quod id non significant, quod sonant, voluit: & ita excusant à mendacio Esforcia, & sapientis. RR. cum Lugo confessarium, qui negat se scire, vel audisse tale peccatum in confessione, vel extra, vel absolute negantem. Si ergo Respublica immutat significationem pro tali casu; ad quid servit, seu quid faciet tua restrictio? Itaque

que dicta verba confessarij , vel nihil significant, vel significant se non ita sci-  
re , ut debeat dicere , vel quid simile.  
Hinc patet , Christum non visum esse  
restrictione pure mentali, quando sua-  
dentibus cognatis , ut ascenderet ad  
diem festum, dixit Ioan. 7. *Ego non af-  
cendo ; & postea , ascendit secretò : quia  
cognati volebant , eum facere miracula  
coram populo , ut videretur , ut constat  
ex textu: Transi hic , ut discipuli sui vi-  
deant opera tua , quæ facis , nemo quippè  
in occidente quid facit , & querit ipse pa-  
lam esse ; dicendo igitur , quod non af-  
cendebat ad illud festum , clarè intelli-  
gebatur voluisse dicere ; se non ascen-  
dere ad faciendum miracula , ut vide-  
rentur. Similiter dum Marci 13. dixit:  
*De die iudicij neque filium scire : cum  
ipsis constaret , esse Deum , apertè vo-  
luit significare ; neque filium scire , ut  
ipsis revelaret talem diem.**

13 Dices: Si ex placito hominum;  
vel Dei significant voces, potest Deus  
velle per has voces: *Iustis dabo gloriam,*  
aliud significari, scilicet , *daturum sup-  
plicia iustis: ergo eadem insecuritas da-  
tur in nostra fide , ac si posset falsum di-  
cere: quia per argumenta credibilitatis,*

solum

Solum possumus suaderi illam esse locutionem Dei, quod verò significant illa verba *gloriam*, quomodo suadent? Præsertim cum de verbis quibus dicimus constare infallibilem autoritatem Ecclesiæ, possit fieri idem argumentum: quia potuit velle aliud significare. *Resp.* Verum esse ex placito Dei significare voces; sed tamen Deus non potest immutare significationem vulgarem vocum, ita ut moraliter simus certi per argumenta credibilitatis verba illa significare gloriam iustis, & Deus nollit hoc significare: quia si ita esset verum, deciperet activè, & saltem moraliter mentiretur. Vnde secura semper manet nostra fides: quia cum argumenta credibilitatis, & authoritas humana Ecclesiæ dicunt hanc esse significationem, hoc significant: cum autē si Deus posset dicere falsum, decipere posset, ut inquiunt Adversarij, quomodo securi erimus de veritate propositionis.

34 Ex dictis patet etiam solutio ad authoritates, quibus RR. probant licentiam restrictionis mentalis. Prima est Gregorij Magni 26. Mor. cap. 7. *Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Divina verò indicat.*

*Iudicia talia esse iudicant, qualia ex ini-  
giosis proferuntur.* Per hæc enim solum  
indicat homines iudicare per apparen-  
tiam, quod apparet bonum, aut verum  
iudicant verum, aut bonum: Deum au-  
tem intueri cor, & videre quod in re,  
est bonum, & verum. Secunda est Hi-  
larij lib. 4. de Trinit. cap 5. *Intelli-  
gentia verborum ex causis est sumenda  
dicendi, quia non sermoni res; sed res  
est sermo subiectus:* quia vel hæc verba  
solum confirmant nostram sententiam  
cum ibi non utatur Sanctus verbo re-  
strictionis: cum non dicat significatio-  
nem vocum sumendam esse ex intentio-  
ne; sed ex causis: quas supponit esse ex-  
ternas, & apparere, siquidem ex ipsis  
dicit sumendam esse intelligentiam.  
Deinde non dicit, significacionem su-  
mendam esse ex intentione; sed ad sum-  
mum intelligentiam: quia cum verba  
sunt obscura, scimus quid significent  
voces; tamen non intelligimus, nisi ex  
causis, seu intentione, quid voluerint  
significare; & postea cognita intelli-  
gentia, dicere solemus: hic voluit hoc  
dicere; sed non dixit, sed aptior vide-  
tur prima solutio: & secunda solutio  
erit apta, si infistat in eo quod Sanctus

*ex causis apparentibus, & non ex intentione, vult comperiri intelligentia in vocum.*

15 Adverte etiam, cum substitutio vocum pro conceptibus formalibus sit significatio vocum, sive titulo substitutionis petat significare conceptus formales, sive non, forsitan enim hoc non requiritur titulo substitutionis: quia si in Altari, in quo erat imago Conceptionis picta, ponatur statua Conceptionis, recte dicitur hanc substituere pro illa, quamvis haec non significet, nec ducat in cognitionem imaginis pictae. Sed quidquid sit de hoc, voces iuxta omnes significant, vel primo, vel æquè primo, vel secundario iuxta varias sententias conceptus formales: cum ergo ex placito hominum proveniat significatio vocum, hinc est quod ex placito hominum provenit, quod substituantur potius pro hoc, quam pro alio iudicio, & conceptu.

16 Itaque dum datur iusta causa occultandi rem, haec vox *nescio* ex placito hominum substituitur pro hoc iudicio, *nescio scientia*, *qua debeam*, aut *possim indicare*: vel aliud simile; non hoc iudicio absoluto *nescio*. Et ad haec nihil

nihil facit restrictio mentalis, neque  
vlo modo est necessaria, sive enim  
detur, sive non propositio vocalis idem  
significant, cum eius significatio non  
pendeat ex placito restringentis. Si ve-  
rò non est causa occultandi, hæc vox  
*nescio* substituitur pro hoc iudicio ab-  
soluto *nescio*, restringas, vel non io-  
ternè propter rationem datam. Vnde  
si sciens proferas *nescio* sine causa oc-  
cultandi, mentiris: quia etsi loquens  
non debeat semper dicere totam veri-  
tatem, semper tamen tenetur non lo-  
qui contra mentem. Hæc sufficient, vi-  
de Fuente Hurtado supr. optimè hæc  
tractantem, quidquid dicat Muniesa.

## SECTIO II.

*An Deus possit causare per se, & infun-  
dere errorem in intellectu  
creato?*

17 **A**bsolutè negant Godoy  
3. part. disp. 44. §. 5.  
Salm. disp. 2. dub. 2. Ferre quæst. 2.  
§. 4. Gonet disp. 1. cap. 4. art. 4. §. 2.  
dicentes, Deum causare actus erroris,  
& idem de habitibus nō quatenus actus

erroris, & vicesi sunt; sed solum materialiter, & quoad substantiam. Ex nostris Suarez disp. 3. sect. 5. Tannerus disp. 1. quæst. 1. Coninc disput. 102 dub. 2. Munies. disp. 5. sect. 5. Palanco disp. 2. quæst. 3. Nescio, an hic aptetur illud August. 1. de Mendacio: *Nunquam errare tutius, quam cum amore nimio veritatis, aut reiectione falsitatis erratur. Quia AA. dum tutius agunt, forte nimio amore reiectionis falsitatis errant, loquendo de errore morali etiam negat P. Doct. Vincentius Ramirez disp. 6. de Praedest. cap. 7. etiam consequenter ad ignorantiam invincibilem. Absolutè affirmant Vazq. Luogo disp. 4. sect. 3. Ripalda disput. 4. sect. 4. Sendin controv. 5. num. 5. Consentient cum limitatione infra videnda Lorca disp. 9. Oviedo contr. 3. punct. 2. Ut hæc quæstio locum habeat supponendum est errorem, seu intellectu non consistere in actione, seu non esse essentialiter alligatum principio per illam intelligenti. Et causalitatem per se sumi pro causalitate excedente munus permisoris; sive causet ut causa universalis, sive ut causa specialis.*

**I<sup>o</sup>** Dico 1. Deus potest causare

per

per se errorem purè philosophicnm;  
 seu non pertinentem ad bēnos mores,  
 v. gr. hunc, *Petrus currit*, non curren-  
 te Petro. Prob. Nulli perfectioni divi-  
 nae opponitur, Deum causare per se  
 hunc errorē: ergō. Prob. ant. Deum  
 causare per se hunc errorē non op-  
 ponitur veritati in cognoscendo: quia  
 huic solum opponitur cognitio falsa in  
 eodem intellectu. Non opponitur ve-  
 ritati in dicendo: quia huic solum op-  
 ponitur loqui contra mentem, seu de-  
 cipere interposita authoritate: & Deum  
 causare per se errorē, non est menti-  
 ri: ergō. *Confirm.* Non minus opponi-  
 tur ignorantia summæ scientiæ: de-  
 mentia prudentiæ: mors vitæ: morbus  
 integratæ essendi: cæcitas potentiae  
 visivæ; quam error veracitati, & sa-  
 pientiæ. Sed Deus summa scientia po-  
 test causare per se ignorantiam: Deus  
 vita mortem: Deus in se perfectus mor-  
 bum: Deus prudens dementiam: Deus  
 videns cæcitatem: ergo Deus verax, &  
 sapiens potest causare per se errorē.  
 Prob. mai. & conf. Ideo i. est verum:  
 quia licet scientia dicat oppositionem  
 disconformitatis cum ignorantia, in  
 quocumque subiecto; & sic de alijs;

Solum dicit oppositionem repugnantiæ, & incomponibilitatis in subiecto, in quo est scientia. Sed idem accidit veracitati, & sapientiæ respectu erroris : ergò,

19 Confirm. 2. Sicut calor opponitur frigori , albedo nigredini , & sic de alijs inter se contratijs , sapientiæ opponitur errori. Sed calor solum opponitur frigori oppositione repugnantiæ incomponibilitatis in subiecto , in quo est calor ; in alijs subiectis oppositione disconformitatis ; ergò. 3. Sicut vis intellectiva inclinat in veritatem (idem de sapientia , & veracitate ) ita aqua inclinat in frigiditatem. Sed aqua solum inclinat in frigiditatem in subiecto , in quo est aqua , non in alijs valde distantibns ; ergo vis intellectiva , sapientia , & veracitas Dei solum inclinant in veritatem in subiecto , in quo sunt ; non in subiectis adeò distantibus à Deo , ut distant creaturæ. Si dicas cum Palanco , Deum non causare per se morbum , cæcitatem secundum quod dicunt de defectu ; sed secundum quod dicunt effectum : & idem esse de actu falso. In primis nobis fortè satis erit , eadem veritate , & proprietate , qua Deus

Deus dicitur causare morbos, dici causare errorem philosophicum. Probat. 2. & 5. dicemus Deum causare per se errorum; ut talem.

20 Prob. 2. Error consistit in non existere obiectum ut indicatur. Sed Deus potest causare per se, ne existat obiectum, ut indicatur: ergo. Prob. min. Immutare obiectum de albo v. gr. in nigrum, stante iudicio, est non existere obiectum, ut indicatur. Sed Deus potest sic immutare obiectum stante iudicio: ergo. Minor est certa. Adde tunc posse Deum conservare per se iudicium ut causam universalis, ut fatetur Palan-  
co; licet non ut causam specialem: quia ut causa universalis non causat illud ut disconforme; sed illud in ratione entis; si vero causaret illud ut causa specialis, deberet curare de veritate illius.

**Contra 1.** Iudicium, ut disconforme, est iudicium, & non existentia obiecti. Sed Deus, ut causa universalis potest causare per se iudicium, & non existentiam obiecti: ergo. Prob. mai. Quia sicut veritas ut talis, seu conformitas, ut talis consistit in actu, & obiecto; ita simili-  
tèr disconformitas. 2. Cui tribuitur existere iudicium ioseparabilitè à fal-

fitate , & cum cognitione falsitatis, trahi  
buitur disconformitas , vt talis, & ideo  
est causa per se falsitatis vt talis , & dis-  
conformitatis vt talis. Sed Deo cau-  
santi per se , & prædeterminanti , vt  
existat iudicium in illis circumstantijs,  
tribuitur existere iudicium inseparabi-  
litèr à falsitate , & cum cognitione  
falsitatis: ergo. Maior , & min. latè  
probatae sunt , disp. 5. de Peccatis,  
sect. 1. à num. 6. vbi reiectæ solutio-  
nes. De hoc infra prob. 4.

21. Prob. 3. Qui causat per se cau-  
sas per se causantes errorem , causat per  
se errorem. Sed Deus potest causare  
per se causas per se causantes errorem;  
ergo. Maior de qua cum distinctione  
egimus disp. 2. de Actibus Humanis,  
sect. 2. est communis : quia *causa causæ*  
*est causa causati*, in causa per se. Prob.  
min. 1. Deus causat per se species ba-  
culi recti immersi aqua. Sed hæ causant  
per se iudicium , quo videtur cursus:  
ergo. 2. Si Sacerdos consecraret pa-  
nem in loco vbi nullus prudenter posset  
iudicare ibi esse Sacramentum : cui  
casus videtur possibilis , Deus posset  
conservare per se accidentia illa panis.  
Sed illa accidentia per se causarent iu-  
di-

dicium de substantia panis , quod est falsum : ergo & similiter potest causare per se ignem sine calore determinantem ad iudicandum ibi esse calorem ; aquam sine frigiditate ; & similia. *Dicit.* Palanco. Accidentia solum causare per se obiectivè hoc iudicium , vel est ibi panis , vel datur miraculum. *Contra:* Aliud est , quod iudicium est verum ; aliud , quod iudicium causant per se ; & intendimus primum iudicium causare per se. *Prob.* Accidentia illud iudicium causant per se , quod frequenter habetur à prudentibus. Sed quivis prudens in tali casu prudenter iudicaret determinatè , ibi est substantia panis ; ergò. Maior pater ex illo. *Quod frequenter accidit , hoc esse dicimus.* Dicere cum Salm. Deum teneri in eo casa manifestare ibi esse sacramentum , videtur voluntarium.

22 *Confirm.* Deus potest causare per se speciem albedinis , absente albedine. Sed hoc est causare per se errorem : ergò. Maior est Div. Thom. 3 . part. quæst. 76. art. 8. de Apparit. Christi in Sacram. Dupliciter potest contingere talis apparitio : quandoque enim haec contingit ex potestate videntium quo-

quorum oculi immurantur, ac si expresse viderent puerum, nulla immutatione facta ex parte sacramenti. Respondet Palianco, non causare per se illum errorem, quia id non causat ex intentione, ut iudicetur puer; sed ex intentione manifestandi veritatem Sacramenti. Nos modo non curamus de intentione, de qua postea, modo causat per se errorum, qui sine directa intentione causari potest per se, & frequenter causatur. *Confirm. 2.* Qui causat per se omnia principia determinantia ad errorum, causat per se errorem. Sed Deus potest causare per se omnia principia determinantia ad errorem: ergo. *Prob. min.* Quia dum actus est necessarius provenit ex occurso causarum, quas potest Deus causare per se: & dum est liber addit imperium, quod dum est prudens potest causari per se à Deo. *Prob. 2. min.* Deus conservat habitum causatum ab actibus necessario falsis. Sed hic habitus causat per se errorum: ergo. *Prob. mai.* Talis habitus, etiam ut defectuosus, ab aliquo conservatur: non ab actibus, qui iam non sunt; non ab intellectu, qui solum posset eam conservare medijs actibus: ergo à Deo.

*Con-*

23 *Confirm. 3.* Iuxta August. s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> lib. 6. de Bono persever. *Irritoria* est actio gratiarum, si ob id gratia aguntur, quod non donavit ipse, nec fecit. Sed iuxta ipsum possunt Deo agi gratiæ pro errore: ergo. Prob. min. Enchir. cap. 17. Nonnullis profuit errare, sed in via pedum, non in via morum: nam nobis ipsis accidit, in quodam viro falleremur, ut non iremus per eum locum, ubi obians transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, ut eo quo tendebamus per devium circulum veniremus, cognitisque infidijs illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo: quoniam, & est error bonus, qui non solum nihil absit, sed profit. *Confirm.* Error s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> conduct ad bonum finem, v. gr. in determinato ad occidendum Ioannem, conduct iudicare per errorem illum esse Petrum, quo vitatur homicidium. Sed Deus potest causare per se malum physicum conducens ad finem bonum: ergo.

24 Respondet Palanco, suisse bonum, & beneficium Dei errasse in via pedum; non errasse in iudicio viæ: quia August. loquens de hoc casu Enchir.

chir. 19. Ipse per se error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, malum est: quis enim, nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris. Et D. Thom. quæst. 18. de Veritate, artic. 6. Sicut verum est bonum intellectus; ita falsum est malum ipsius. Et in 3. de Anima: *Falsa opinio ita se habet in cognoscibilibus, sicut monstrum in natura.* Contra: Verum est errorem esse malum physicum; sed dicimus Deum posse causare per se mala physica, licet neget Palanco: quia Deus causat per se, quæ miraculosè sunt: & ipsi tribuuntur, quod sunt, licet non proveniat ab ipso, quod sunt mala; sed ab eorum natura. Sic Act. 13. Elymæ mago dixit Paulus: *Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, & non videns solem.* Et D. Petrus miraculosè fregit crura Simonis magi: & mortem Ananiæ, & Saphiræ causavit, & miraculosè combusta est Sodoma: & miraculosè evenerunt plagæ Ægyptiorum: & similia. 2. Malum physicum, quo affert per se, vel per accidens magnum bonum, potest causari per se ab habente ius ad illud causandum: sic à Medico caufatur per se scissio venæ; &

alia dura. Sed error s<sup>a</sup>pè adducit magna bona, vt vidimus: ergò. Hæc ratio præcipuè vim habet, quando ignoratur à patiente malum physicum esse malum: ex quo colligitur, quam parum malum sit, quod à patiente ignoratur, vt accidit in errore, & ideo ab August. Enchir. 19. de hoc casu. *Cum diu in quibusdam rebus nullo malo alijem, vel nonnullo bono falli: non ipsum errorem dico nullum malum.* Ex quo sic. In malis physicis, è duobus malis minus potest causari per se. Sed in illis circumstantijs minus malum fuit Aug. falli, & iudicare illam esse viam rettam; quam non falli: ergò. Prob. min. Quia minus malum fuit errasse, & falli, quam cadere in manus Donatistarum. Mai. patet ex illo, è duobus malis minus est eligendum: quod in malis physicis locum habet, & potest esse materia consilij. Quidquid sit de moralibus.

25 3. August. egit gratias de eo errore, quem dicit profuisse. Sed dicit profuisse, quod falleretur, qui est error iudicij: & quidem hic profuit: quia si non habuisset errorem iudicij, non errasset in via pedum: ergo Deus

causavit per se errorem iudicij, qui tunc  
fuit bonus August. quia profuit. 4.  
August. cum fecisset mentionem de  
errore iudicij, & de errore pedum: si-  
ne distinctione dicit *gratularemur ergo*, *indeque gratias ageremus Deo*: er-  
go, & gratulabatur, & gratias egit pro  
errore intellectus. Prob. conf. Quando  
quis numeratis duobus, gratias agit  
sine distinctione, & est dubium, an ea  
verba intelligantur pro duobus: sic  
agens gratias doctrinaliter, aut diminu-  
te loquitur, aut agit gratias pro duo-  
bus. Sed August. numeratis duobus  
erroribus sic se habuit: quia probabile  
est posse intelligi ea verba pro duobus:  
ergo. 5. Non bene percipitur, quare  
error pedum possit causari per se, et si  
sit contra intentionem potentiae pro-  
gressivae: & contra intentionem virtua-  
lem, & formalem voluntatis: & error  
intellectus, qui solum est contra inten-  
tionem virtualem intellectus, non pos-  
sit causari per se à Deo? Quia sicut  
Deus iudicavit tunc ea via eundum es-  
se, ita iudicavit, bonum fore Augusti-  
no iudicare, ea via eundum esse, aut  
minus malum.

26 Prob. 4. Deus potest causare  
actum,

actum, quem prudentia dicit, & in quem inclinat virtus Studiositatis. Sed prudentia s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> dicit actum falso, & in illum inclinat s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> virtus Studiositatis: ergo. Prob. min. Prudentia dicit, & virtus Studiositatis inclinat ad iudicandum verisimilius, & probabilius. Sed s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> est falso: ergo. Minor patet: quia in controversijs virinque probabilibus, cuivis videtur sua sententia probabilius, & verisimilius, & aliqua est falsa, & mai. ex se constans suadetur in viris Sanctis, qui postulant a Deo lucem, qua attingant veritatem; & ex hac petitione alius iudicat sic; alius autem sic: & quivis suam cogitationem tribuit Deo, & pro ea gratias agit. De hoc plura infrà.

**27** Prob. 5. Præcipue contra Thomistas dicentes Deum posse causare actum falso, ut actus est; non ut error, nec ut falsus, & deceptio est. Prob. Qui causat per se, quod per se determinat ad iudicium falso, ex intentione, quod alter fallatur, est causa per se erroris. Sed Deus potest causare per se id, quod per se determinat ad iudicium falso ex intentione, quod alter fallatur: ergo. Major vi-

detur vera : quia creatura hac ratione est causa per se erroris in alia. Probat. min. Incedere publicè indutum ueste sacerdotali, coma, ense, per se causat iudicium, quod ille est sacerdotis. Indui, & conduci, ut famulum per se causat iudicium, quod ille sit famulus. Magnus numerus Tubarum, grandis strepitus, multa signa dispergita, per se causant iudicium de magno exercitu. Sed Deus causat per se, quod viri Religiosi incedant in Anglia, & alijs regionibus, ueste sacerdotali, coma, & ense. Deus causavit per se Raphaëlem indui, & conduci ut famulum Tobiæ. Deus causavit per se illum strepitum cum Gedeone: & hæc causavit ex intentione, quod fallerentur: ergo. Prob. min. Quia volebat existimare, ita esse, sicut apparent.

28 Confirm. Facere miraculum ex intentione, ut obiectum iudicetur aliud ac est, est causare per se, quod alter fallatur. Sed Deus fecit miraculum, ut obiectum iudicaretur aliud, ac erat: ergo. Prob. min. I. Ioan. 20. Magdalena, existimans, quia hortulanus esset. In qua D. Thom. quærens quomodo cum non agnovit? Respondet: *Quia acutus*

beni eius tenebantur, ne eum agnosceret, ut dicitur de discipulis Emaus. Et quare voluit, non agnoscere Augustin. ser. 144. Quia oportebat, ut melius cor instrueretur, quod cognitio differitur. Prob. 2. min. clarius. Lucæ 24. Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Inquirunt SS. PP. quare eum non agnoveriat? An quia oculi divinitus impediti tenebantur: an quia effigies ita erat mutata, ut etiam liberis oculis agnoscere non possent? August. epist. 59. Beda, Theophilact. apud Mald. dicunt, mutationem factam in corpore Christi, quod insinuat Marc. 16. Offensus est in alia effigie eundibus in villam. August. lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 25. Hieron. epist. ad Pamphili. dicunt, impeditos esse oculos ne eum agnoscerent. Maldonado dicit, utrumque accidisse, quod verius iudico, ut omnes convenient. Sed quomodo cumque sit, Deus fecit miraculum, ut Christus iudicaretur aliis, ac erat ergo.

29 Confirm. Qui facit aliquid ex se aptum, ut alter iudicet obiectum ex se aliud, ac est ex intentione, ut ita iudicet, est causa per se, quod alter fallatur. Sed Christus ita fecit: ergo. Prob.

min. Luc. 24. *Ipse finxit se longius ire*  
*Et quare finxit?* Maldonado: *Vt ipsi putarent*, verè esse peregrinum, cuius speciem præ se ferebat. Et quomodo finxit, aut fingere licuit? Cassianus Catholicus, & bonus super hunc locum putavit, Christum esse mentitum, apud Maldonado hic: quia ut ipse ait, nullum tam pulchrum, vt nævo careat, certum debet esse, non esse mentitum. *Quomodo vero finixerit sine mendacio?* Facilius est credere, ait Maldon. quam explicare. Ex quibus clariùs constat, quod voluerit, eos iudicare, se velle longius ire: cum verè nollet, ad hæc multa Interpretetes, apud Maldon. quibus omisssis. Verius iudico, verbis æquivocis usum, iusta causa, vt ipsi putarent abscedere velle, cum vellet manere: ita enim solet accidere in hospitibus; & in ingressu, & egressu; in accessu, & recessu ab aliquo loco, quæ fieri solent urbanitas gratia: & milites utuntur artibus ad decipiendos hostes.

30 Aliqui probant nostram conclusionem sic: Deus causat effectus necessarios per decretum efficax, ideoque est causa per se illorum. Sed dantur multi actus necessarij falsi; ergo. Verū,

ut dicimus de decreto applicativo, non semper applicatur omnipotentia ad effectus necessarios per decretum conexum: quia si ut causa indifferens infallibiliter operetur, sufficit decretum indifferens; cur non sufficiet, ut operetur causa necessaria. Alij probant, quia Deus potest causare per se maiorem universalem veram, ex qua, & minori falsa, oritur per se conclusio falsa. Sed multa continet dubia. Alij, quia error saepè conductit ad vitandum peccatum; v. gr. quis iudicans peccatum esse irremissible, illud vitat, quod alijs non vitaret. Iudicans illum esse Clericum vitat homicidium, quod alijs non vitaret. Sed quæ conducunt ad vitandum peccatum, possunt causari per se à Deo, quia sunt auxilia: ergo.

31 Dico 2. Deus potest infundare errorem pure physicum, saltem quando constet non esse locutionem Dei. Prob. Deus potest infundere actum, quem potest causare per se, si non sit specialis deformitas in infusione, præcausare per se. Sed Deus potest causare per se errorem pure physicum, & non est specialis deformitas in infusione, præcausare per se, dum constet infusionem

non esse locutionem : ergo. Dixi dum constet non esse locutionem , vt præcindam à disp. diversarum locutionum Dei, de quibus latè SS. PP. & Interpretes ; inter quos V. P. Puente, *Guia Espiritual*, & in Cantica, & alij. Sed notare placet , errorem esse hæreticorum nostri temporis apud Bellarm. lib. 3. de Verb. Dei, cap. 3. dicentium, ad credendum requiri revelationem privatam cuique immediate factam ; & non sufficere revelationem publicam: & rationem reddunt : quia ad credendum requiritur illustratio immediate immis- sa cuique à Deo , quæ videtur revela- tio. Hæc, ne, si quamvis infusionem iu- dicemus revelationem , occasionem de- mus erroris hæreticis nostri temporis: & vt constet similiter , esse aliquas in- fusiones cognitionum , quæ non sunt locutiones.

32 Obijc, 1. Causare errorem, est decipere , seu esse causam deceptionis. Sed Dominus neque potest decipere; neque esse causa deceptionis : quia tota malitia mendacij consistit in eo , quod faciat alterum errare : ergo neque po- test causare errorem. 2. Illi passivæ Petrum dicipi, correspondet activa cum decipi

deripere. Sed dum Deus causat per se errorem, Petrus decipitur: ergo Deus decipit *activè*. Probat. mai. Quia non potest dari, neque esse vera passiva sine activa. 3. Si posset ita decipere, posset specialiter movere, ut creatura sic decepta loquatur, quod iudicat, quod esset mentiri per alium, aut loqui falsum per alium. *Resp.* dist. mai. Causare errorē est decipere passivē, hoc est, est alium decipi, conc. mai. est decipere *activē*, subdist. causare errorē interposita authoritate, conc. mai. non interposita authoritate, neg. mai. Itaque malitia mendacij neque consistit in eo, quod alter decipiatur, neque in intentione, quod alter decipiatur: siquidem militibus licet uti artibus ex intentione deceptionis hostium, in quo casu datur deceptio passiva sine deceptione activa, quæ consistit in eo, quod interposita authoritate alter decipiatur. Hæc deceptio est intrinsecè mala; at vero deceptio purè passiva, non est intrinsecè mala, idèoque intendi potest. *Ad 2.* dist. mai. Cor respondet activa *decipere* purè physicè, & non interposita authoritate, conc. mai. decipere moraliter, seu interposita authoritate, reg. mai.

& conseq. & dist. conf. eodem modo;  
 & prob. solutio constat exemplis im-  
 mediate positis, & rationibus conclu-  
 sionis, præcipue ex ultima. *Ad 3. sect. 3.*  
 dicemus, quid possit Deus, si error  
 sit moralis. Et §. sequenti, an possit  
 consiliare errorem physicum; modo de  
 errore pure physico, conc. Deum pos-  
 se specialiter causare, non interposita  
 auctoritate; alium loqui, quod iudi-  
 cat, quod cum sit veraciter loqui, non  
 est mentiri per alium; sed solum Deo  
 tribui, quod alius dicat, quæ iudicat.

33 Insistit Oviedo. Veracitas non  
 solum perficit subiectum in ordine ad  
 se; sed etiam in ordine ad alterum: er-  
 go mendacium deordinat subiectum,  
 non solum in ordine ad se, sed etiam  
 in ordine ad alterum. Sed sola discon-  
 formitas cum iudicio non deordinat in  
 ordine ad alterum: quia si hæc non af-  
 ferret deceptiones alteri, præcisè red-  
 dere loquentem malum in ordine ad  
 se; ergo deordinatio in ordine ad alte-  
 rum stat in eo, quod causet in altero  
 errorem; ergo causare errorem, & mul-  
 to magis infundere errorem opponitur  
 veracitati. In primis contra Oviedo,  
 cur causare errorem, ut causa univer-  
 salis,

salis, & ad exigentiam causarum non erit etiam malum: & solum erit intrinsecè malum causare illum, ut causa specialis, cum in utroque casu sit author erroris? Deinde sicut hic agnoscit hanc distinctionem, ita concessio, quod veracitas proficiat in ordine ad alterum, & quod mendacium deordinet in ordine ad alterum: dico; disconformitas locutionis cum iudicio se sola deordinat loquentem in ordine ad alterum; quia quamvis per accidens non sequatur documentū deceptionis; tamē interponit suam autoritatem media locutione, ut medium ordinatū ad alterum decipendum: in qua interpositione stat deordinatio mendaciū in ordine ad alterum.

34 Dices: Esse disparitatem inter Deum causantem errorem ad exigentiam causarum, & causantem errorem sine tali exigentia: quia illi causæ tribuitur deceptio, quæ ex se, & per se inclinat in errorem: cum ergo quando ad exigentiam causat, creatura sit, quæ ex se, & per se inclinat in errorem: quando vero sine exigentia causat, per se inclinet: hinc est, quod in hoc casu est causa deceptionis, secus in primo. Contra tamen: quia quando Deus cau-

sat errorem per decretum efficax, illum volens, etiam per se inclinat in errorem, et si non primo: quia primo inclinant in talem errorem causæ secundæ exigentes concursum: si ergo sufficit causare errorum cum inclinatione, ut tribuatur deceptio modo dicenti malitiam, cum Deus tunc causet errorum cum inclinatione, quia illa voluntatis erroris est inclinatio, tunc etiam incurret malitiam: dicendum ergo est, quod in utroque casu Deo tribuitur physica deceptio, non vero moraliter, seu quod Deo tribuitur deceptio etiam moraliter, hoc est imputabiliter, sed modo non dicente imperfectionem; quia non interponit suam authoritatem.

35 Insistit Munieffa iuxta nostra principia, si non esset in usu locutio stricta inter homines, posset quis narrare noticias rerum, ut vollet: & multo se decipere: quod est contrarium rationi. Nunc sic: ergo datur aliqua virtus, quæ curat, ne hæc fiant. Sed nulla proprius, quam veracitas: ergo ad veritatem spectat non solum, non fallere interposita authoritate; sed etiam absolute non fallere. 2. Deus posset infundere errorum, quo Re-

iudicaret, non procul esse insulam ditissimam: cuius arbores erant argentum; petræ aureæ, &c. Et quod sciens eam cognitionem insulam esse à Deo conduceret classem magnis expensis cum postea comperiret, esse falsam, quam existimationem facerent de Deo?

3. Plato dial. 2. de Repub. rogans: *Voluerit ne mentiri Deus sermone, aut opere, spectrum ostendens?* Dicit, *Est Deus simplex, & verus in opere, & sermone: & neque ipse transmutatur, neque alios decipit, neque per spectra, neque per sermonem, neque per signorum pompas, neque re vera, neque per somnum.* Quo increpat Poëtas canentes somnia falsa à Diis suis immissa. Sed multo plus est infundere errorem: ergo Philosophi lumine naturæ putant indignum Deo infundere errorem. *Resp. neg. mai.* Quia ad causandum errorem requiritur iusta causa; causare errorem sine iusta causa virtualiter est mentiri: & ideo ad veracitatem spectat curare, ne sic causetur, sive etiam pertineat ad charitatem, vel iustitiam. Ad secundum, conc. casu: existimaretur esse supremum Dominum facientem, quæ vult: sicut existimatum est dum magnis sumptibus conduce-

Etus est exercitus ad capienda loca San-  
cta & sine fructu dissipatus est. Et id  
iudicarunt , dum semel , & iterum S.  
Ludovicus Rex , conducto exercitu,  
primo in gloriis rediit , secundò , ibi  
misere perijt cum exercitu apud infide-  
les. *Ad 3.* Plato verè iudicavit , Deum  
nec sermone , nec opere posse menti-  
ri ; neque per somnia , quæ ipsi iudi-  
cabant locutiones : sicut sàpè Deus lo-  
catus est per somnia ; minus tamen est  
infundere errorem , quam somnia , quæ  
sunt locutiones falsæ , propter nostras  
rationes.

36 Obijc. 2. Qui voluntariè cau-  
saret in se ipso errorem scilicet nolen-  
do inquirere , vel aliter ( quia directè ,  
hoc est cognoscendo esse errorem , im-  
plicat quod illum in se causeret) peccaret.  
Sed non alia ratione , nisi quia inferret  
sibi illud damnum absque locutione:  
ergo causare tale damnum imputabili-  
tèr in altero , etiam absque locutione  
est malum morale , & consequenter pec-  
cabit Deus , si per se causat in alio er-  
rorem. Argumentum probat , quod  
Deus non posset causare ægritudinem ,  
mortem , dementiam , & similia. *Resp.*  
Verum esse , quod causare in se erro-  
rem ,

rem, est peccatum: quia ad hoc non datur iusta causa: & quando non datur iusta causa, etiam est peccatum creaturam causare errorem in alio, quia error est malum, ut sœpè repetunt August. & D. Thom. locis citatis in prob. conclus. cum tamen Deus sit supremus Dominus, non potest ei deesse iusta causa ad causandum in alio errorē, quia voluntas potest esse pro ratione.

37 Dices: Id quod opponitur cum natura rationali, ut tali, est moraliter malum (quia natura rationalis est regula morum, vel ita est cum illa conexa, ut dissonet regulæ morum, quod dissonat naturæ rationali, ut tali) sed error pure physicus dissonat naturæ rationali, ut tali, ut dicunt August. & D. Thom. supra, quia hæc inclinat in veritatem: ergo est malum morale, disting. mai. Quod opponitur moraliter cum natura rationali ut tali, est moraliter malum, conc. mai. quod opponitur pure physicè, neg. mai. & dist. mai. neg. conseq. Quia natura rationalis, ut talis etiam habet suas proprietates physicas, & talis est inclinatio in verum: Ideoque errori non opponitur plusquam physicè natura rationalis,

lis, ut talis; sicut ita solum opponi-  
tur amentiæ, & ignorantia, & destruc-  
tio ni creatura rationalis. Si autem ve-  
lis, nostram rationalem *ut ralem* non  
habere exigentiam ad proprietates  
physicas, sed solum exigentiam mora-  
lem præceptorum, quibus facit debitas  
perfectiones; & prohibitionem, qui-  
bus facit sibi oppositas imperfectiones:  
quia ea reduplicatio *natura rationalis*,  
*et talis* præscindit naturam rationalem  
rabo, quod habet commune cum na-  
turis physicis: loquere *ut velis*; sed  
tunc dico, errorem non opponi cum  
natura rationali, *ut tali*, sicut nos  
opponitur amentia, & ignorantia.

38 *Insistit Palanco.* Dato quod  
Deus possit causare malum naturæ sen-  
sitive, *ut cum excœcavit Saul*; non ta-  
men reduplicativè, *ut malum*: quia ne-  
mo intendens in malum operatur; seu  
non quia malum naturæ sensitivæ; sed  
quia bonum naturæ intelleculi præ-  
ponderanti. Sed error est malum crea-  
turæ rationalis *ut talis*, & nulla est na-  
tura supra naturam rationalem *ut ta-*  
*lem*, cui si bonum, quod ipsi est malum,  
*ut patet*: ergo Deus non potest cau-  
se per se malum proprium naturæ ra-  
tio-

tionalis , ut talis. Confirm. Implicat Deum per se inferre malum creaturæ in ea ratione , qua formaliter assimilatur Deo. Sed natura rationalis in ratione intellectualis formaliter assimilatur: ergo implicat Deum per se inferre errorem , qui est malum creaturæ ut intellectualis. Prob. mai. Deus non potest non amare creaturam secundum eam rationem , qua assimilatur ipsi. Sed implicat Deum inferre malum creaturæ secundum eam rationem , secundum quam eam diligit necessario , ex suppositione , quod existat : ergo. Mai. patet : quia etiam animal diligit sibi simile. Minor constat , alias , secundum eandem rationem amaret , & vellet malum , quod implicat.

39 Confirm. 2. Implicat , Deum velle malum sibi adhuc indirectè. Sed velle malum creaturæ secundum rationem , in qua assimilatur Deo, est velle malum sibi indirectè : ergo. Prob. min. Velle malum suæ similitudini ut tali , est velle malum sibi indirectè. Sed sic volens , vellet malum suæ similitudini , ut tali : ergo. 2. Si homo vellet alteri malum , ut homini , & sibi simili , vellet sibi malum , quia vellet ma-

Ium suæ speciei : ergo si Deus velle<sup>t</sup> malum creature<sup>q</sup> intellectualis *ut talis*, & sibi simili<sup>s</sup>, velle<sup>t</sup> malum sibi. Confirm. 3. Deus nequit facere per se , quod voluntas erret contra inclinationem naturæ rationalis , *vt talis* : ergo neque quod intellectus erret contra inclinationem naturæ rationalis , *vt talis*. Aut patet quia esset peccatum. Prob. cons. Quia non minus læditur , & contradicitur inclinationi naturæ rationalis per errorem intellectus in iudicando, quam per errorem voluntatis in volendo : nec minus inclinat in rectitudinem intellectus , quam in rectitudinem voluntas. Imò iuxta plures , inclinatio ad verum est primaria.

40 Confirm. 4. Error, quando est *voluntarius* , est malus moraliter, & incausabilis à Deo. Sed dum est *involuntarius* habet eandem rationem mali moralis , & incausabilis à Deo : ergo. Major est Div. Thom. quæst. 3. de Malo, artic. 7. Prob. min. Error , dum est *voluntarius* , non est malus moraliter, nec incausabilis à Deo ex eo , per quod constituitur *voluntarius* , & differt à se ipso , *vt involuntario* ; sed solum per disconformitatem ad naturam rationalem,

lem , & legem æternam. Sed totam hanc disconformitatem habet , dum est *involuntarius* : ergò. Prob. mai. Quod error sit *voluntarius* præ *involuntario*, solum consistit in eo , quod præcedat potestas illum vitandi , advertentia, aut cognitio erroris. Sed hæc omnia sunt per se causabilia à Deo : quia sunt de linea boni : ergò. Confirm. 5. Pec-  
catum materiale , seu error voluntatis, quo *involuntario* deviat à lege , est malum morale sufficienter, ut non pos-  
sit causari per se à Deo, quia retinet to-  
tam disconformitatem ad naturam ra-  
tionalem , & legem , per quam forma-  
litèr est malum morale , licet non vo-  
luntarium. Sed error intellectus *invo-  
luntarius* retinet eandem disconformita-  
tem ad naturam rationalem , & legem:  
ergò.

41 Ad argum. Aliud est *velle ma-  
lum reduplicativè*, *ut tale* ; aliud *vel-  
le malum* , *quia tale* : sicut aliud est  
credere Incarnationem *reduplicatio-  
ne us  
talem* : aliud credere Incarnationem,  
*Quia talem* , *ut quisque novit* ; aliud  
est cognoscere animal *reduplicativè us  
tale* ; aliud cognoscere animal , *quia  
tale* , seu se movendo ex animalitate: ad  
pri-

primum sufficit velle malum licet ex  
alio motivo, sic *volo malum naturæ sen-*  
*sitive propter Deum*. Ad secundum est  
necessarium moveri ex ipsa malitia. Sic;  
*volo malum naturæ sensitiva, quia malum*  
*illius est*. Sieut ad credendum Incarna-  
tionem, ut *talem sufficit credo Incar-*  
*nationem ex motivo fidei*. Ad credendum,  
*quia tale est necessarium credere ip-*  
*sam propter ipsam*. Ad cognoscendum  
animal *ut tale*, sufficit cognoscere sic  
*animal*, ex quovis motivo. Ad cog-  
noscendum animal, *quia tale est neces-*  
sarium moveri ex ipso. Et sic de alijs.  
Nos dicimus Deum posse velle sic; *vo-*  
*lo malum physicum naturæ rationalis*  
*creatae ut intellectualis*; ad quod non est  
necessitatem, quod moveatur ex ipsa ma-  
litia; satiis est quod moveatur ex  
alijs finibus. Sic vult hebetudinem,  
dementiam, ignorantiam, & alia,  
præsertim dum conduceunt ad bonum  
animæ illorum, quæ *ut talis est ra-*  
*tionalis*.

42 Resp. neg. mai. Quod non  
possit causare per se malum naturæ sen-  
sitive reduplicative *ut tale*; misso quod  
non possit illud velle, *quia tale*, quod  
significat intendere in malum. Es-  
pli-

Explico min. error est malum *physicū*  
 naturæ rationalis ut talis ; sed naturæ  
 in qua est ; non in qua non est : & sic  
 meus error non est malum Petri , esse  
 enim malum ipsius *qua talis* ; non signi-  
 ficat errorem vnius esse malum totius  
 speciei , seu generis ; sed solum esse ma-  
 lum Petri y. gr. *qua intellectivū* , seu *in-*  
*tellectus Petri* : malum autem *physicum*  
*intellectus Petri* , sœpè potest procurari  
 etiam propter bonum naturæ sensitivæ  
 alterius , quæ inferior est . Sic milites  
 suis artibus fallere intendunt , vt se li-  
 berent , & capiant urbem : sic licet ut  
 verbis equivocis animo fallendi virum ,  
 ne occidat vxorem : & vitandi alia ma-  
 la , quando magis causari poterunt à  
 Deo propter se . Deinde non omnes  
 Thomistæ concedunt hunc conceptum ,  
*Natura rationalis ut talis* , esse univo-  
 cum Deo , & creaturis . Si non est , lo-  
 quendum erit maiori distinctione .  
*Ad i. confirm. neg. mai.* Quia si non  
 infert malum creaturæ in ea ratione  
 qua assimilatur Deo , nec inferet ma-  
 lum in ratione potentie visivæ , nec in  
 ratione fani , pulchri ; in qua ergo ra-  
 tionē infert malum creaturis , dolores ,  
 & cruciatus consilentes in dissonantia

integritatis compositi. Ad prob. neg. mai. Quia Deus vult vitam damnatorum esse plenā doloribus, quod est malum vitæ, & in ratione vitæ assimilatur Deo. Si dicas necessario velle eorum vitam ex suppositione, quod existant, est verum; sed misso hunc esse amorem; cum hoc amore vitæ, rectè stat velle mala, & incommoda talis vitæ. Inimicus enim optans alium revire, ut iterum occidat, vult eius vitam; sed non multum eum amat.

42 Ad 2. *confirm.* conc. mai. neg. min. Ad prob. neg. mai. præsertim de similitudine valdè imperfecta; alias non posset Deus velle anihilationem *hominis, creature rationalis.* Angelis, sub his expressionibus: quia sub his sunt similitudo Dei. Ad 2. prob. neg. mai. propter tandem rationem, si daretur, ut potest iusta causa. Ad 3. *confirm.* permis. ant. neg. conf. Ad prob. diverso modo contradicitur: quia contradictione in voluntate est moralis, seu in linea morum; & Deus sic contradicens vellet malum morale; sed de hoc sect. 3. Secunda erat in linea physica. Ad 4. dist. mai. est malus moraliter respectu habentis iustum causam eum causandi, neg.

neg. mai. respectu non habentis, conc.  
mai. Sed permis. mai. dist. min. Quan-  
do est involuntarius habet eandem ra-  
tionem mali formalis, neg. min. alias  
formaliter peccaret, habet eandem ra-  
tionem obiectivam mali moralis, sub-  
dist. respectu non habentis iustam cau-  
sam illum causandi, conc. respectu ha-  
bentis, neg. De his latè diximus disp. 1.  
de Bonitate, & malitia: & aliqua dice-  
mus sect. 3. Ideò solum Deus male  
operaretur, si vellet, alium ex levi fun-  
damento iudicare falsum. Probatio at-  
tingit multa, de quibus de Actibus hu-  
manis, & disp. 5 de Bonitate, & 6.  
Nunc misso, an actus sint essentialiter  
liberi: & in quo consistat moralitas.  
Voluntarietas erroris, seu intentio,  
consistit in imperio illius orto, & pos-  
sito sub cognitione obligationis, &  
eiusmodi actio non potest causari per  
se: ideoque non consistit in sola coexi-  
stentia, ut diximus locis citatis; sed in  
eo quod ita ponatur. *Ad 5.* Permissa  
mai. neg. min. Quia prima est diffor-  
mitas moralis, & in linea morum; &  
sic volens esset causa per se peccati, &  
vellet male moraliter: secunda est ma-  
litia physicum, & in linea physica.

quod malū potest Deus causare per se;

43 Insistit: Si Deus posset causare per se, & infundere dictum errorem, posset causare per se, & infundere iudicium, quo iudicet mendacium esse bonum; sed de his agemus sect. 3. Obijc 3. præcipuam rationem Thomistarum. Si Deus est et causa specialis erroris, error reduceretur in Deum tanquam in causam primam, & specialem, ut patet. Sed hoc implicat, quia Dominus cum sit summè verus in essendo, in cognoscendo, & in dicendo, non continet falsitatem erroris: ergo.

44 Confirm. Palanco, Deus non potest causare per se, quod non continet formaliter, vel eminenter. Sed Deus non continet formaliter, nec eminenter errorem; alias esset eminenter error: ergo. Prob. min. Primo causare per se est dare effectui suum esse. Sed nemo dat, quod non habet: ergo. 2. Causa dans, & participans esse effectui, intendit assimilare sibi effectum in esse. Sed non intenderet assimilare sibi errorem, si non contineat in se errorum: ergo. 3. Causare per se errorum est manare errorum à causante. Sed implicat manare à Deo errorum, si non sit

*Sit in Deo : ergò. Nec dicas contineri virtualitèt : quia hæc continentia est virtus productiva erroris: & ante virtutem productivam debet dari alia continentia ; non formalis : ergo eminentialis.* *Confirm.* Deus nequit causare per se id, de quo non habet idæam. Sed non habet idæam erroris : ergò. Mai. patet: quia omnia causat ut supremus Artifex. *Sap. 7. Omnium Artifex docuit me.* Prob. min. 1. ex Div. Thom. 2. part. quest. 15. art. 3. ad 1. Malum non habet idæam in Deo. Sed error est malum: ergò. 2. Quod non imitatur naturam divinam , non habet idæam in Deo. Sed error ut talis non imitatur: ergò. Prob. min. *Quia malum ut tale non est bonum.*

45 *Explicatur: Non minus opponitur falsitas veritati, quam malitia bonitati.* Sed quia Deus est infinitè bonus, malitia non potest reduci in Deum tanquam in causam primam , & specialem : ergo quia est infinitè verus, falsitas non potest reduci in Deum tanquam in causam primam , & specialem 2. Sicut peccatum est recessus à summa bonitate , ita falsitas est recessus à summa veritate : & sicut influxus specialis

In peccatum arguit inclinationem ad peccatum, ita influxus specialis in falsitatem arguit inclinationem ad falsitatem: ergo sicut ex speciale influxu in peccatum argueretur, Deum affici ad peccatum, & recedere à sua bonitate, ita argueretur Deum affici ad errorem, & recedere à sua veritate ex speciali influxu in errorem: ideoque Deus non poterit directè, & per se intendere errorem; sicut non potest intendere malitiam.

46 Argumentum instatur primo in morte, & amentia, cæcitate, & alijs defectibus physicis: quia Deus cum sit summa vita, & sapientia, non continebit mortem, nec amentiam: ideoque hæc non poterunt reduci ad Deum tāquam ad causam primam. 2. Per te non minus opponitur falsitas veritati summæ, quam malitia summæ bonitati. Sed propter hanc oppositionem Deus non solum non potest esse causa specialis, verum neque causa vñiversalis plus quam permisiva malitiæ: ergo neque poterit esse non solum causa specialis, verum neque causa vñiversalis plus quam permisiva falsitatis, dolcis, cruciatus, & cæcitatis, neque illa intendere

ex alijs motivis iustis, licet non properter ipsa: quod esse falsum vidimus probat. 5. Quæ ut magis constent, sciendum est. Aliud est, quod error mors, cæcitas *sit mala*; aliud, quod cæcitas *mala sit*. Quod error, mors, cæcitas, *sit mala*, provenit ex natura ipsius; quod cæcitas *mala sit*, provenit, & tribuitur volenti, & intendenti cæcitatem, ex quovis fine eam intendat. Sed Deus potest velle, & intendere cæcitatem, mortem, & errorem ex dictis: ergo ipsi tribuitur, quod *sit etiam ut mala*.

47 Ad argum. resp. Falsitatem reduci ad Deum tanquam ad causam primam, & specialem, si specialiter causet: quia quamvis Deus non contineat formaliter errorem; hoc est, non fallatur, continet illum virtualiter, seu virtutem ad illum producendum in alijs; sicut eodem modo continet mortem, amentiam, & alias imperfectiones physicas. *Ad confirm.* Palanco falso supponit, omnem continentiam principij esse formalem, vel eminentialem: quia in divinis Pater continet Filium, & non continet *Filium* formaliter, nec eminenter: alias esset eminenter *Filius*; sed solum continet virtualiter. Resp. nego.

mai. Ad probat. dist. mai. Quod non continet formaliter, nec virtualiter, conc. mai. quod non continet formaliter, neg. mai. Ad 2. dist. mai. de assimilatione in aliquo, conc. & neg. min. Quia assimilatur in esse; sicut substantia creata defectibilis assimilatur Deo. Ad 3. neg. min. Ad replicam continentia virtualis supponit continentiam radicalem in essentia; non eminentiam respectu erroris. Ad confirm. conc. mai. neg. min. Ad 1. prob. dist. mai. Malum morale formaliter, quod dicitur malum simpliciter, conc. mai. malum physicum, neg. mai. Quia alias quis causabit per se dolores ut malos: exercitatem illius pueri nati ut malam? Nisi introducamus cum Martione, & Manichaeis, νόον principium bonorum, aliud malorum. Ad 2. conc. mai. de imitari in aliquo, neg. min. Ad prob. dist. malum morale, conc. physicum, neg. Quia si est quid positivum physicum, est entitativè bonum; si negativum, habet esse negativum volibile, & amabile, ut vidimus.

48 Ad explicationem dist. mai. non minus opponitur falsitas veritatis in subiecto, in quo est, quam malitia bo-

bonitati, conc.mai. in subiecto, in quo non est falsitas, neg. mai. & conc.min. neg. conf. Quia malitia reddit forma-  
lièr malum subiectum, quod eam cau-  
sat: ex eo enim est subiectum malum  
moraliter per malitiam, quia eam im-  
putabilitèr causat; at verò falsas fo-  
lum reddit falsum, & deceptum subie-  
ctum, in quo est; non verò subiectum,  
quod eam imputabilitèr causat; ut pa-  
ret in alijs imperfectionibus physicis  
causatis à Deo, quæ solum reddunt  
imperfectum subiectum, in quo sunt;  
non verò subiectum, seu agens illas  
causans.

49 Ad 2. Dist. mai. Falsitas non  
est recessus moralis, sed physicus à sum-  
ma veritate; & recessus non causæ pro-  
ducentis, sed subiecti, in quo est: sicut  
amentia, mors, & quævis imperfectio  
physica est recessus à summa vita, per-  
fectione &c. ideoque Deus non potest  
illas habere, potest tamen eas causare,  
& habere inclinationem elicitar ad  
eas causandas: quia causare ipsas non  
reddit mortuum, cæcum, amentem, aut  
deceptum causantem; sed solum subie-  
ctum, in quo sunt: at verò malitia mo-  
ralis reddit moraliter malum causan-  
tem,

tem, & ideo illam causare per se, involveret inclinationem elicitam, & argueret forte inclinationem naturalem: quia argueret esse creaturam, quæ propensa est in malum: ergo Deus potest causare per se falsitatem, & errorem, sicut causat alias imperfectiones physicas, mortem ignorantiam, morbum, cæcitatem, dementiam, & alia.

50 Insistit Palanco. Deus non potest causare per se effectum, ut dicentem contradictionem intentionalem divinis perfectionibus. Sed error dicit contradictionem intentionalem divinæ cognitionis: ergo. Maior est vera: quia non alia ratione non potest causare per se odium Dei, hæresim, nisi quia important contradictionem affectivam ad divinam voluntatem, & divinam revelationem. Prob. min. Error affirmat, *quod non est*; & negat, *quod est*. Sed hoc est dicere contradictionem intentionalem divinæ cognitioni affirmanti, *quod est*, & neganti, *quod non est*: ergo. 2. Iudicium falsum contradicit intentionaliter, & obiectivè iudicio vero. Sed implicat, Deum causare per se, *quod* intentionaliter, & obiectivè contradicit suo iudicio: ergo. 3. Et sup-

ponamus ; errorem esse stellas esse in primo Cœlo. Iudicium affirmans stellas esse in primo Cœlo , ex vi suæ tendentiae falsificat obiectivè iudicium affirmans esse in octavo Cœlo , non in primo. Sed implicat, Deum causare per se iudicium , vt falsificans obiectivè suum iudicium: ergò. Minor patet: quia Deus solum est causa per se illius, quod per se intendit, & nequit intendere iudicium ut falsificativum suæ scientiæ: alias intenderet falsitatem , & destructionem suæ scientiæ. Prob. min. Duo testes contrarij, aut duo Authores contraria tenentes circa eandem rem , fibi contradicunt , iudicium vnius contradicit iudicio alterius, & illud falsificat; non in re, sed intentionaliter , & obiectivè: ergò.

51 Confirm. 1. Error est formalis falsitas falsificans intentionaliter obiectum apud subiectum , in quo est error. Sed eo modo , quo quis falsificat obiectum scientiæ divinæ, falsificat ipsam scientiam : quia falsitas obiecti affirmati est falsitas scientiæ: ergo error falsificat intentionaliter , apud errantem , scientiam divinam. Sed Deus nequit velle, quod aliis apud se falsifetur suam

Iam scientiam: ergo. 2. Error dicit contrarietatem, & disconformitatem ad intellectum divinum regulam veritatis. Sed nequit Deus causare per se, quod dicit contrarietatem, & disconformitatem suo intellectui: ergo. Prob. min. Deus non minus amat suum intellectum, quam suam voluntatem. Sed nequit causare per se, quod contrariatur suæ voluntati, quæ est regula bonitatis: ergo. 3. Hominibus ut rationalibus non minus displicent, quod alij ipsis contradicunt iudicio negantes, quod ipsi affirmant; quanto affectivè nolentes, quod ipsi volunt: quia naturaliter placemus, quod alij concordent cum nostro iudicio; & displicemus, quod discordent. Sed Deus nequit causare perse id in quo ut rationalis, & summè intellectivus displicet: ergo.

52 Confirm. 2. cavendo solutionem. Non potest fieri contradictione obiectiva intellectui divino scienter, nisi peccando. Sed Deus nequit causare per se talem contradictionem, nisi scienter: quia scit esse contrarium: ergo nequit eam causare nisi peccando. 3. Talis contradictione respectu errantis est involuntaria: quia ignorata, & ins-

Scienter facta ; at respectu Dei est voluntaria : quia scienter facta. Sed voluntariè , & scienter facta est moraliter mala : ergo. ut à Deo facta esset moraliter mala : & Deus eam faceret ut moraliter mala m. 3. Volitio obiecti in re prohibiti licet posita cum ignorantia, non potest causari per se a Deo , quia respectu Dei esset formaliter voluntaria & mala. Sed dicta contradictio inscienter facta ab intellectu creato , si causaretur per se à Deo esset ab ipso scienter , & voluntariè facta : ergo nequit eam facere. Confirm. 3. Deus omnia facit ex amore sui. Sed nequit per se facere ex amore sui , quod creatura sibi contradicat etiam inscienter ergo. Prob. min. Amor sui solum potest movere Deum , ut velit creaturam sibi cohaerere , subordinari , conformari ; non verò discordare , dissimilari : ergo. Prob. 2. min. Effectus odij Dei proprius nequit esse effectus proprius amoris Dei. Sed effectus proprius odij Dei esset velle , quod omnes adversarentur , & contradicerent obiectivè Deo : ergo. 3. Ridiculum esset , dicere : Quia Deum amo , volo quod aliquis eius iudicio contradicat , saltem insciens

ser. Sicut dicere. *Quia Deum amo*, vob  
lo quod aliquis contradicat eius volunta-  
ti, eis*si inscienter*: ergo rediculum es-  
set Deum dicere: *Quia me amo volo*,  
quod homo *inscienter contradicens meo*  
*indicio, inscienter iudicet disconformiter,*  
*& contrarie ad meum iudicium.*

53 Resp. dist. mai. Non potest  
causare per se effectum, vt dicentem  
contradictionem intentionalem incom-  
ponibilem cum divinis perfectionibus,  
conc. mai. contradictionem disconfor-  
mitatis præcisè, neg. mai. aliàs non  
posset causare per se creaturas: quia  
vt tales, eum sint defectibiles oppo-  
nuntur Deo indefectibili adhuc *mater-  
rialiter*. Ad subsuuptam; ea non po-  
test causare quia dicunt oppositionem,  
& disconformitatem malam ad divinam  
voluntatem; non purè physicam: aliàs  
non posset causare per se voluntatem  
creatam, quæ vt talis est defectibilis, &  
ideò disconformis voluntati divinæ. Et  
dist. min. Error dicit oppositionem in-  
tentionalem disconformitatis cum cog-  
nitione divina, conc. incomponibilita-  
tis, neg. dum est in subiecto creato: &  
neg. conf. Sicut potest causare igno-  
rantiam hebetudinem, & dementiam:

quia

quia ignorare opponitur cum omnia scire ; non minus quam iudicare rem esse cum iudicare non esse. Ad 2. conc. mai. neg. min. Quia si ignorare quod contradicit subiectivè ad omnia scire potest causari per se à Deo iuxta Palanco; quando est ignorantia sine actu ; quare quod solum contradicit obiectivè iudicio divino non poterit causari per se à Deo , dum contradic̄tio est in linea physica. Ad 3. conc. mai. id est, exercitè dicit , iudicium affirmans oppositum esse falsum , non in alio sensu. Et dist. min. Deus nequit causare per se iudicium ut falsificans obiectivè suum iudicium , in scienter illud falsificans,admissa implicatione , conc. min. ignorantē illud falsificans , neg. min. Ad prob. conc. mai. neg. min. Ad subsumptam , Deus non intendit falsitatem in re suæ scientiæ , seu esse falsam suam scientiam , & ideo non intendit suam destructionem ; sed solum intendit falsitatem obiectivam modo dicto, id est, intendit iudicium asserens iudicium oppositum esse falsum , in quo, si voces ab arguente positæ non dissonant, nihil dissonat : quia in re neque formaliter , neque illativè falsificat divinam

nam scientiam, neque id intendit causa  
sans errorem.

54 Ad 1. confirm. Permissa mai-  
cum modo loquendi. Et similiter min-  
dist. consequens, sub his terminis, iu-  
dicium oppositum (*quod iudico non esse  
divinum*) est falsum, conc. conf. sub his  
terminis *iudicium divinum est falsum*,  
neg. conf. & neg. min. subsumptam  
dist. data: quia rationes probantes  
Deum posse velle errorem Petri, pro-  
bant posse velle eiusmodi falsitatem.  
*Ad 2.* Conc. mai. neg. min. Ad prob.  
conc. mai. & min. neg. conf. quia cum  
solum malum morale contrarietur di-  
vinæ voluntati, velle quod est contra-  
rium divinæ voluntati, esset velle male  
moraliter; at verò intellectui divino  
etiam contrariatur, quod solum est  
malum physicum, v. gr. finitudo intel-  
ligendi, hebetudo, & error, quæ po-  
test Deus velie. *Ad 3.* Argumentum  
probat, quod invincibiliter errans,  
peccaret, quia Deo displiceret forma-  
liter, & Deo ut rationali, seu ut capi-  
ti naturæ rationalis: sicut sic displicet  
in nollentibus, quod ipse vult. *Resp.*  
dist. mai. Hominis superbi displicantur  
si contradicunt iudicio, conc. mai. hoc  
mis-

imines sancti , subdist. Si contradicant sine ratione , conc. mai. si contradicant ratione , & iudicando iure contradicunt & fieri debere , neg. mai. aut immersio displicent. Et conc. min. neg. conf. quia error, quem Deus causaret per se, esset error cum fundamento. Et ex argumento saltem hunc posset causare, quia in hac contradictione non displicet. Mitto argumentum videre supponere contradicunt per errorem iudicio divino scienter : quia in hoc solent homines displicere.

55 Ad 2. confirm. dist. mai. Non potest fieri contradictione iudicio divino scienter , nisi peccando , à non habente ius , neg. mai. Quia milites iure utuntur artibus , & sàpè iure utimur, verbis æquivocis ex intentione , ut alter fallatur. Et conc. min. neg. conf. quia Deus ias habet nos fallendi , non interposita autoritate. *Ad 2.* Dist. min. in non habente ius esset mala mortaliter , conc. in habente ius , neg. *Ad 3.* Permis. mai. propter dicenda , & conc. min. neg. conseq. quia respectu habentis ius non est prohibita. Mitto has formas probare , Deum non posse velle materiale peccati , quia esset voluntas

rium formale. *Ad 3.* confirm. conc. mai. neg. min. Ad prob. dist. mai. Amor sui solum potest movere , vt Deus velit , creaturam sibi cohærere moraliter , conc. mai. Sibi conformari physicè , neg. mai. alias non posset vel. le dolores , pœnas cætitatem. *Ad 2.* prob. dist. mai. Effectus proprius , & solius odij nequit esse effectus amoris, conc. mai. Proprius , sed non solius, neg. mai. Quia velle esse Anathema à Christo : & deleti de libro vitæ est affectus proprius odij Dei , quid enim amplius vellet , qui odio haberet Deum : & fuit effectus amoris in Moyse , & Div. Paulo. Et permis. min. quod sit effectus proprius odij , sed cum dist. data , neg. conseq. *Ad 3.* Neg. mai. Quia sæpè ex amore Dei optare possumus , vt aliis fallatur: quia ex eius fallacia oriri possunt multa bona iam ipsi vitando peccatum ; iam reipublicæ , vt accidit in artibus militibus.

56 Obijc. 4. Deum infundere erorem , esset loqui falsum : quia Deus non solum loquitur per signa materialia , & sensibilia ; sed etiam per spiritualia : infundendo scilicet intellectio-

nem ; vel eam specialiter causando;  
 Dist. mai. Aliquando, permitto mai-  
 tem, neg. mai. & dist. conf. Non  
 potest infundere, si non constet, eam  
 non esse locutionem, permitto; si con-  
 stet non esse locutionem, neg. quia  
 quidquid sit an aliquando infusio cog-  
 nitionis sit locutio, solum erit talis,  
 quando media autoritate interposita  
 ostendit, illud esse de mente loquentis:  
 quando vero constet, non interponi  
 autoritatem, non est locutio : & tunc  
 dicimus posse infundi errorem. Ut  
 autem interposita autoritate ostendat  
 aliquid esse de mente loquentis, requi-  
 situr influxus specialis loquentis, qua-  
 talis praeter generalem, ut observat  
 Ripalda disp. 4. sect. 1. directio ad au-  
 dientem, & alia, de quibus viri spiri-  
 tuales, & Interpretes. Inter alios V.  
 P. Puente, *Guia espiritual, & in Cantica:*  
*Quia in his, quibus latissimi sunt No-*  
*biles M. Cistercienses immorari non*  
*possumus: cum necessaria non sint ad*  
*nostram conclusionem.*

57 Obijc. 5. Infundere errorem,  
 seu illum per se causare, effet mentiri  
 saltem inadæquate: quia mentiri dicit  
 loqui disconformiter cum mente, & in-

intentionem decipiendi: & qui infundea-  
 ret, vel causaret per se errorem, ha-  
 beret secundum, quamvis non primum.  
 In primis similiter dicetur, Deum in-  
 adæquate causare peccatum causando  
 materiale peccati, qui causat aliquid,  
 quod est in peccato: cum peccare *sit*  
*ponere vitium cum obligatione vitandi?*  
 Sicut ergo Thomistæ ita arguentes di-  
 cunt, non causare peccatum ad hoc in-  
 adæquate, quia non causat materiale  
 ex intentione formalis; ita similiter di-  
 ci potest, ut aliquis causans constituti-  
 vum, dicatur causare inadæquate to-  
 tum, debere causare constitutivum ex  
 intentione totius. Sed melius disti-  
 propositionem, inadæquate mentitur,  
 hoc est facit aliquid moraliter malum;  
 neg. hoc est facit aliquid, quod reperi-  
 tur in mendacio, conc. quia admissum  
 quod intentio decipiendi sit de essentia  
 mendacij; facit per se; seu habet illam  
 intentionem decipiendi passivè, vel si  
 velis activè physicè, hoc est, non inter-  
 posita autoritate: ex eo autem quod  
 faciat aliquid, quod reperitur in men-  
 dacio, non sufficit, ut dicatur mentiri,  
 nec ut absolute dicatur inadæquate  
 mentiri: alias producendo libertatem, &  
 volunt

voluntatem ; & intellectum mentiretur  
inadæquatè : quia facit aliquid , quod  
est in mendacio , scilicet facit effectum  
creatum , & in mendacio reperitur esse  
effectum creatum ; in mendacio autem  
( dato quod de eius essentia sit intentio  
decipiendi ) non est intentio decipien-  
di passivè , & activè purè physicè ; sed  
intentio decipiendi interposita autho-  
ritate , quod est malum morale.

58 Hinc D.Thom. in 2. dist. 39.  
quæst. vnica , art. 4. *In cognitione spe-  
culativa sunt quedam principia natura-  
liter nota , in quibus nunquam contingit  
errare; ut omne totum est maius sua par-  
te, & similia ; in alijs vero contingit esse  
errorem. De his alijs dico, posse Deum  
infundere errorem oppositum primis  
principijs v. gr. (dato quod assensus,  
& dissensus possint coniungi) posset  
infundere errorem oppositum huic  
principio , quodlibet est, vel non est : ve  
contrasto ad materiam purè philosophi-  
cam ; non vero sumptum in sua univer-  
salitate : quia alijs posset esse causa per  
se erroris moralis ; de quo postea. In-  
feres etiam quid dicendum , si Deus  
causaret hunc errorem , hoc subiectum  
non est vir ; quod iudicium posset con-*

iungi cum hoc , hoc subiectum est *Summus Pontifex*: ex quo sequitur, *Summus Pontifex non est vir*; qui est error moralis. Dico ergo, quod vel primum errorem non potest causare in consortio alterius ; vel si illum causet , tenetur Deus suspendere ultimum assensum; Ergo *Summus Pontifex non est vir*: quia tamen in Philosophia diximus assensum praemissarum necessitare quoad exercitium ad assensum conclusionis , & esse assensum obiecti conclusionis : verius iudico , non posse Deum per se causare hunc assensum , *hoc subiectum non est vir*, in consortio huius, *hoc subiectum est Summus Pontifex*. Idem de similibus.

## §. II.

*An possit Deus consiliare errorum purè physicum antecedenter ad suppositionem contingentem?*

39 **D**ico 3. Deus antecedenter ad suppositionem contingentem non potest consiliare errorum adhuc purè physicum , si talis error allaturus sit damnum petenti consilium. Ratio est: quia tunc interposita autho-

authoritate deciperet. Pro cuius explicacione suppōnendum est, authoritatem consiliativam componi ex scientia, & recta voluntate erga potentem consilium: ideò enim sapientes, & benè erga nos affectos in rebus arduis consulimus, & eorum audito consilio, nulla alia expectata ratione fidentes aggredimur opus, ostendentes nos propriæ eorum auctoritatē opus aggredi: quia ipsi viro tē sapientes, & prudentes, melius noscunt inconvenientia: & vipotē erga nos affecti nollunt nobis malum: Nunc sic: si Deus antecedenter ad suppositionem contingentem consiliaret errorem allaturum nobis damnum, licet formaliter non mentiretur; virtualliter tamen mentiretur: quia interposita auctoritate deciperet. Sed Deus non potest virtualiter mentiri: interposita auctoritate: ergo nec consiliare talem errorē. Probat. mai. Consilium non aliam vim habet movendi, nisi quatenus attenta persona consiliante, sapiente, prudente, & benè erga nos affectis, suademur, quod ponere in executione consilium, non allaturum sit damnum. Sed hoc est interposita auctoritate decipere, si consilium afferat damnum: et-

go interposita authoritate deciperet;

60 Explicatur: Si noscam , consiliantem prævidisse damnum , & nihilo minus dedisse consilium , eodem modo queror de illo , ac si mentitus esset , vel saltem queror de eius malevolentia : ergo per consilium interponit suam authoritatem , sapientiam , & benevolentiam : exindeque virtualiter interponit suam veracitatem : quia non est credibile , quod cum meo damno me deciperet . 2. Si ex consilio apud homines sequitur damnum , frequens excusatio consiliantis esset : *Quis crederet damnum eventurum ? Ego saltem nunquam crederem :* ergo signum est , quod consilians interponit suam sapientiam , & benevolentiam , & virtualiter veracitatem : quia creditur dicturus , quod iudicat bonum .

61 Ex his infertur , Deum non posse antecedenter ad suppositionem contingentem consiliare errorem , qui non afferat utilitatem petiti consilium , propter eandem rationem : quia error in se est damnum : unde si error non afferat utilitatem , interposita authoritate deciperet , & possent conqueri ; si tamen error afferat utilitatem , recte post

est illum consiliare , v. gr. si ex errore in via sequatur , quod fugiam latrones, potest mihi cōsiliare errorem: quia tunc non est , vt conquerar de illo; potius est vt laudem eius sapientiam , & benevolentiam , quae me eduxit ex tali periculo , & grates referam cum Augustino suprà. *Similiter* Deus potest consiliare errorem , si ex errore non sequatur mihi damnum ; neque ex eius carentia utilitas ; ex meo tamen errore sequatur utilitas magna erga alium proximum : quia non est cur querar; potius est cur laudem eius benevolentiam erga homines : quae benevolentia specialis erga me , & universalis erga omnes constituit authoritatem consiliatricem.

62 Ex his patet consequenter ad suppositionē contingentem posse Deum consiliare errorem physicum , v. gr. consequenter ad suppositionem contingentem de maiori probabilitate opinionis in re falsoe , potest consiliare assensum talis opinionis , & consequenter ad æquale fundamentum ad iudicandum benè , vel male de proximo in rebus non moralibus , potest consiliare vt benè iudicem; quia prudentia superna-

turalis hoc dicitur, & Deus potest consiliare quod dicitur prudentia supernalis; & propter rationem supradatam. Quid ergo dicendum, si pertineat ad mores? postea dicemus. P. Arriaga, & sapientis. Magistri iudicant Deum absolute posse consiliare errorem physicum eo quod per consilium non tam interponatur authoritas, quam ostendatur esse de eius voluntate talē rem fieri. Alij sapientis. RR. absolute negant Deum posse consiliare errorem; magis placet explicatio data.

## SECTIO II J.

*An Deus possit causare per se errorem  
moralem, perniciosum, seu contra-  
rium Fidei, aut bonis  
moribus?*

63      **S**up. i. Div. Thom. in e.  
dist. 39. quæst. vniq. art. 4.

*In cognitione practica sunt quadam quasi  
prima principia iuris naturalis, in qui-  
bus omnes consentiunt, & nullus in eis  
errare potest. Idem dixerat ibi de cog-  
nitione speculativa. Circa alia errare  
potest: ut ipse ait de Verit. quæst. 17.*

art.

art. 2. Sed contra : Ioan. 16. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, &c.* ergo his, qui occidebant Apostolos, dictabat conscientia, quod ex hoc placerent Deo. Sed hoc est error : ergo. Idem extensus habet in corpore de iudicio operarium; & ibi art. 4. *Inquirens an conscientia errorea sit?* In hac providentia antecedenter ad suppositionem contingentem creatam non posse Deum causare per se errorem perniciosum, probatur: Deus ex prima ad Timoth. 2.

*Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, antecedenter ad suppositionem contingentem vult fieri omnes homines cognoscere veritates pertinentes ad fidem, & ad bonos mores. Sed cum hac seria voluntione non componitur intentio efficax erroris circa finem, aut mores, qualis requiritur ad causandum per se, antecedenter ad omnem suppositionem contingentem, ut diximus agentes, an possit praedefiniri pœnitentia ante absolu-  
tè prævisum peccatum: ergo &c. Vnde quamvis fortè bene stet alicui, ut potest iudicare non esse peccatum, quod est peccatum, non potest Deus in hac pro-  
videntia antecedenter ad suppositionem*

contingentem creatam consiliare , nec  
aliter causare per se talem errorem : nec  
ille reputatur inter auxilia Dei . licet  
sit in causa ut vitetur peccatum , & me-  
dio mendacio ancillæ vitari solet pec-  
catum rixæ , aut occisionis , & menda-  
cium non est auxilium Dei .

64 Sup. z. Deum non posse cau-  
sare per se errorem contrarium reve-  
lationi privatæ , vel publicæ in sensu  
composito absolutæ credibilitatis reve-  
lationis . Hoc patet : quia talis error est  
peccaminosus , & prohibitus : unde Deus  
causando illum per se esset causa per se  
peccati ; & similitèr esset causa per se  
peccati infundendo talem errorem ; si-  
cūt esset causa per se peccati , si in sensu  
composito obligationis ad audiendum  
Sacrum infunderet voluntatem non  
audiendi Sacrum . Posset tamen Deus  
posito imperio circa assensum rei reve-  
latæ ex obligatione credendæ , negare  
concursum circa assensum ; sicut posito  
imperio circa auditionem Sacri die fe-  
sto , negare concursum ad externam  
auditionem : quia per hoc non est cur-  
sus author peccati ; hic enim quo atti-  
nuit ad se , adimplevit præceptum , & ca-  
rentia assensus , & auditionis non est  
ipfi

ipſi imputabilis, & conſequenter nec peccaminosa.

65 Dico 1. Absolutè, & antece-  
dentè ad ſu ppositionem contingentem  
Deus non potest cauſare per ſe erro-  
rem pernitiolum. Prob. Error perni-  
tiosus, antecedentè ad ſappositionem  
contingentem, eft prohibitus, & con-  
sequenter obiectivè malus; ſicut oppo-  
ſita veritas eft obligatoria, & præcepta.  
Sed Deus non potest cauſare per ſe,  
quod eft obiectivè malum: ergo &c.  
Dico 2. cum Ripalda hic disp. 6. & di-  
put. 56. de Ente ſupernaturali, lec. 2.  
& ſapientif. MM. Sendin, controv. 9.  
à num. 48. Deus potest cauſare per ſe  
errorem oppofitum fidei, & bonis mo-  
ribus conſequenter ad ſappositionem  
contingentem obligationis credendi  
quaternitatē personarum; vel ad alia  
ſappositionem ſenſibilem. Salas, & Ovie-  
do dicunt, tunc mendacium eſſe bo-  
num; ſed Deum ſolum inclinare remo-  
tè, & in radice. Prob. tamen conclu-  
ſio. 1. Deus potest cauſare per ſe id,  
ad quod movet charitas. Sed charitas  
movere potest ad iudicium erroneum:  
ergò. Prob. min. Charitas movet ad  
iudicandum, celebrantem habere inten-  
tio-

tionem consecrandi , & habuisse intentionem consecrandi hostiam, quam proponit adorandam, & esse consecratam. Sed hoc iudicium potest esse falsum: ergo. Similiter accidit in absolvente , & baptizante , & similibus. Aliter charitas movet ad hoc iudicium : *Hostia qua à Parocho proponitur adoranda est consecrata;* dum celebrat. Sed hoc potest esse falsum : ergo. 2. Casu quo rustico proponatur à Parocho , ut credendum Personas Trinitatis esse quatuor , prudentia supernaturalis dictat assensum de quaternitate personarum. Sed Deus potest esse causa per se assensus , quem dictat prudentia supernaturalis : ergo &c. 3. Deus est causa per se rei præceptæ per præceptum divinum , vel saltem per præceptum naturale. Sed in dicto casu talis assensus est præceptus præcepto divino , vel saltem naturali: quia licet præceptum directum sit existimatum ; tamen vel Deus , vel natura præcipit , & obligat ad credendum res , quæ existimantur invincibiliter credendæ; sicut opposita prohibet , & sunt peccatum: ergo.

66 Probat. min. ex Div. Thomæ quæst. 17. de Veritate , art. 4. vbi inquisit.

quirens, an conscientia erronea liget? Respondet: Ligat; sed non eodem modo sicut conscientia recta: recta enim simpliciter, & absolute, & in omnem eventum erronea vero per accidens, & sub condizione. Ibi sed contra. 2. Observare legatio post tempus gratiae revelatae erat per se malum: unde dicitur ad Galat. 5. Testificor autem circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis facienda: & tam conscientia de observanda circumcisione ligabat: ergo erronea conscientia ligat in per se malis. Clarius ibi 4. Secundum Damascenum, conscientia est lex nostri intellectus. Sed facere contra legem est peccatum: ergo facere contra conscientiam quomodocumque est peccatum. Et 5. clarius: Aliquis est praecepto ligatur. Sed quod conscientia dictat est praeceptum: ergo quantumcumque sit erronea conscientia ligat. Dixit conscientiam rectam obligare absolute: quia conscientiam per se loquendo non potest deponere; erronea per accidens, & ex suppositione: quia per se potest contingere depositio conscientiae, qua contingente ulterius non ligatur. Et quodl. 3. art. 26. ad 1. Quia virtus conscientiae principaliter dependet ex principijs primis iuris na-

*turalis, principaliter conscientia dicitur  
lex naturalis.*

67 Prob. 4. præcipue contra aliquos nostros. Deus est causa per se imperij in illo casu : quia est honestum, supernaturale, & meritorium. Sed imperium causat per se assensum falsum: ergo Deus est causa per se assensus falsi. Minor, quæ videtur vera: quia imperium saltem connaturaliter est conexum cum assensu de quaternitate personarum, qui assensus est essentialem falsus. Prob. Non magis constitutur imperium de Trinitate personarum cum assensu de Trinitate, quam imperium de quaternitate personarum cum assensu de quaternitate; sed propter primam connexionem, qui est causa per se imperij de Trinitate est causa per se assensus de Trinitate: ergo propter secundam, qui est causa per se imperij de assensu circa quaternitatem, est causa per se assensus de quaternitate, & cum hic sit essentialiter falsus, erit causa per se assensus falsi. *Explicat.* Deus est causa per se imperij circa quaternitatem post applicatam libere omnipotentiam ad assensum: Nunc sic: quia Deus prædeterminat ad materiale peccati

cati connexi cum malitia dicimus, esse causam per se malitiae: sed imperium de quaternitate coniunctum cum applicatiōne omnipotentiæ ad assentum, est essentialiter connexum cum assensu falso, scilicet cum assensu de quaternitate: ergo qui est causa per se illius imperij, ut coniuncti cum applicatione omnipotentiæ, est causa per se assensus falsi.

68 2. Si illud imperium non est causa per se assensus falsi: quia signatè, seu quatenus est ex se non intedit assensum falsum, nec intellectus erit causa per se illius assensus falsi: quia intellectus ex se inclinat in verum: imò neque unquam erit causa per se erroris, vel falsitatis, vel assensus falsi propter eandem rationem. Imò nulla ex causis immediatis assensus falsi erit causa per se talis assensus: quia nulla appetit, neque tendit in falsitatem quia talem. Neque voluntas erit causa per se malitiae: quia non tendit in malitiam, quia talem. 3. Aliud est non imputari errorē imperio, seu voluntati, & hoc est verum; ideoque voluntas non est causa moralis erroris, & in hoc sensu neque imperij; aliud voluntatem, &

imperium non causare physice, & determinative actum falsum; & hoc intendimus esse falsum propter dicta.

4. Deus est causa per se illius effectus, in quem inclinat, & influit gratia Dei. Sed supposito tali casu, gratia influit in assensum falsum: quia talis assensus est vitatio peccati: & quia si ille homo esset graviter tentatus ad non credendum, non posset vincere gravem tentationem sine gratia Dei, & consequenter Deus conferret gratiam, ut crederet: & quia in talem assensum influit pia affectio supernaturalis, quam est gratia Dei; ut de merito dixit Coninc. Ait Sendin num. 49. *Si homo Deum rogaret tunc, an credere teneretur? Responderet affirmativus. Confirm.* Conformatas cum tali conscientia est honesta, & sacerdotem meritoria. Sed Deus potest causare per se, quod tale est: ergo. Prob. min. Impletio legis est honesta. Sed conformitas cum tali conscientia est impletio legis: ergo. Prob. min. autoritatibus relatis prob. 2.

69 Probari solet conclusio. Deus potest causare per se principia influentia in errorem: quia causat per se hanc mai. Honestum est faciendum. Sed mensuris

*ziri ob vitandum malum est honestum: ergo. De minori probatum est: quod maior influat, suadetur: quia concatin. maior cogit, suadet, & movere ad assensum conclusionis. 2. Quia in discursu speculativo, vel practico principia universalia se habent sicut causae universales in ordine physico. Dicere cum Palaneo influere in conclusionem. Sed nihil influere falsitatis: quia quod influit est aliquid perfectionis, & aliquid veritatis, videtur falsum: quia conclusio est adæquate falsa: & tota est falsa: quid ergo veritatis influit in illam in sensu reali, in quo tota est falsa? Forte tutius foret stare in 1. solutione, qua dicit influere per accidens, sicut Deus in peccatum: quamvis contra hoc faciat intentum nostræ conclusionis.*

70 Dices: nec dari tunc præceptum divinum, nec naturale de assensu: quia Deus, vel natura solum præcipiunt id, ad quod re ipsa, & nullo supposito errore tenemur; non vero præcipiunt id, ad quod supposito errore tenemur. Similiter auxilia gratiarum solum inclinant in id, quod in re est bonum, non vero in id, quod appa-

ret bonum ; ideoque auxilia gratiae non inclinant in illum assensum. Sed omissa communi sententia dicente posse voluntatem laudabiliter , & meritorie amare obiectum invincibiliter iudicatum bonum , licet in re sit malum , & consequenter in illum amorem influere gratiam Dei : durum enim esset privare talem actum merito supernaturali.

71 Contra : Quia aliud est quod detur præceptum directum , & hoc non datur , neque obligatio directa ; aliud est , quod non detur præceptum reflexum , neque obligatio reflexa ; & hoc est falsum : quia in circumstantijs , quibus invincibiliter proponitur dari obligationem credendi datur vera obligatio , ut vidimus prob. 2. repetenda. Et prudentia dictat , assensum esse vere obligatorium pro tali casu , quamvis circumstantiae forte sint falsæ , sicut dictat oppositum esse prohibitum , & peccatum. Vnde conscientia reflexa non est erronea , sed vera. *Explicat.* Hoc dictamen conscientiae reflexae est verum: *Hic , & nunc teneor ad credendum : Hic , & nunc datur obligatio credendi : ergo hic , & nunc datur verum præceptum , & vera obligatio , & non*

solum existimata. Antecedens probatur. Quia aliás non esset, neque posset esse vera conscientia reflexa dicens: *Hic, & nunc absolute hoc licet*: Si dixerat esset falsa. Tunc ergo datur verum praeceptum: quia præcipit vere id, ad quod vere obligat præcipit vere id, cuius oppositum est peccatum; & præcipit vere ne sit peccatum, quale esset omissione assensus.

72. Dices: cum SS. Primarijs, verum esse dari verum præceptum; sed Deus inquit, non præcipit assensum falsum; sed tantum connatum ad assensum; ex se indifferentem ad veritatem, & falsitatem, & ex adjunctis circumstantijs determinatum ad assensum falsum: cujus tamen imperium neque affectat ex se circumstantias, neque præparationem omnipotentiae: ideo per accidens determinat ad assensum falsum. Hæc responsio difficultis est. 1. Si hic connatus est determinatè ad assensum de quatenus essentialiter falsum, non minus quam connatus circa assensum de Trinitate est determinatè ad illum: quomodo erit connatus indifferentis ad veritatem & falsitatem? Connatus namque connexus ex se connaturaliter cum

falsitate non dicitur ex se indifferens ad veritatem, & falsitatem; sicut ignis non dicitur indifferens ad frigus, & calorem; nec materia prima dicitur indifferens ad formam, & carentiam formæ.

73 2. Quia saltem si possibilis sit connatus circa talē assensum reflectens supra circumstantias, & connexus cum præparatione omnipotentiae ad talem assensum, erit causa per se assensus fali.

3. Quia tale imperium, seu connatus si sit essentialiter liber, supponet essentia- litēr circumstantias; si accidentaliter, eas supponit ea ratione, qua imperium circa Trinitatem supponit cognitionem obligationis de assensu Trinitatis, quamvis nō connectatur cum tali cognitione: & ea ratione, qua quodlibet imperium, & actu liber supponit libertatem; quid ergo ei deficit, ut sit causa per se assensus imperati? Alias neque in rebus purè physicis imperium erit causa per se assensus falsi. 4. Illud imperium exigit præparationem omnipotentiae ad assensum; et si non sit per se solum connexus cum præparatione; ad modum quo octavus gradus caloris exigit formam ignis: quomodo ergo, dicitur nullatenus afferre præparatio- nem

nem omnipotentiæ ad assensum , & ex se esse indifferentem ad assensum falsum: mitto fortè directè præcipi assensum , & connatum indirectè : quia verius iudico, disp. 1. de Bonitate, sect. 7. præceptum audiendi Sacrum , & similia , directè præcipere actionem externam, & indirectè imperium.

74 Dicit 2. Deum præcipere, quod quatenus est ex parte rustici non detur titulus , vt deficiat veritas assensus : cum autem deficiente imperio non existeret assensus , & consequenter non esset verus, daretur novus titulus, vt deficeret veritas assensus : ex quo ait non sequitur , Deum præcipere existentiam assensus falsi. *Contra.* Per te Deus præcipit , quod rusticus connectus ponere assensum circa quaternitatem , ne ex defectu connatus detur titulus defectui veritatis : ergò Deus præcipit connatum circa assensum de quaternitate essentialiter falsum : ergo præcipit assensum falsum. *Prob. conseq.* Ideò Deus præcipit assensum circa Trinitatem , quia præcipit connatum erga illum; vel si directè præcipit assensum circa Trinitatem ; cur non directè præcipiet assensum circa quaternitatem in his cir-

cumstantijs? Conscientia namque reflexa æquè dictat unum ac aliud.

75 Dicit 3. Deum non præcipere, quod ex iudicio erroneo proponitur obligatorium: immò neque posse præcipere, si quod ita proponitur, sit obiectivè malum: quia solum præcipit, quod quatenus est ex parte voluntatis non deficiat honestas actionis. Ut autem patet falsitas illius principij, Deus præcipit, quod proponitur obligatorium; adducit casum perplexitatis, in quo assisteret infirmo, & audire Sacrum proponitur æquè obligatorium, & neutrum præcipitur determinatè. *Contra.* Deus præcipit per te in casu rustici, quod quatenus est ex parte voluntatis non deficiat honestas in actione. Sed non deficere ex parte voluntatis honestatem in actione in dicto casu, est voluntatem ponere imperium circa assensum de quaternitate, qui est essentialiter falsus: ergo præcipit tale imperium, quod est præcipere assensum falsum ex dictis, quomodo autem sit, vel non sit obiectivè malum, dicemus postea. Deinde illud principium, Deus præcipit, quod proponitur obligatorium, est universaliter verum, quando non datur simul

in dictum dicens utrumque extremum libertatis esse obligatorium: quia tunc idem est iudicare utrumque esse obligatorium, ac exercitè, & practicè iudicare neutrum esse obligatorium, ut latè diximus disp. 2. de Merito. Aliás nec hoc principium erit verum, *Peccabo si non faciam, quod proponitur obligatorium: quia etiam in casu proplexitatis preponitur me peccatum quodcumque faciam, & non peccatum, quis autem credat non peccatum omittentem, quod iudicat obligatorium.*

76 Dicit 4. Deum præcipere illud, quo non dato, essentialiter, & per se dabitur peccatum; non tamen illud, quo non dato, per accidens dabitur peccatum: defectus assensus per se non trahit defectum connatus, cuius omissione esset peccatum: quia connatus est componibilis cum eo, quod Deus negat concursum ad assensum; trahit vero per accidens, quia dum est patens concursus ad assensum, si deficit assensus, ideo est quia deficit connatus. Proposui responsione ut iacet in sapientiis R.R. Fatoe; connatum ad assensum de quaternitate personarum esse componibilem cum defectu assensus, casu quo Deus negat

Neget concursum: sicut etiam in Catholico bene instructo connatus circa assensum Trinitatis est componibilis cum defectu assensus ex simili ratione: intendo ergo, quod sicut defectus connatus ad assensum circa Trinitatem esset peccatum in Catholico bene instructo, quamvis talis defectus non connectatur essentialiter cum propositione obligationis, nec per se petat propositionem obligationis; ita similiter accedit in connatu circa assensum de quaternitate: & quod sicut Deus præcipit connatum assensus circa Trinitatem in Catholico bene instructo; ita præcipit Deus, vel lex naturalis, vel lex conscientiae connatum circa assensum quaternitatis in illo casu.

77. Quia defectus connatus in habente tales conscientiam, & propositionem Parochi erit peccatum, quamvis talis defectus non connectatur essentialiter, nec per se petat illam conscientiam, seu propositionem: quia solum intendimus, Deum in illo casu præcipere connatum, & assensum de quaternitate in re falsum, eodem modo ac præcipit jejunium, quando falso existimatur esse diem jejunijs: & sacrum

quan-

quando existimatur esse diem festum, & defectus assensus erit peccatum, sicut defectus sacri, & ieiunij, quamvis defectus sacri, & ieiunij non trahant per se essentialiter defectum connatus. Itaque Deus præcipit, id quo libere, & voluntatiè non dato erit peccatum: & talis est assensus de quaternitate in illo casu, ieiuniū, & sacrum.

78 Dices cum alijs SS. MM. Imperium in illo casu, idemque de Deo, non causare per se; sed solum per accidens assensum falso, quia imperium intendit assensum supernaturalem, & verum, cuius connatus frustatur per egressum assensus falsi: ad modum quo potentia loco motiva intendit motum rectum, & natura effectus connaturales: sicut ergo quod egrediatur motus claudus, & effectus monstruosus, non tribuitur naturæ, nec potentiaz loco motivaz, sed alijs causis: ita similiter quod egrediatur assensus falso, non tribuitur imperio; sed alijs circumstantijs. Addit quod licet imperium per se afferret eas circumstantias, adeoque esset per se connexum cum assensu falso, non esset causa per se illius; quia nulla intentio affectiva est causa

per se effectus frustrantibus talem intentionem: cum ergo assensus falsus frustret illam intentionem procurantem assensum supernaturalem, & verum, hinc est quod imperium non est causa per se illius assensus.

79 Si hæc solutio tenet, meo iudicio, eadem doctrina defendi posset, Deum prædeterminando ad materiale peccati non esse causam per se malitiæ formalis, quia non intendit malitiam; sed malitia egreditur præter intentionem: quia Deus ( dicent ) solum intendit, quod est bonum; malitia autem solum tribuit voluntati defectuosaæ creatæ, & se explicant eodem exemplo claudicationis: sicut ergo hæc doctrina displaceat in materiali peccati, cur non displacebit? Contra 2. quis licet ex hac doctrina rectè sequatur, voluntatem imperantem talem assensum non esse causam moralem, cui imputetur falsitas: quia circumstantia ignorata, ut potè involuntaria, non est imputabilis; attamen, non probat, quod imperium non sit causa per se assensus, qui in re est falsus, alias neque assensus falsi pure philosophici esset causa per se voluntas imperans, nisque intellectus quia

quia voluntas signatè tendit affectivè in assensum verum, & intellectus tendit in verum: sicut ergo in hoc casu dicuntur voluntatem, & intellectum esse causam per se assensus falsi pure physici; ita quia in nostro casu voluntas imperans tendit affectivè in assensum verum, & effectivè, & affectivè in assensum de quaternitate, qui assensus est essentialiter falsus, erit causa per se assensus falsi; sed pure physica, ad nondum quo appetitus materialis sensitivus est causa per se sui effectus conaturalis secundum omnia sua prædicata, & proprietates, & tamen non intendit affectivè signata omnia illa prædicata, ut potè non proposita per cognitionem: sicut ergo appetitus est causa physica per se sui effectus quoad omnia prædicata, quia ex una parte habet per se, quod eius effectus habeat talia prædicata, & per se habet intendere existentiam talis effectus: ita similiter, quia voluntas imperans assensum de quaternitate, essentialiter habet hunc assensum esse falsum, & per se imperat hunc assensum, ideo erit causa per se huius assensus falsi.

80 Itaque signate, & affectivè inten-

tendit assensum supernaturalem verum; at vero cum assensus supernaturalis versus de quaternitate personarum sit impossibilis, exercitè, & affectivè intendit assensum falsum; & aliquomodo affectivè: quatenus intendit assensum possibilem de quaternitate personarum, qui est essentialiter falsus: frustratur itaque intentio affectiva non vero effectiva exercita, & physica. Ad paritates claudicationis, & effectus monstrosi, dicunt aliqui, claudicationem, monstrare esse effectus adæquatè distinctos ab his, qui intenduntur à suis principijs, idèque accidentaliter illis eveniunt; assensus vero falsus non est effectus adæquatè distinctus ab eo, qui intenditur per imperium; sed verius iudico potentiam loco motivam esse causam per se motus claudi: quia aliud est, unde proveniat, quod motus ille sit claudus, & hoc provenit à defectu tibiæ, aliud est unde proveniat, quod motus claudus sit seu existat, vel quæ est causa physica per se motus, qui in re est claudus, & huius est causa per se potentia loco motiva, & imperium, & in hoc sensu est causa per se claudicationis.

81 Similiter aliud est unde pro-

veniat , quod assensus circa quaternitatem sit falsus ? Et hoc provenit , quia personæ non sunt quatuor ; aliud est , quæ est causa per se ; vt assensus falsus circa quaternitatem , sit ? Et huius est causa per se imperium intellectus , & alia comprincipia . Idem accidit in quovis assensu falso , quia falsitas , vt talis à nullo principio pure physico respicitur . Ad paritatem de monstro , dico , illud non esse iuxta exigentiam cuiuslibet scorsim sumpti , ideoque dicitur ab Aristotele , & D. Thom. contra naturam ; non tamen est contra exigentiam utriusque coniunctum sumpti , quia illud coniunctum , quod naturale est , ut *uale* , exigit , est connexum , & causa per se illius monstri . Si velis , quod similiter eveniat in imperio circa assensum ; sit ita , modo concedas esse causam per se assensu falsi : non enim intendimus , falsitatem , ut *salem* esse finem intentum , quia finis est honestas imperandi assensum propositum , ut obligatorium : cum tamen hic finis obtineri non possit sine errore , dicimus Deum velle existentiam erroris .

82 Thomistæ respondent distinguentes errorum materialiter sump-

tum ,

tum , & formaliter sumptum ; & quamvis hæ formalitates consistant in positivo , & realiter identificantur , dicunt , Deum esse causam per se erroris materialiter sumpti , non vero erroris formaliter sumpti , sicut dicunt de peccato , quod salvant beneficio distinctionis virtualis , quæ facit unum esse intra , & alterum extra sphæram Dei : & se explicant cum distinctione virtuali , quæ datur in divinis , vi cuius filiatio realiter identificata cum essentia est producta , & essentia non est producta ; alij dicunt errorem formalem consistere in negativo , sicut malitia formalis , ideoque Deum causare materiale erroris , ut potè positivum , & bonum , non vero formale , ut potè negativum , & malum . Hi eodem modo impugnandi sunt , ac impugnatur materiale peccati , & constitutivum peccati commisionis . Vide disp. 4. & 5. de Peccatis .

83 Palanco respondet , 1. Rusticum in eo casu esse obligatum ad credendum sub conditione , *Si ita tenet Mater Ecclesia* : & similiter inclinat piam affectionem ad assensum : qui assensus sub tali conditione est verus . Cum tamen , & teneatur absolute credere

dere propter rationes datas, quia Paro-  
chus dicit, teneri ad assensum absolu-  
tum, seu ad absolute credendum: &  
teneatur absolute credere, ita tenere Ma-  
trem Ecclesiam in tali casu, vel saltem  
ad non dubitandum, quod ita teneat,  
solutio videtur nulla. *Resp.* 2. Deum  
non præcipere talem assensum, neque  
dari verum præceptum; sed obligari  
per accidens: quia Deus præcipit obe-  
dire conscientiæ rectæ, & existimat,  
eam esse rectam, & similiter dici po-  
terit pia affectio per accidens inclinare  
in assensum falsum. Hæc solutio impug-  
nata est rationibus, quibus impugnavi-  
mus SS. Primarios.

## SECTIO IV.

*Solvuntur obiectiones.*

84

**A**Nte propositionem ob-  
jectionum explicare  
dportet totam doctrinam huius que-  
stionis, quia dicimus Deum causare era-  
torem moralem consequenter ad sup-  
positionem contingētem; non dicimus,  
Deum causare per se errorem moralem  
absolute sine restrictione; sed dicimus

Deum causare per se errorem hic , & nunc obligatorium. Quando dicimus illum errorem non esse obiectivè malum respectu Dei, non ita dicimus, *Error contrarius revelationi non est obiectivè malus respectu Dei*; Sed ita , *Error, est in re contrarius revelationi, dum proponitur obligatorius, quatenus sic propositus non est obiectivè malus respectu Dei.* Seu non est proximè obiectivè malus ille error ; sed solum remotè : non est proximè obiectivè malus respectu creaturæ : quia error constituitur in esse proximè obiectivè mali per cognitionem obligationis vitandi illum , quæ tunc non datur ; est remotè , & per se obiectivè malus, quia per se petit, quod cognoscatur illum esse malum. *Expli-  
cat.* Aliquid esse proximè obiectivè malum est quod non possit licetè amari à prudenter cognoscente eius conditionem. Sed ille error potest licetè amari si errati: ergo. 2. Ille error, seu assensus de quaternitate non est obiectivè , nec materialiter malus respectu creaturæ relate ad complacentiam , & gaudium de existentia præterita talis assensus: quia creatura licetè , & meritorie potest gaudere de eo quod elicuerit assensum

de quaternitate, quem existimavit obligatorium. Sed non est cur sit proxime obiectivè malus relatè ad connatum: ergò.

85 Est tamen obiectivè malus respectu alterius creaturæ distinctæ ab errante relatè ad volitionem causativam eius existentiaz, si possit vitare talēm ignorantiam: quia cum creatura debeat vitare illam ignorantiam in proximo, non potest velle proximum habere errorem cum tali ignorantia, seu in sensu composito ignorantiaz: quia hoc esset imputabilitè, & interpretativè velle ignorantiam causantem errorrem, quam non vitare, & tenetur vitare; at verò cum Deus non teneatur vitare ignorantiam, potest velle dictum errorrem in sensu composito ignorantiaz, host est, errorem propositum obligatorium in illis circumstantijs: quia sic obligatorius est proxime obiectivè bonus, & solum est obiectivè malus relatè ad illum, qui tenetur vitare talēm ignorantiam, quod si creatura distincta ab errante non possit vitare ignorantiam, neque sit alius, qui eam vitet, potest velle in alio talēm errorrem: & error non erit proxime obiectivè malus.

relatè ad desiderium in tali creaturæ

86 Hinc patet assensum illum eratoneum in dictis circumstatijs esse formaliter bonum denominativè , sicut actiones externæ , & obiectivè bonum respectu Dei: & proximè obiectivè bonum respectu invincibiliter ignorantis; & proximè obiectivè bonum respectu alterius relatè ad complacentiam, & gaudium de existentia præterita ; immo relatè ad desiderium , si non possit vitare , neque sit alius , qui vitet talem ignorantiam, est tamen proximè obiectivè malus respectu potentis vitare dictam ignorantiam; & remotè malus respectu omnium. Patet etiam quomodo motus primo primi turpes, & alię actiones factae sine libertate sint obiectivè malæ , adhuc respectu Dei : quia non proponuntur , ut obligatoriaz , nec ut honestaz , aut saltem licitæ: quod requiritur ut non sint propriæ obiectivæ malæ respectu Dei.

87 Obijc 1. Deus non potest causare per se effectus in se turpes , & obiectivè malos. Sed error adhuc consequenter ad propositionem Parochi , & ignorantiam invincibilem obligationis , est obiectivè malus , ut potè oppos

stus revelationi: ergo Deus non potest causare per se dictum errorem. *Expli-*  
*catur.* Eatenus homo habens talem assen-  
 sum excusatur à malitia, quia est invo-  
 luntaria, cum inculpabilitè ignoret  
 falsitatem assensus. Sed Deus cognoscit  
 eam falsitatem: ergo non excusatur à  
 malitia, si causet per se talem assensum:  
 quia falsitas erit per se voluntaria.  
 2. Nullus homo potest licetè suadere  
 alteri errorum, quem scit esse contra  
 fidem, et si alter inculpabilitè ignorat  
 esse contra fidem, non alia ratione nisi,  
 quia est obiectivè malus: ergo neque  
 Deus poterit suadere, nec consiliare,  
 nec causare per se dictum errorem.

88 Ad argumentum missò, aliqua posse esse obiectivè mala respectu hominis, quæ non sunt obiectivè mala respectu Dei, v. gr. occidere, causare morbum, & amentiam est obiectivè malum respectu hominis, & non est obiectivè malum respectu Dei: & causare per se errorum physicum per se loquendo est obiectivè malum respectu hominis, & non est obiectivè malum respectu Dei; & sic de alijs. *Resp.* dist. mai. Deus non potest causare per se effectus in se turpes, & proximè obiectivè

malos, conc. mai. remotè obiectivè ma-  
los, subdist. antecedentè ad supposi-  
tionem contingentem obligationis, aut  
honestatis in existimatione, conc. mai.  
consequenter, neg. mai. & dist. min.  
ille error est obiectivè malus remotè,  
conc. min. proximè, neg. min. & cons.

89 Ad explicat. Conc. mai. & min.  
& neg. cons. quoad 1. part. dist. quoad 2.  
Est Deo voluntaria falsitas obligatoria,  
seu falsitas vestita illis circumstantijs,  
conc. cons. est Deo voluntaria falsitas  
secundum se, neg. cons. Explicatur hæc  
doctrina. Est communis sensus apud  
Thom. Sanchez lib. 2. de Matrim. dis-  
put. 38. num. 7. quod si vxor ante ma-  
trimonium accesserit ad confanguineum  
mariti, si postea bona fide contra-  
xit matrimonium, Confessarium *nec debere*,  
*nec posse monere uxorem*, si non sit  
futura utilitas, aut futura sit magna dif-  
ficultas, ut futura est in dicto casu. In-  
terrogant rursus: An si vxor ex alia ra-  
tione nolet reddere debitum, possit, &  
teneatur Confessarius dicere, quod red-  
dat; & teneatur non absolvere, si non  
proponat reddituram? Seco 4. dist. 18.  
quæst. 2. art. 4. ad 2. dicit, non posse  
ciusmodi Confessarium monere uxorem,

ut reddat; sed sic debere dicere, *Coniux tenetur reddere debitum.* Ledesm. 2. p. 4: quæst. 8. art. 4. dub. 10. fine, Cordub. Sum. quæst. 139. punct. 1. Enriquez lib. 6. de Pœnit. cap. 27. Thom. Sanch. supr. num. 8. dicunt, teneri Confessarium obligare ad reddendum debitum: quia ibi non præcipit rem malam debitam suppositis circumstantijs, & quidem supposita ignorantia, quod Confessarius non potest fallere vxor, si non reddat: ergo non potest eam absolvere, nisi proponat reddere: ergo potest eam hortari, & cogere, ut reddat. Addunt cum his, & Medina, apud Thom. Sanchez num. 10. idem dicendum, si peccatum ignorantia excusatum sit in detrimentum proximi: & Medina, et si sit continuatum. Quæ dicit Thom. Sanchez, intelligenda et si pœnitens bene accipiat monitionem; & videt remedium esse difficiliimum, ut si sit scandalum, vel sequatur notabilis infamia, v. gr. in exercente bona fide usurpas in his circumstantijs, Confessarius potest tacere. Si ergo hæ actiones remotè male non sunt voluntariæ Confessarios, quia vult illas sub circumstantijs, quibus honestantur, & sunt bonæ: quare

erit maius error ille respectu Dei, quia non tenetur vitare errorem, & vult errorem sub circumstantijs, in quibus est obligatorius, & bonus: cum Deus causet per se quod per se causant Ministri, ut verè Ministri Dei. Ad secundum negant absolute loquendo propter doctrinam immediatè datam: quia forte in aliquibus circumstantijs, oportebit obligare, ut continuet assensum erroneum. Præterquam multa licent Deo ratione supremi dominij, & iudicis, quæ non licent homini, Deo licet relinquere hominem in illo errore obligationis, in quo non habere errorum, esset malum, & transgressio legis; & error esset obligatorius, iuxta legem Dei præcipientis non facere malum, non peccare; & iuxta legem naturalem, & conscientiæ: & ideo esset bonus: & Deus eum caufaret per se medio consilio, & præcepto ad illum obliganti, in tali casu.

90. Imò si à tali rustico rogaretur Deus, an teneretur assentiri in illis circumstantijs quaternitati personarum forte posset respondere affirmativè: quod tamen aliarum iudicio relinquos et si verum iudicem: quia consequens ter

er ad suppositionem est illi bonum , & tenetur assentiri ; & consilium præcisè faceret consiliare , ut faceret , quod tenetur. Idem quod dicimus de errore dictum reputa de mendacio , quod existimatur obligatorium ; quod proxime est rationi conforme , & solum remotè rationi dissonum.

91. Obijc. 2. Si hæc doctrina est vera, possemus dicere cum Abul. in 24. Matth. quæst. 210. Deum posse causare errorum etiam antecedenter contra aliquam revelationem non sufficienter propositam : quia ille error non erit obiectivè malus respectu Dei , nec est obiectivè malus absolutè : si quidem non est prohibitus , nec datur obligatio credendi , vel si hic est obiectivè malus , erit etiam malus error in nostro casu adhuc consequenter : quia cum licet bene formaliter operetur rusticus operatur materialiter male , & eius error in re est oppositus revelationi divinæ. Resp. Deum non posse causare per se antecedenter ad suppositionem contingentem dictum errorum , quia est proxime obiectivè malus respectu Dei : si quidem nihil est , quod excusat à malitia : & quamvis non datur obligatio

tio proxima credendi illi revelationis; datur obligatio remota non discredendi: Ideoque diffensus est in re prohibitus.

92 At vero error nostri casus non est proximè obiectivè, & materialiter malus respectu Dei, nec proximè prohibitus; immò volitio erroris, *ut in illis circumstantijs*, non est materialiter mala: quia talis volitio intrinsecè respicit circumstantias nudantes eam à maliitia: Hinc patet diversitas inter obiecta intrinsecè, & extrinsecè mala; & quare intrinsecè mala dicenda sunt absoluè, & de se mala. 1. Quia semper sunt remotè mala, qualia non sunt semper extrinsecè mala. 2. Quia intrinsecè mala de se habent proponi *ut mala apud mediocriter doctos*, licet per accidens alicui rustico proponantur, *ut bona*. Sicut vis syllogistica recte dicuntur niti talibus, vel talibus principijs: & definitionem esse clariorem definito, et si rustici id ignorent.

93 Instabis: coniunctum erroris propositi, *ut obligatorij* est proximè obiective malum: ergo Deus non potest causare per se errorem adhuc, *ut propositum obligatorium*. Probatur antecedens.

cedens. Coniunctum proximè resul-  
tans ex aliquo constitutivo malo obie-  
ctivè, est proximè obiectivè malum.  
Sed hoc coniunctum proximè resultat  
ex peccato secundum se; quod est in-  
trinsicè malum: ergo tale coniunctum  
est proximè obiectivè malum, saltem  
respectu Dei cognoscentis malitiam.  
Mai. videtur vera ex illo malum ex quo-  
cumque defectu. Resp. Neg. antec. ad  
prob. dist. mai. Quod resultat proximè  
ex aliquo constitutivo proximè malo  
est proximè malum, conc. mai. ex  
aliquo constitutivo remotè malo, neg.  
mai. absolutè loquendo, & dist. min.  
neg. cons. quia ea solum ratione qua  
est malum constitutivum erit malum  
constitutum: ut patet ex rationibus, &  
doctrina data primo argumento.

94 Obijc. 3. Imperium non est  
causa per se offendens de quaternitate:  
ergo neque Deus. Prob. antec. Impe-  
rium non est causa moralis: quia agens  
moralè non causat per se ultra intentio-  
nem: cum ergo imperium tendat affe-  
ctivè in illum offendens, ut verum, non  
ut falsum, non causabit per se offendens,  
ut falsum, sed ut verum: ad modum  
quo iudicans mendacium esse bonum,

causat per se mendacium ; vt bonum; non vt malum. 2. Non est causa per se physica : quia non habet inclinationem ad assensum falsum : cum solum habeat connexionem cum tali assensu pro casu præparationis omnipotentiæ , & non habet connexionem cum tali præparatione. 3. Quia imperium per se loquendo non imperat in particulari hunc assensum , qui proponitur obligatorius, sed in generali assensum propositum obligatorium : hic modus imperandi per se præscindit ab eo quod hic assensus , vel alter sit obligatorius : potestque dari idem numero imperium sub propositione Trinitatis personarum.

95 Argumentum in primis probat , imperium de assensu circa Trinitatem , non esse causam assensus propter eandem rationem. Deinde nos solum intendimus , Deum esse causam per se erroris eodem modo , quo homo est causa per se mendacij propositi , vt honesti:quia Deus medio consilio , & præcepto causat errorem in circumstantijs, in quibus error preponitur obligatorius , & honestus. *Resp.* Neg. antec. Ad prob. dico , imperium esse causam per se moralem reductivè ; non cui imputatur

etur ad laudem assensus; sed quæ est actus moralis determinans agens morale, quod imperium exercitè intendit assensum falsum, quia intendit assensum de quaternitate essentialiter falsum, quamvis non intendit illum, ut falsum; sicut voluntas est causa per se malitiæ, quamvis non intendat illam, ut malam. Itaque agens rationale potest per se agere ultra intentionem signatam, & affectivam: quamvis non ultra exercitam; præterquam affectivè etiam tendit quodammodo in assensum falsum: quia affectivè tendit in assensum de quaternitate, qui est essentialiter falsus; ad modum quo voluntas tendit in mendacium propositum, ut bonum est causa per se mendacij. Et sicut baptizans intendens facere, quod facit Ecclesia; sed cum intentione non faciendi Sacramentum, facit Sacramentum, & iuxta Thom. Sanch. promittens cum *vera intentione promittendi*; sed cum intentione non se obligandi maneret obligatus: quæ doctrina licet non sic communis; est conformis doctrinæ communi de baptismō. Ita Thom. Sanch. lib. 1. de Matriūn. disp. 5. num. 21.

sus, quia aliás nullum imperium esset  
 causa physica assensus: quia non est de  
 ratione causæ physicæ inadæquatæ,  
 quod se sola habeat connexionem: aliás  
 nulla causa physica inadæquata esset  
 causa physica. Sed quod causa adæqua-  
 ta ad summum habeat connexionem:  
 cum ergo hoc imperium, ut coniun-  
 ctum cum præparatione omnipotentiae,  
 habeat connexionem, hinc est quod est  
 causa physica; aliás neque intellectus  
 esset causa physica, cum non habeat  
 connexionem. *Ad 3.* præter iam di-  
 cta. *Resp.* Imperium in particulari im-  
 perare assensum de quaternitate, quia  
 imperat assensum, qui proponitur  
 obligatorius, imperat enim assensum,  
 quem proponit Parochus, & quem ro-  
 gatus, responderet, se velle, & ut di-  
 cit Thom. Sanch. relatus ad obiect. 1.  
 contra Sotum. Si ducere *verbis directis*  
 culpa esset; non vacaret culpa inducere  
*verbis indirectis*: quia intentio confes-  
 sarij eadem in vitroque casu, loquitur  
 de Confessario, de quo dicit Soto, quod  
 in casu citato non potest dicere *reddere  
 debitum*; sed debet dicere, *Coniuges re-  
 nentur reddere debitum*. Quæ doctrina  
 hic applicari potest. Adstruere autem  
 duo

duo imperia , alterum supernaturale quod generaliter dicat , *Impero assensum obligatorium* : alterum naturale, in particulari dicens, *Impero hunc assensum videtur voluntarium*:quia vel illud imperium generale habet vim determinandi, vel non ? Si secundum, ad quid datur, & quemodo est efficax ? Si primum, & quidem se solo , alijs non erit efficax , ad quid aliud imperium naturale ? Et quis in se experimentaliter novit haec duo imperia , & se illa libere habere , quoties erronee invincibiliter operatur ; secus dum non operatur invincibiliter?

97 Adverte : ex eo quod Christus non possit habere errorem ; non inferatur Deum , non posse causare errorem ; sicut ex se Christus non potens habere in se errorem , potest illum causare & non ergo potest Christus habere , quia suppositum Divinum erraret , vel ex alijs capitibus , quamvis Vazquez 3. part. disp. 61. cap. 9. Lugo disp. 21. sect. probabile iudicent , non repugnare Christum errare . seclusa scientia beata , & infusa. Sed verius iudico , errare non posse:quia error auferret a Christo autoritatem , & infallibilitatem Doctoris,

etoris, & Testis propriam suppositi dia-  
vini. Inferes etiam, Deum posse causa-  
re per accidens errorem moralem, in-  
tendendo videlicet aliquid, ex quo per  
accidens sequatur error moralis: ad  
modum quo ex præmissa fidei potest  
deduci conclusio falsa. Inferes etiam ex  
duplici præmissa supernaturali non  
posse deduci per se conclusionem fal-  
sam: supposito tamen errore illationis,  
& consequenter ad illum, Deus posset  
causare conclusionem per se; quæ con-  
clusio, sicut assensus de quaternitate,  
non erit supernaturalis: quia repugnat  
assensus supernaturalis, qui sit falsus;  
nec supponeret essentialiter præmissas  
supernaturales: quia eodem modo de-  
duceretur conclusio, si illæ præmissæ  
essent naturales.

98 Obijc. 4. SS. PP. dicunt, S. Scripturæ loca, quibus Deus dicitur *exca-  
care, & decipere*, intelligenda esse per-  
missivæ loquendo, seu negativè, sicut  
verbum *indurare*. 2. Patres Spiritua-  
les, vt discernant bonum à malo spiri-  
tu, assignant regulas fixas. Si illus-  
tratio continet aliquid contra fidem, aut  
bonos mores, dicunt esse effectum mali  
spiritus: si vero sit conformis fidei, &

bēnis moribus, dicunt esse Dei, & hæc non esset fixa, si Deus posset causare per se errorem moralem. *Resp. Excusare*, de quo dicitur à SS. PP. solum esse permissivè à Deo, intelligi de errore involvente directè, vel indirectè peccatum formale: cum ergo nos non dicamus Deum posse esse causam erroris involventis peccatum formale, nihil contra nos. *Ad 2.* Ripalda hic respondeat, hanc regulam tradi à SS. PP. ad discernendum spiritum Dei revelatèm, ab spiritu diaboli revelanti, quæ recta est, quia Deus nequit loqui falsum. Sed universalis cum SS. RR. loquendo etiā de illustrationibus: Respondeo, illam regulam esse rectam, loquendo antecedenter ad suppositionem contingentem, in qua inculpabilitè proponatur obiectum obligatorium credendi; non verò consequenter ad talem suppositionem. Vide tamen Puente in *Guia Espiritual*, ubi invenies, spiritum malum aliquando inclinare in bonum, præser-tim initio, ut inde postea ducat mala: & ita respondit cuidam Patri interroganti de spiritu cuiusdam fœminæ, ut constat in eius vita, & de hoc diximus satis disp. 2. de Actib. humanis, sect. 7.

Sed clarius tradit hæc signa in proœmio ad vitam D. Marinæ de Escobar.

99 Obijc. 5. Si Deus potest per se causare errorem oppositum fidei, & bonis moribus adhuc consequenter ad suppositionem contingentem, patrare similiter poterit miracula in confirmationem doctrinæ falsæ ; hoc secundum est falsum: ergo & primum. Hoc argumentum viam apperit sequenti, & non absimili disputationi , amico sœdere huic coniunctæ , ideo ne aliquid desideretur pro huius perfecta notitia, sequentem disputationem calamo non levi percurram.



DIS-



## DISPUT. VI.

De Patratione miraculorum in confirmationem doctrinæ falsæ , & de infallibilitate obiectiva fidei.

PRIUS PROPONEMUS , QUÆ  
sunt vera miracula : & quæ à peccatoribus : quæ à dæmonibus: & quæ à solo Deo.

### SECTIO I.

*An , & que miracula , vel mira possint fieri à dæmonibus?*



Up. 1. Miracula strictè talia esse opus arduum , & insolitum totius naturæ facultatem superans ; seu præter ordinem totius naturæ . Ita August. tract.

in Ioan. & D. Thom. 1. part. q. 1 101  
 art. 4. lib. 3. contra Gent. cap. 69. &  
 cap. 102. & quæst. 6. de Potentia , ar-  
 tic. 5. Ex quo sequitur , miracula stri-  
 ctæ talia solum posse fieri à Deo , ut cau-  
 sa principalis , etsi causa instrumentalis  
 possit esse creatura. Psalm. 135. *Qui*  
*facit mirabilia magna solus.* Hæc mira-  
 cula strictæ alia sunt talia *quoad substanciam:* ea scilicet , quorum res supperat ,  
 & est præter ordinem totius naturæ ,  
 v. gr. duo corpora esse in eodem loco ;  
 vnum corpus esse in duplici ; fuscitare  
 mortuos , & similia. Miracula strictæ  
*quoad modum* , sunt quorum res nō sup-  
 perat vires totius naturæ ; modus ta-  
 men supperat , v. gr. sanare morbum  
 per medium oppositum sanitati , qualis  
 fuit sanitas Ezechiæ ; restitutio visus  
 per applicationem lutis ; sanare solo iusu ,  
 aut sola invocatione alicuius Sancti si-  
 ne applicatione medicinæ ; & similium .

z Sup. 2. Apud Gentiles aliquan-  
 do facta esse vera miracula *quoad mo-*  
*dum* , licet rara , in confirmationem ali-  
 cuius veritatis. Sic Claudia Vestalis , ut  
 probaret suam castitatem , cum navis  
 immobilitè adhæsisset in Tyberi , dis-  
 cinxit se ; Zonamque navi alligans , eam ,  
 quo

quo volebat, duxit. Et Tucia Veitalis, ut probaret suam pudicitiam, aquam Tyberi haustam cribo, tulit in Capitolum anno ab Urbe condita 609. Aug. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 16. & D. Thom. de Potentia, quæst. 6. artic. 5. *Non est à fide remotum, quod Deus verus in commendationem castitatis per suos Angelos bonos huiusmodi miraculum per retentionem aquæ fecerit.* Et fortè eiusmodi miraculis concuriebat Deus præsuditate temporum, dum probatio fidelitys uxorum siebat antiquitus in Hispania per ignem: *Hæc (concludit August. ibi) atque alia huiusmodi, nequaquam illis, que facta legimus in populo Dei, virtute, ac magnitudine conferenda sunt.*

3 Sup. 3. Regulam traditam à D. Thom. 1. part. quæst. 114. art. 4. de his quæ possunt facere dæmones: *Dicitur tamen quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem, & considerationem. Et sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur ::: Sciendum tamen est, quod quævis huiusmodi opera dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram rationem miraculi non pertingant, sive tam-*

men quandoque verae res: sicut Magi Pharaonis per virtutem dæmonis veros serpentes, & ranas fecerunt: & quando ignis de Cœlo accidit, & familiam Iob cum gregibus pecorum uno imperio consumpsit; & turba domum deiiciens, filios eius occidit, quæ fuerunt opera Sathanæ, phantasmata non fuerunt, ut August. dicit 20. de Civit. Dei. Et ibi ad 2. Ille vero transmutationes corporalium rerum, quæ non possunt virtute naturæ fieri, multo modo secundum rei veritatem operatione dæmonum fieri possunt; sicut quod corpus humanum mutetur in bestiam. Quod idem dicit August. apud D. Thom. hic,

4 Ex quibus, Dico 1. dæmones non posse facere vera, & stricta miracula. 1. Quia non possunt facere, quod supererat vires totius naturæ. 2. Quia si aliquando ficerent vera miracula, maximè tempore Antichristi. Sed illa non erunt vera miracula: ergo. Prob. min. 2. ad Thesal. 2. Eius adventus est secundum operationem Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. Quod explicat D. Thom. quæst. & art. immediate citato ad primum cum August. Dicit signa mendacij, vel quia per phantasmata decepturus est, ut quæ non

non facit , videatur facere , vel quia se  
sint vera prodigia , seu mira ; non ta-  
men erunt strictè miracula; sed simili-  
ma miraculis , quæ fiant per servos Dei,  
ut dicit August. apud D. Thom. hic.  
Sed contra. Et hic ad 3. Sicut August.  
dicit lib. 83. quest. Cum talia faciunt  
Magi, qualia Sancti , diverso fine, & in-  
re sunt. Magi faciunt quarentes gloria-  
m suam ; Sancti quarentes gloriam Dei.  
Magi faciunt per quedam privata co-  
mercia; Sancti autem publica administra-  
tione; & iussu Dei, cui cuncta creata sub-  
iecta sunt. Et consequenter non possunt  
facere dæmones ea, quæ retulimus sop.  
I. quia quamvis, ut inquit Aug. lib. 83.  
quæstion. quæst. 79. referens Matth. 24.  
Surgent pseudo Christi , & pseudo Pro-  
phetae, & dabunt signa magna , & prodi-  
gia, ita ut in errorem inducantur ( si sic-  
ri potest ) etiam electi. In quæ Admonet,  
ut intelligamus, sceleratos homines que-  
dam miracula facere , qualia Sancti fa-  
cere non possunt. Sed vel non sunt vera  
miracula: quia infrà iungit : Talia qui-  
dem visibiliter esse apparent. Vel si fue-  
rint, ea facient nomine Dei; vel ut Mi-  
nistri Christi , licet mali : An, & quo-


modo possint ea facere in confirm. do-  
ctrinæ falsæ dicemus infra.

5 Dico 2. dæmon potest facere  
omnia mira , quæ arte Magica fecit Si-  
mon Magus , qui meruit honores divi-  
nos : Apollonius Tyaneus Magorum  
maximus tempore Domitian. Potest  
etiam omnia mira , quæ Mathematica  
Mechanica facta sunt Syracusis ab Ar-  
chimæde contra Romanos dicentes se  
non contra homines ; sed contra Deos  
pugnare : ab Archita Pythagorico , qui  
fecit columbam ligneam tali arte , ve-  
volaret. Et Severino Boetio , qui fecit  
metalla mugire , angues æneos sibilare ,  
aves simulatas canere , homines aëreos  
buccinare in aëre : ut constat epist.  
Cassiodori ad eundem. Potest à loco  
in locum movere corpora: movere ven-  
tos , terremotus , & tempestates. Sic  
refert Philostratus lib. 3. cap. 3. de  
duobus dolis , quæ vidit Apollonius  
apud Indos , quæ cum aperiebantur  
emittebant imbræ , & ventos ; clausis  
vero cessabant. Sic fertur visos serpen-  
tes , & homines volantes : & Albertus  
Magnus dicit , boves aliquando pluissent  
vel quia re vera de loco in locum eos

moveat: vel quia ex aëre contracto eiusmodi imagines formabat. Vel quia luddeno visum, faciebat apparere, quæ non erant, quasi essent, *vel mutando phantasiam, & sensus corporeos*, ut dicit Div. Thom. 1. part. quæst. 114. artic. 4. Potest facere iumenta, & statuas loqui. Sic Valer. Maxim. lib. 1. cap. vltim. refert de statua Junonis Monetæ, cum rogaretur per iocundū militibus, an Romanū migrare velle; respondit. Velle, & statua Fortunæ dixit Matronis Romanis. *Rite me vidistis, ritè me consecrastis.* Credendum tamen est, ipsum voces illas formare; non quod statuis tribuat facultatem loquendi. Vide plura apud Pereyr, in cap. 7. Exodi, disp. 4.

6 Deinde cum dœmon recte noscat naturas rerum, & sine virtutes singulares occultæ, hominibus ignotæ, in succis, herbis, lignis, lapidibus, animalibus, potest ita eas virtutes loco, & tempore temperare, ut mirabiles producat effectus, & quales nunquam tales virtutes producerent, vt dicit D. Thom. lib. 3. contra Gent. cap. 103. Sic potest morbos sanare, serpentes, dracones, & leones producere per appli-

cationem occultam causarum, & disposi-  
tionum; non tamen immediatè, nec  
solo iussu, aut voluntate: qua ratione  
Sancti sanabant: nec possunt produc-  
re statim animal perfectum secundum  
magnitudinem, & perfectionem agen-  
di, adhuc per applicationem causarum.  
Addit D. Thom. de Potentia, quæst. 6.  
artic. 10. ad 4. corpora Cœlestia ex-  
cedunt proportionem motuum dæmonum,  
vel propter conditionem naturæ suæ, vel  
propter damnationem culpa: unde sequi-  
tur, quod non possit movere Cœlos, ne-  
que sistere eorum motus, & ibi ad 8. Li-  
cet dæmones possint movere aliquam  
partem terræ, non sequitur, quod possint  
movere totam terram: quia hoc non est  
proporcionatum naturæ ipsorum, ut mu-  
xent ordinem elementorum. Hoc videtur  
esse propter damnationem culpæ. Et  
in præsenti provi-  
dentia.



## SECTIO II.

*An Deus possit facere vera miracula in confirmationem doctrinae falsæ?*

7 **S**UP. i. Malos posse facere vera miracula virtute Dei, ut constet Matth. 14. citato, sect. ant. 1. Corint. 12. Nunquid omnes virtutes. Nunquid omnes dona habent curationum. Alij datur gratia sanitatum. Alij operatio virtutum. Quod communiter intellegitur etiam de malis. Sacerdotes mali miracula faciunt consecrando, & absolvendo: & 1. ad Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferram, charitatem autem non habuero nihil sum. Sed quid mirum, quod mali Christiani faciant miraculum, cum apud Lucam Discipuli quererentur coram Christo de quodam, qui in nomine Christi ejiciebat demonia, cum tamen Christum, non sequeretur, ut dicit Aug. 15. de Trinit. *Hoc solum donum Spiritus Sancti, est quod dividit inter filios regni, & filios perditionis.* Et Div. Thom. 2.2 quæst. 175. art. 2. Inquirens

vtrum

vtrum mali possint facere miracula?  
 Cum distinxisset miracula non talia à  
 veris, dicit, vera miracula duplicitè  
 fieri posse. *Vno modo ad veritatis p-*  
*radicata confirmationem. Altio modo ad*  
*demonstrationem sanitatis alicuius,*  
*quam Deus hominibus vult proponere ut*  
*exemplum. Primo modo miracula possunt*  
*fieri per quemcumque, qui veram fidem*  
*prædicat, & nomen Christi invocat, quod*  
*eriam interdum sit per malos. Vnde*  
*supr. Matth. 7. Nonne in nomine tuo*  
*prophetavimus? Dicit Hieron Pro-*  
*phetare, & virtutes facere, & dæmonia*  
*eicere, interdum non est eius meriti, qui*  
*operatur. Secundo autem modo non sunt*  
*miracula nisi à Sanctis, ad quorum san-*  
*ctitatem denuntiandam miracula sunt. Et*  
*sic etiam nihil prohiberet, per aliquem*  
*peccatorem miracula fieri ad invocatio-*  
*nem alicuius Sancti; que tamen non dici-*  
*rur facere ille; sed ille ad eius sancti-*  
*tatem denuntiandam hoc fierent.*

8 Sup. 2. Omnia vera miracula  
 præter beneficia particularia habere ex  
 se ducere in cognitionem Dei. Ex Div.  
 Thom. 2. 2. quæst. 178. artic. 1. ad 4.  
*Gratia sanitatum refertur secundum*, quia  
*per carnem confert homini aliquid beneficiū,*  
 pre-

præter beneficium commune, quod exhibetur in omnibus miraculis, ut scilicet homines adducantur in Dei notitiam. Sed non esset hoc beneficium commune, nisi miracula ex se haberent ducere in notitiam Dei: ergo. Hac ratione illa Religio, in qua plura fiunt miracula, etiam, ex hoc solo credibilior est. Confirm. Ioann. 21. *Alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hic: hac autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesu Christus est filius Dei.* Sed major pars miraculorum, quæ fecit Christus, facta sunt in bonum huius, vel illius, & non ex directa, & expressa intentione, apud homines, confirmandi doctrinam, quam prædicabat: ergo ex se habet vim inducendi notitiam Dei, & veritatem Religionis, in qua fiunt 2. Ioann. 11. *Hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Sed hic discursus esset fatuus, si miracula ex se non habarent vim suadendi veritatem Religionis, in qua fiunt: ergo.

9 Sup. 3. Quando miracula fiunt directè in confirmationem alicuius doctrinæ, aut veritatis, ex se, & apud omnes Gentes esse magnum argumen-

tum illius veritatis. Prob. 1. exemplis Claudiæ , & Tuciæ Vestalium , quæ habitæ sunt ut castæ à Romanis , vi- sis miraculis relatis sect. ant. 2. Quan- do Apostoli , & viri Apostolici prædi- cabant apud Gentes , alij credebant vi- sis miraculis factis in confirmationem doctrinæ ; qui non credebant dicebant , ea non esse vera miracula ; sed facta arte Magica. Sed hoc probat miracula ex se habere magnam vim suadendi doctrinam , in cuius confirmationem fiunt , apud omnes Gentes : ergò. Ad Hebr. 2. *Quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutem , quæ cum initium accepisset enarrari per Domini num : ab eis , qui audierunt in nos confir mata est , contestante Deo signis , & por- tentis , & magnis virtutibus.* Sed non esset contestatio Dei apud Gentes , si ex se non haberent vim suadendi veri- tatem in cuius confirmationem fiunt: ergò.

10 Sup. 4. Miracula duplicitè fingi posse in confirmationem falsæ do-ctrinæ 1. Si fiant à Deo ex directa in- tentione confirmandi falsam doctri- nam. 2. Si fiant à Deo ex alio fine, Minister verò eis abutatur ad confir- man-

mandam doctrinam falsam. His supponitis, vñus, vel alíèr Thomista citatur dicens, Deum in hac providentia posse facere miracula ex directa intentione cōfirmandi doctrinam falsam. Hac relicta. Alij absolute dicunt non repugnare fieri miracula, quibus confirmetur doctrina falsa. Ita Durand. Gabriel, Cajetan. Bañez, quæst. 1. artic. 5. Michael de Medina lib. 5. de Recta fide cap. 7. Petr. Hurt. disp. 26. Ripald. disp. 4. sect. 5. Ojea. Hi tamen ut indubitatum suppónunt, non posse fieri à Deo ex directa intentione confirmandi doctrinam falsam; sed solum in circumstantijs, in quibus ex abuso Ministri confirmetur. Iia notat Oviedo contr. 3. num. 52. 2. Dicit, repugnare moraliter, sumpta repugnatio morali pro convenientia valde magna in eo quod Deus non permittat abusum miraculorum, sicut in eo, quod non permittat B. V. incidere in peccata actualia. Ita Taner. hic quæst. 1. dub. 5. Oviedo contr. 3. punct. 4. Non verò repugnare metaphysicè.

ii 3. Absolutè dicit repugnare, Deum facere miracula in censim. doctrinæ falsæ. Ita Soto, Suarez disp. 4. sect.

sect. 3. Bellarm. de Notis Eccles. lib. 4.  
 cap. 4. Tolet. in 3. Ioaa. Lugo disp. 2.  
 sect. 1. Torres disp. 9. Coninc disp. 11.  
 Munies. disp. 5. sect. 7. 4. Dicit , re-  
 pugnare fieri miracula in circumstan-  
 tijs, in quibus per se confirmetur do-  
 ctrina falsa ; id est , si miracula fiant ex  
 abuso Ministri in circumstantijs, in qui-  
 bus adhuc prudentes non possint coni-  
 cere miracula fieri ex alio fine , & non  
 ex fine confirmandi eam doctrinam: be-  
 ne tamen in circumstantijs , in quibus  
 per accidens , & ex inadvertentia au-  
 dientium confirmetur falsa doctrina.  
 Ita Granad. tract. 1. disp. 7. quem se-  
 quuntur Salmant. disp. 2. dub. 3. Sen-  
 din controv. 5. num. 112. Palanco  
 disp. 2. quæst. 2. & Nostri RR.

12 Dicò 1. Certum debere esse;  
 Deum non posse facere miracula in hac  
 providentia ex directa intentione con-  
 firmandi doctrinam falsam. Prob. Cer-  
 tum est Deum non posse loqui falsum.  
 Sed miracula saltem in hac providentia  
 sunt locutio Dei , qua affirmat doctri-  
 nam in cuius confirmationem fiunt : er-  
 gò. Prob. min: Marc. 10. Illi autem  
 profecti predicaverunt ubique , Domino  
 cooperante , & sermonem confirmante

sequentibus signis. Ioann. 10. Si mīhi non vultis credere, operibus credite. Item Ioann. 15. Matth. 11. Ad Hebr. 2. Contestante Deo signis, & portentis, & magnis virtutibus. In quæ D. Thom. lœst. 1. Sciendum, quod testimonium est per loquaciam: loqua autem est signum sensibile. Deus autem duplici signo sensibili contestatus est, scilicet verbo, & miraculis. Et clarius 2. 2. quæst. 178. artic. 2: ad 3. ubi conclusionem probat; & rationem præbet. Dicendum, quod semper miracula sunt vera testimonia eius, ad quod inducuntur. Unde à malis, qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem sua doctrinae. Et quæst. 6. de Potentia; art. 5. Operatio miraculorum est quoddam divinum testimonium indicativum divine virtutis, & veritatis. Ideò Ioann. 5. Opera, que ego facio, testimonium perhibent de me. Et August. epist. 49. quæst. 6. Deus miraculis loquitur.

13 Confirm. Ex Innoc. III. in cap. Cum ex iniuncto, de hereticis: Non sufficit cniquam nudè tantum afferere, quod ipse sit missus à Deo; cum hoc quilibet hereticus affereret; sed operetur, quod t.

statuat illam invisibilem missionem per  
 operationem miraculi, vel Scripturæ te-  
 stimonium speciale. Sed testimonium  
 Scripturæ est locutio: ergo & miracu-  
 lum, quod æquiparatur Scripturæ. Hic  
 est communis sensus SS. PP. apud Sua-  
 rez tom. 2. in 3. part. disp. 31. sect. 1.  
 inter quos Richard. de S. Victor. Non  
 ne eam omni confidentia dicere possumus:  
 Domine si error est, a te deceperis sumus?  
 Nam ista in nobis tantis signis, & prodi-  
 gijs confirmata sunt, & talibus, qua non  
 nisi per te fieri possunt. Ex Ioan. 17. Si  
 opera non fecissem in eis, quæ nullus fecit,  
 excusationem haberent. Ideo Chrysost.  
 homil. 3. in 2. ad Corinth. Hieron. in  
 Matth. 10. August. lib. 22. de Civit.  
 cap. 8. & lib. de Utile credendi;  
 cap. 16. ad Honorat. contra Manich.  
 Iren. lib. 2. cap. 36. Bozios de signis  
 Ecclef. lib. 5. cap. 1. Bellarm. de Ec-  
 cleſ. cap. 14. contra Gent. & Hæretic.  
 nullis potius argumentis probant falsi-  
 tatem eorum dogmatum, quam miracu-  
 lis: ideo nec unum miraculum in con-  
 firmationem suæ doctrinæ illis conce-  
 dent. Sic Bozios supr. *Vbi sunt igitur  
 vestra Hæretici miracula? Nulla potestis  
 proferre.* Eadem Tert.lib. de Præscript.  
 insultando contra illos. Dis-

14 Dico 2. ut certum, ut dicit Oviedo. Non potest Deus adhuc metaphysicè facere miracula ex directa intentione confirmandi doctrinam falsam. Prob. Deus non potest loqui falsum. Sed miracula ex se sunt loquutio Dei respectu doctrinæ, quæ per se confirmatur: ergo. Prob. min. ex D. Th. 2. 2. quæst. 178. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod semper miracula sunt vera testimonia eius, ad quod inducuntur. Vbi nota semper. August. tract. 24. & 44. in Ioan. Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur. Idem: Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo? Habent enim si intelligantur linguam suam.* 2. Id quod etiam apud Gentiles ignaros Scripturarum est verbum Dei, ex se est verbum Dei. Sed miracula etiam apud Gentiles sunt verbū Dei; et si aliquando maximè respectu doctrinæ, quæ directe intenditur confirmari per miraculum: ergo. Prob. min. Exod. 4. vbi Deus dicit Moysi de Aegyptijs: *Si non erederint tibi, nec audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.* Vbi respectu Aegypt. vocantur miracula sermo, & verbum. 3. Contestare,

confirmare, testimonium prohibere, sunt locutio. Sed miracula etiam apud Gentes sunt contestatio, confirmatio, & testimonium Dei; etsi aliquando, maxime respectu doctrinæ, quæ directè intenditur confirmari: ergo. Prob. min. ex locis citatis pro prima conclusione.

¶. Miracula eatenus habent hanc linguam, ut dicit Aug. sunt testimonium, & locutio, ut dicit D. Thom. sunt sermo, verbum, contestatio, & confirmatio, ut dicit Script. quatenus sunt opus si agnoscere Dei factum in confirm. doctrinæ, seu dum per se confirmatur doctrina. Sed miracula ex se sunt opus singulare Dei: ergo ex se habent hanc linguam, sunt locutio, &c.

15 Prob. 2. Miracula non habent vim persuadendi veritatem, quam confirmant, nisi sint locutio Dei. Sed Deus non potest loqui falsum adhuc de potentia absoluta: ergo neque facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ. Prob. ant. Miracula non persuadent doctrinam per modum representationis formalis, sicut cognitio, ut patet: non per modum conditionis obiectivæ, sicut lux; ut etiam est manifestum: non per modum argumenti à priori, aut à poste-

posteriori , quia neque sunt causa , neque effectus doctrinæ: non per modum extremi ex se connexi cum illa doctrina , quia resurrectio mortui ex se indifferens est , ut hic sit , vel non sit Eucharistia : ergo solum persuadent per modum signi loquutivi quatenus persuadent illam esse de mente Dei. *Explicat.* Etsi dentur aliqua miracula , quæ vlt̄rā esse signum locutivum habeant alium modum suadendi rem , tamen miracula communia hoc non habent. Sed omnia vim habent suadendi doctrinam ; ergo omnia sunt signum locutivum .

**2.** Implicat Deum ordinare ad confirmationem alicuius doctrinæ medium ineptum ad illam confirmandam. Sed suscitatio mortui est medium ineptum ad confirmandam veritatem Eucharistie , nisi sit locutio Dei : ergo si illud ordinat , ideo est , quia est locutio Dei .

Prob. min. ex immediate dictis.

16 Dices : Miracula sunt specialiter confirmativa veritatis. Sed non essent specialiter confirmativa veritatis , si præcisè essent locutio , seu affirmatio veritatis : quia una affirmatio Dei non est certior alia : ergo non sunt locutio Dei. *Resp.* conc. mai. neg. min. Quia

quamvis miracula non sint locutio certior, sunt tamen clarior, & cadunt supra primam locutionem: ad modum quo assecuratio est confirmatio veritatis, & tamen nihil aliud est, quam repetitio assertionis: & iuramentum in Deo est confirmatio rei promissæ, seu veritatis; & iuramentum in Deo non est certius, quam testimonium. Et de facto iuxta omnes miracula sunt confirmatione veritatis, & de facto sunt locutiones; reputantur tamen inter argumenta credibilitatis: quia est certum, quod suadent veritatem, & non est certum, quod illam suadeant per modum locutionis; ad modum quo de facto reputantur inter argumenta credibilitatis, & de facto iuxta omnes sunt Dei locutio: quia de facto suadent designando illam esse de mente loquætis, in quo consistit locutio. Deinde multa miracula sunt ad persuadendam revelationem directam, & quod ita se habet, pertinet ad argumenta credibilitatis; dum tamen di rectè suadent mysterium, erunt motivum redundant, seu non necessarium: i deoque à PP. agentibus de motivo necessario, reputantur inter argumenta credibilitatis. Quod assensus propri-

propter miracula esset strictæ fidei in  
hic providentia ; inclinat Lugo disp. 1.  
sect. 7. Ripalda disp. 4. sect. 3. affir-  
mat Lumbier quæst. 4. num. 285. Mu-  
nief. disp. 5. sect. 8.

**i7** Dices; Rectè Deus potest cau-  
sare per se aliquem errorum , suadere  
subjectivè aliquam suassionem passi-  
vam falsam esse de sua voluntate , quin  
suadeat esse de sua mente : ut accidit  
quando Deus præcipit , aut consiliat er-  
rorem : ergo poterit facere miraculum  
in confirmationem doctrinæ falsæ , per  
quod suadeat obiectivè illud obiectum  
esse de sua voluntate , quin denotet esse  
de sua mente. *Confirm.* Deus potest in-  
tendere errorem : ergo potest assumere  
medium aptum , quod ex se malum non  
sit. Sed miraculum est medium aptum ,  
& ex se non est malum : ergò. *Resp.*  
*conc. ant. neg. conseq.* Quia miracula  
non habent vim suadendi , nisi quatenus  
denotant esse de mente Dei : quia  
ideo suadent , quia apud omnes Gentes  
ostendunt illam doctrinam esse veram.  
*Vel clarius :* *Conc. ant. dist. conseq.* Si  
aliundè denotet , miraculum fieri , ut  
suadeat obiectum esse de sua volunta-  
te ; non vero de sua mente , *conc. conf.*

Permissa implicat ; præcisè per positio-  
nem miraculi confirmativi erroris , &  
facti ex intentione confirmandi erro-  
rem , neg. conf. *Ad confirm.* Conc. ant.  
dist. conf. Quod ex se malum non sit,  
neque hic , & nunc , seu nec per acci-  
dens , conc. conf. si hic . & nunc & per  
accidens malum sit , neg. conf. & dist.  
min. & esset malum per accidens , &  
hic ; & nunc , conc. min. & neg. conf.  
Quia fieri ex intentione illa est acci-  
dentalē miraculo ; & hoc ipso est ma-  
lum , quia esset locutio falsa : sicut ver-  
bis accidentale est esse mendacium: quia  
accidentaliter significant hoc præ illo,  
& dum sunt mendacia sunt mala. Mitto  
hæc probare miraculum fieri posse ex  
directa intentione confirmandi erro-  
rem , ut constat ex forma arguendi.

18 Dices : Iuxta nos Deus potest  
causare per se errorem moralem , & il-  
lum consiliare modo dicto : quia bo-  
num , non verò quia verum ; & osten-  
dendo illum esse de sua voluntate , non  
verò de sua mente : ergo poterit simili-  
tèr confirmare errorem , quia bonum ,  
non verò quia verum. *Risp.* conc. ant.  
& conf. in eodem sensu ; hoc est , sicut  
diximus , quod in casu ignorantie in-  
vin.

vincibilis, si rogaretur Deus, an tene-  
 retur assentiri quaternitati persona-  
 rum; posset etiam facere miraculum  
 ad confirmandum, quod in tali casu te-  
 netur; non vero ad confirmandum da-  
 ri quaternitatem personarum: quomo-  
 do autem tunc non concurrat per se  
 ad confirmandam doctrinam falsam, di-  
 cimus infra; debet namque tunc con-  
 stare prudenter miraculum fieri ad  
 confirmandum assensum in tali casu es-  
 se bonum; non vero ad confirmandum  
 assensum esse verum. Adverte etiam,  
 quod licet de ratione miraculi secun-  
 dum se non sit esse signum locutivum;  
 quia de facto fiunt plura miracula, vel  
 saltem fieri possunt, quae non loquan-  
 tur veritate in Eucharistiae determina-  
 te, tamen de ratione miraculi, ut con-  
 firmantis aliquam doctrinam est esse  
 locutionem: sicut non est de essentia  
 harum vocum, *Petrus est albus*, signifi-  
 care Petrum esse album, tamen de ra-  
 tione harum vocum, ut confirmantium  
 Petrum esse album, est significare, Pe-  
 trum esse album: quia non aliam ha-  
 bent vim hoc confirmandi,  
 quam hoc dicendo,



## §. I.

*An possit Deus facere vera miracula in circumstantijs, in quibus ex malitia ministri confirmatur doctrina falsa?*

19 Dico 3. Moraliter repugnat Deum facere miracula in circumstantijs in quibus ex prava intentione ministri per se confirmatur doctrina falsa. Prob. Ad divinam providentiam spectat non permittere, quod secta Lutherana, & Calviniana ita notoriè, & publicè proponatur sub eius nomine, & autoritate, ut homines teneantur credere illa esse dicta à Deo. Sed ita accideret in dicto casu: ergo ad divinam providentiam pertinet illud non permittere: & consequenter illud moraliter repugnat. Maior videtur vera: quia tunc, ut dicit Richardus, iure quereremur de Deo.

20 Dico 4. Repugnat metaphysicè Deum facere vera miracula in circumstantijs in quibus per se confirmetur doctrina falsa; seu in circumstantijs in quibus non possit prudenter dubitare.

hicari miraculum fieri ex alia intentione. Prob. 1. Deus adhuc metaphysice, non potest esse falsitatis testis. Sed si faceret miraculum in illis circumstantijs, esset falsitatis testis : ergo, Prob. min. ex D. Thom. quodlib. 2. artic. 6. ad 4. Coniungere non potest, quod aliquis falsam doctrinam anuntians vera miracula faciat, qua nisi virtute divina fieri non possunt : sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile. Et in 2. ad Thes. 2. seqq. 2. loquens de Antichr. Nullus contra fidem faciet vera miracula quia Deus non est testis falsitatis. Unde aliquis predicans falsam doctrinam, non potest facere miracula ; licet aliquis habens malam vitam posset. In quibus etiam loquitur de alia providentia, ut verba denotant, vide alia concl. antec.

21 Prob. 2. Si Deus faceret miracula in dicto casu mentiretur. Sed Deus mentiri non potest adhuc de potentia absoluta : ergo &c. Prob. mai. Qui proferret verba, quæ non habent aliam vim significandi rem ; nisi denotando illam esse de mente loquentis, in circumstantijs, in quibus per se denotetur apponi ad significandum aliquid falsum, falso loquitur, & mentitur.

tur. Sed Deus faceret miracula , quæ ex dictis non habent aliam vim signifi- candi rem , nisi denotando illam esse de mente loquentis , in circumstantijs , in ejibus per se denotatur apponi ad signi- ficandum aliquid falsum : ergo men- tiretur. Maior est certa etiam apud Ad- versarios : quia hæc esset deceptio acti- va ; & ex illa non sequentur minora incommoda , quam ex mendacio forma- li : min. constat ex dictis : & conse- quentia legitimè videtur inferri .

22 Confirm. Miracula esse con- testationes , signa , nutus , & locutio Dei , saltem virtualiter , & modo suffi- cienti , vt sint locutio , non consistit in intentione occulta Dei , sed in circum- stantijs notis , in quibus ratione mira- euli prudenter suadetur illa doctrina . Sed per vos in illis circumstantijs pru- denter suaderetur ea doctrina ratione miraculi : ergo miraculum sufficienti modo esset locutio Dei . Prob. mai . Quādo Apostoli confirmabant doctrinam miraculis , audientes prudenter credebant ratione miraculi , eam do-ctrinam esse Dei , & miraculum ag- noscebant , vt contestationem Dei . Sed intentio formalis Dei , & finis facien- di

di miraculum: in se erat occulta, & solum erant notæ circumstantiæ: ergo quod miracula sint locutio sufficienti modo, non consistit in intentione occulta, sed in eo quod miraculū fiat in circumstantijs notis, in quibus ratione miraculi prudenter suadetur per se doctrina.

23 Explicat. Implicit Deum vii nostris vocibus, v. gr. his, *non datur Incarnatio*, in circumstantijs, in quibus denotetur falsa doctrina, nisi manifestando se ab illis vocibus auferre vulgarem significationem, non alia ratione, nisi quia apud homines ita significant, & ideo eas sic proferre esset mentiri, & prolatione esset locutio falsa. Sed omnes persuasi sunt, vera miracula significare, sive ex natura sua, sive ex institutione Dei, veritatem illius doctrinæ, quæ per se suadetur miraculo: ergo implicit Deum facere vera miracula, in circumstantijs in quibus per se denotetur falsa doctrina, si dubitari non possit fieri ex alia intentione, etiam si miracula solum haberent denotare veritatem doctrinæ ex institutione Dei: quia patratio esset sufficienter locutio falsa, & mendacium.

24 2. Eatenus tunc non mentiretur

tut Deus , quia non haberet intentionem sufficientem ad mentiendum , scilicet intentionem faciendi miraculum in confirmationem talis doctrinæ. Sed in illo casu haberet intentionem saltem virtualem faciendi miraculum in confirmationem talis doctrinæ: ergo mentiretur. Probatur min. 1. Si proferens has voces , *Non datur Incarnatio* , sine intentione formalis dicendi , quod significant ; haberet tamen intentionem virtualem dicendi , quod significant: ergo. 2. Si quis rogaret Petrum quod facheret aliquam actionem ad denotandum dictum in re falsum esse de sua mente , Petrus faciens dictam actionem in circumstantijs , quibus prudenter dubitari non posset eam facere ad alium finem , haberet intentionem saltem virtualem manifestandi illud dictum esse de sua mente : ergo si Deus rogatus a ministro , ut confirmaret dictum falsum esse de sua mente per aliquod miraculum , facheret miraculum , saltem virtualliter denotaret , illud dictum esse de sua mente. Et ratio est: quia miraculum , vel se solo est loquutio Dei pro illis circumstantijs , vel completur in esse locutionis per illas circumstantias: quia

illæ circumstantiæ sunt quædam con-  
ventio inter Deum , & ministrum , vt  
miraculum significet doctrinam supra  
quam cadit: siquidem , ut diximus , mi-  
racula non habent aliam vim suadendi  
doctrinam , nisi quatenus denotant  
eam esse de mente Dei . *Confirm.* Si Mi-  
nister Regius falsa scriberet , & Rex  
sciens firmaret , & signaret litteras ,  
etiam renuens , contestaretur falsita-  
tem , nisi aliundè denotaret contrariam  
intentionem . Sed miracula in dictis  
circumstantijs sunt sygillum Dei , &  
quasi subscriptio , quo firmat doctri-  
nam : ergo sufficienter contestaretur  
eam doctrinam esse de sua mente , nisi  
aliunde denotet intentionem con-  
trariam .

25 *Confirm.* Tunc datur inten-  
tio sufficiens , vt verba sint locutio  
quando serio proferuntur in circum-  
stantijs , quibus per se denotatur pro-  
ferri ex animo loquendi . Sed in dicto  
casu miracula , quæ sunt signa locutiva ,  
& verba Dei , serio proferuntur in cit-  
cumstantijs , quibus per se denotatur  
proferrī ex animo loquendi illam do-  
ctrinam : ergo sunt locutio Dei de tali  
doctrina . Tandem . Miracula sic facta  
red-

redderent prudenter credibilem doctrinam , iuxta omnes : ergo Deus causando per se miraculum esset causa per se erroris , & deceptionis. Sed implicat, quod Deus sit causa per se erroris moralis , & deceptionis , antecedenter ad suppositionem contingentem , ut diximus disp. 3. ergo. *Aliter.* Si miracula sic fieri possent , non redderent prudenter credibilem doctrinam. Sed per vos repugnat casus in quo non reddant prudenter credibilem doctrinam, nisi Deus manifestet fieri ex alia intentione : ergo repugnat casus , quo ita siant. Prob. mai. Medium æquè indifferens ad verum , ac falsum , non persuadet doctrinam esse veram. Sed si miracula sic fieri possent , essent medium ex se , & ex circumstantijs indifferens ad verum , & falsum : ergo. Prob. min. Medium, quod ex se , & ex circumstantijs est indifferens , vt denotet doctrinam esse de mente loquentis ; & non habet aliud modum suadendi esse verum , nisi quantum denotat esse de mente , est indifferens ad falsum. Sed tale est hoc : ergo.

26 Confirmat. Demus proponit Gentili nostram fidem , & quod Minister in confirmationem faciat miraculum,

Ium , suscitet mortuum . Si Gentilis dī-  
cat , miraculo non fieri ipsi credibilem  
doctrinam : quia miracula possunt fieri  
in confirmationem falsæ doctrinæ : va-  
dè convincetur , ne formidet ? Non  
ex miraculo . Non ex eo , quod mini-  
ster dicat in his circumstantijs non fie-  
ri in confirmationem falsæ doctrinæ :  
quia de hoc formidat . Non ex Scrip-  
tura , aut Ecclesia afferente , Deum non  
posse facere miracula in confirma-  
tionem erroris in hac providentia . 1. Quia  
ipsi non sunt notæ Scripturæ , nec au-  
thoritas Ecclesiæ . 2. Quia miracula  
sunt indifferentia ad hanc , & aliam  
providentiam ; quomodo ergo cognos-  
ceret ea esse facta in hac providentia ; &  
non in alia : ergo dicendum est Deum  
non posse facere miracula in confirma-  
tionem falsæ doctrinæ , ne dicamus huic  
non posse fieri credibilem nostram  
fidem .

27 Dices : Hæc probare non pos-  
se Deum facere miraculum in illis cir-  
cumstantijs , quando per se illud ope-  
ratur ; si verò concessit ministro virtu-  
tem faciendi miraculum , non loquetur  
Deus per tale miraculum : quia erit pu-  
tē permisum à Deo , & locatio debet

esse propriè per se , & libere causata à loquente. Contra:quia , vt bene P. Ripalda , Deus nunquam potest esse purè permissor miraculi: sicut iuxta communem sententiam nunquam potest esse purè permissor operis supernaturalis; imò neque naturalis boni : itaque minister semper erit causa instrumentalis miraculi; & quamvis efficienter produceret miraculum minister , Deus esset causa principalis.

28 Dices 2. Saltem si Deus decrevit , & manifestavit ministro resurrectionem mortui crastinam ; poterit minister prædicare doctrinam falsam , & in confirmationem offerre resurrectionem mortui , in dictis circumstantijs; cum enim decretum de miraculo non sit consequens visionem abusus ministri , miraculum non erit locutio Dei. Contra quia vt miraculum sit locutio Dei sufficit , quod decretum sit post scientiam conditionatam de abusu ministri : Si enim esset locutio factum post visionem absolutam abusus , cur non erit locutio , si fiat post scientiam conditionatam ? Miraculum tamen antea factum potest ordinare minister ad confirmandam doctrinam falsam; quia miraculum

Antea factum non se prodit confirmati-  
vum doctrinæ modo prædicatæ ; sed  
Minister illud prodit : quomodo enim  
confirmabitur doctrina modo inventa  
ex eo quod Christus suscitaverit La-  
zarum.

29 Ex his patet, quod etsi non de-  
ceat Deum , quod à Parocho propo-  
natur error sub obligatione credendi,  
quin teneatur illum vitare. Imò quod  
Deus possit causare errorem moralem,  
& infundere errorem physicum , & fa-  
cere miraculum in eius infusione , &  
disponere media ad persuadendum er-  
rorem modo dicto ; non potest facere  
miraculum , quo per interpositionem  
authoritatis errorem confirmet : quia  
ex primis non sequitur quod Deus mé-  
tiatur; nec speciale absurdum, propter  
dicta. Ex 2. sequitur , quod mentire-  
tur : tale namque miraculum eatenus  
vim habet confirmandi illam verita-  
tem , quatenus ostendit esse de mente  
Dei: miraculum itaque influere potest  
in errorem subiectivè , & exercitè ; id  
est , potest Deus miraculosè causare  
per se errorem pure physicum , effi-  
ciendo miraculosè errorem. Sed non  
potest Deus causare errorem obiectivè

medio miraculo, seu interponendo meo  
dio illo suam authoritatem. Seu Deus  
potest caufare per se errorem, vt *causa*  
*physica*, non vt *causa testificativa*: nec  
ex pacto, & conveatione, qua miracu-  
lum offeratur in signum veritatis do-  
ctrinæ, nisi constet oppositum: alijs  
posset facere miraculum ex directa in-  
tentione causandi sic errorem.

30 Dices 3. fallaciter: Deus po-  
test facere miracula in circumstantijs  
quibus per se non suadeat doctrinam  
falsam. Sed in dictis circumstantijs non  
suadet per se doctrinam falsam: ergo &c.  
Prob. min. Quando prudenter potest  
formidari miraculum fieri ex alia in-  
tentione, non suadet per se doctrinam  
ad cuius præsentiam fit. Sed prudenter  
potest formidari fieri ex alia intentio-  
ne: ergo &c. Prob. min. Quando pro-  
babile est, Deum posse facere miracu-  
lum in illis circumstantijs ex alia in-  
tentione, potest prudenter formidari,  
an fiat ex alia intentione: quia forte  
tunc fit ex alia intentione. Sed proba-  
bile est, Deum posse facere miraculum  
in illis circumstantijs ex alia intentio-  
ne: ergo potest formidari an fiat ex alia  
intentione. His, & sequentibus mallem  
audiens

audire, quam respondere: quia fallacia est nota; sed solutio implexa pro reflexis.

31 Ad respondendum sciendum est: Non posse prudenter iudicari, nec dubitari, Deum hic, & nunc, & in quo-vis casu singulari, facere miraculum ex intentione confirmandi doctrinam falsam: neque ex intentione confirmandi doctrinam diversam ab ea, quæ confirmatur per miracula: quia aliquid posse fieri, non sufficit ad dubitandum modo fieri: sic ferè omnia accidentia possunt esse sine subiecto: & hoc non sufficit ad iudicandum, nec dubitandum, nec prudenter formidandum, modo esse sine subiecto. In illo casu etiam iuxta Adversarios miraculum esset argumentum credibilitatis, adeoque haberet vim suadendi doctrinam ad cuius præsentiam sit: alias nunquam esset argumentum credibilitatis. *Resp.* conc. mai. neg. min. Ad prob. conc. mai. neg. min. ad cuius probat. dist. mai. Quando probabile est Deum posse facere miraculum ex alia intentione in illis circumstantijs, potest prudenter formidari, an fiat ex alia intentione, si miraculum non sit argumentum credibilitatis illius do-

**D**octrinæ , conc. mai. si sit argumentum credibilitatis illius doctrinæ , neg. mai. perm. implicatione : quia si est argumentum credibilitatis doctrinæ , ad cuius præsentiam fit , per se illam suadet ; cum autem per se illam suader , non potest prudenter formidari , an tunc fiat ex alia intentione : sicut ferè omnia accidentia possunt esse sine subiecto ; & non potest prudenter formidari , modo ita esse : quia non datur adhuc leve fundamentum , ut ita sit . Deinde , si tunc miraculum per se suadet eam doctrinam , Deus per miraculum esset causa per se erroris moralis antecedenter ad suppositionem contingentē , quod timeri non potest , & dist. min. & non datur fundamentum leve , ut ita fiat , cone. min. & datur , neg. min. & conf. Quia miraculum etiam iuxta Adversos , est argumentum credibilitatis doctrinæ ad cuius præsentiam fit : quo dato sine fundamento adhuc levi in contrarium , non potest formidari hic , & nunc fieri miraculum ex alia intentione .

32 Instabis : Per nos si Deus posset mentiri de potentia absoluta , non esset dignus fide de facto : quia forte tunc mentitur , dum præcipit ut illi

credamus: ergo si probabile est, Deum posse facere miraculum ex alia intentione in illis circumstantijs, potest formidari, an siat ex alia intentione, quamvis sit argumentum credibilitatis: quia fortè tunc sit ex alia intentione, quando suadet fieri ex hac intentione. Nonne argumentum occasionem præbet dicendi, non esse probabilem sententiam oppositam? Absit. Ideò ad illud, sciendum est, sola miracula non reddere moraliter certam aliquam doctrinam certitudine absoluta exacta ad fidem; sed alia certitudine morali minus stricta; sed excedente probabilitatem. *Resp.* conc. ant. Quia assensus fidei debet esse omnino certus, & sineulla non solum formidine; sed nec tempore minimo, attenta authoritate: qui tempore daretur si mentiri posset: sicut daretur hic tempore, si solis miraculis confirmaretur doctrina, attento arguento, eo quod probabilis sit sententia opposita, & in hoc sensu intelligitur, quod si probabile esset, Deum posse mentiri, formidare possemus, quod mentitur, dum præcipit, ut credamus: dist. conseq. potest formidari, quando dantur alia argumenta credibilitatis, neg. mai. quando

non dantur, subdicit. potest formidari formidine composita cum certitudine morali, et si minus stricta, conc. cons. aliter, neg. cons. ut vidimus exempla accidentium sine subiecto: quia posse fieri, non sufficit ad formidandum factum esse, quando non datur adhuc levare fundamentum, ut sit factum: & dantur gravissima fundamenta, ut non sit factum. Sicut posse esse destructam Romanam, non sufficit ad formidandum esse destructam. Deinde, quia cum Deus causaret per se errorem antecedenter ad suppositionem contingentem, si per miraculum suaderet cum certitudine morali, et si minus stricta, doctrinam falsam, quod timeri non potest, nunc accidere: hinc est, quod non potest facere miraculum in illis circumstantijs ex alia intentione.

33 Infistes: Id est possibile, in quo non appareret implicatio. Sed non apparet implicatio in possibiliitate talis miraculi: ergo. Prob. min. Non apparet implicitorum, quod prudenter potest asseri. Sed prudenter potest asseri possibile tale miraculum: ergo Prob. min. Prudenter potest asseri, quod est probabile. Sed probabile est esse possibile

bile tale miraculum : ergo. Dist. mai. In quo non appareat implicatio adhuc probabilitè, conc. mai. aliter, neg. mai. & in hoc sensu neg. min. Ad prob. dicitur. mai. Quod prudentè potest asseri, & verè, & directè, conc. mai. & falso, & reflexè, neg. mai. & hoc sensu neg. min. & dist. mai. eodem modo. Hæc sunt implexa; sed vera, iuxta se è omnes, & iuxta omnes.

34 Dices 4. Eaténus non posset Deus facere miraculum in dictis circumstantijs: quia miraculum est locutio Dei: ergo quando prudentè dubitari potest, an sit locutio Dei, potest fieri miraculum; sed semper dubitari potest, an sit locutio Dei in alia providentia miraculosa: quia probabile est non esse locutionem Dei, nisi in hac providentia: ergo in alia providentia potest Deus facere miracula in dictis circumstantijs. *Resp.* dist. ant. Quatenus miraculum est locutio Dei, saltem est argumentum credibilitatis, quo posito, Deus activè nos deciperet, conc. ant. præcisè, quia est locutio iuxta aliquos, neg. ant. & dist. cons. si non sit tunc argumentum credibilitatis, conc. cons. si sit, permis. supposito primæ

partis, neg. conseq. & dist. mis. & in hoc, illo, & quovis singulari casu determinato dubitari potest, dari illam providentiam, neg. min. & non potest dubitari, conc. min. & neg. cons. Itaque omnes (saltem si excipias Bañez) dicunt miracula esse locutionem doctrinæ confirmatæ per illa in hac providenti, probabile est, Deum posse facere miracula in alia providentia, quæ non sint locutio doctrinæ confirmatæ. Sed nullus est casus singularis in quo, & confirmetur doctrina; & simel sic fundamentum adhuc leve, *Nunc non est locutio*. Et ideo nullo casu singulari determinato dubitari potest, nec prudenter verè formidari, *Nunc non est locutio*; sed ad summum solum poterit tepide afferi esse locutionem, attento solo argumento miraculorum, seu quando non dantur alia argumenta pro illa doctrina, ut constat exemplo accidentium, & Romæ destructæ suprà allato: quia modo non potest formidari, *Nunc est casus alterius providentia*, in quo sunt sine subiecto: in quo destruxta sit Roma. Has fallacias ludi causa propnere placuit, ne similibus illudamur. Deinde in quovis casu singulati, quo fie-

heret miraculum in dictis circumstan-  
tijis Deus esset causa per se peccati , &  
peccaret ; cum antecedenter ad suppo-  
sitionem contingentem causaret per se  
errorem .

## SECTIO IIJ.

*Solvuntur objectiones.*

35

**O** Bijc. i. Si Deus præcipe-  
ret viro Sancto , ut sua-  
deret bellum contra Manros , & in con-  
firmationem divini præcepti ficeret  
miracula magna , & evidētia , talia ut  
Rex , Principes , & populus hilares mo-  
veruntur ad bellum , illa miracula per  
se suaderent bonum exitum belli . Sed  
cum his componitur infelix exitus bel-  
li : ergo potest Deus facere miracula ,  
quando hæc per se confirmant doctrinam  
falsam . Prob. min. D. Bernardus  
in expeditione Ierosolymitana persua-  
dit iussu Pontificis Eugenij IIJ. bellum  
contra Turcas , & in confirmationem ,  
quod Deus ei præciperet fideles hotta-  
ri ad bellum , fecit magna , & evidētia  
miracula , quibus adeò movit Imper-  
torem Conradum , & Ludovicum Re-

gem Galiae, ut ipsi magnos ducentes exercitus ad bellum exierint; cum autem Dei iudicio exercitus destructus fuerit ab hostibus, Europa conquesta est de Div. Bernardo tanquam seductore, & Propheta falso. Quo tempore cum adduceretur cæcus ad D. Bernandum, dixit; Si hic sanaverit, erit signum, quod assistentia Spiritus Sancti hortatus sim ad bellum Ierosolymitanum: & per impositionem manus sanavit cæcum, quo illa tempestas sedata est. Ita Guillielm. Abbas lib. 3. vitæ, cap. 4. & ipse Bernardus refert lib. 2. de Consideratione ad Eug. Resp. Neg. absolute mai. quia posset Deus non facere miracula in confirmationem boni exitus belli, ut in casu D. Bernardi, sed solum in confirmationem præcepti divini de suaſione belli, quod, vel iuxta Dei voluntatem punitivam infelicitè evenit; ideoque præcepit bellum ut puniret infelici eventu. Vel, ut ipse dicit lib. 2. de Consid. Deus medijs illis calamitatibus voluit multos salvare, quod pi credendum est evenisse.

36 Obijc. 2. Primo Reg. 28. ibi Saul ad Pithoniam, ut suscitaret Samuelem, vers. 11. Samuelem mihi suscita.

Vita; qui nuntiaret de eventu prælii  
Philistinorum. Samuel miraculo sus-  
citatus est, quia vers. 14. *Saul intellege-*  
*xit, quod Samuel, esset;* & vers. 15. *Dixit Samuel ad Saul,* quare *in-*  
*quietasti me ut suscitarer?* Et quod  
verus fuisset Samuel; licet Tertulian.  
Hieronim. Isidorusque existiment so-  
lum apparuisse Samuelis phantasma, ta-  
men opposita sententia communis est  
nostris sæculis, & constat ex Eccles. 46.  
loquendo de Samuele. *Et post hæc dor-*  
*mivit, & notum fecit Regi, & ostendit*  
*illi finem vitæ sua, & exaltavit vocem*  
*suam de terra in prophecia:* de quo ait  
V. Gaspar Sanchez, *Est locus illustris,*  
*cui si antiqui PP. fidem Canonicam cog-*  
*novissent aliter sine dubio loquuti fuissent.*  
Nunc sic: Deus fecit miraculum susci-  
tandi Samuelem ad characteres, & ar-  
tes Pythonisæ: & hoc miraculo confir-  
matur doctrina falsa, scilicet arte dœ-  
monis posse suscitari mortuos: ergo  
Deus potest facere miracula in confir-  
mationem doctrinæ falsæ. Ante solu-  
tionem audiamus Div. Thom. 2. 2.  
quæst. 174. art. 5. ad 4. *Anima Samue-  
lis voluntate Dei eventum belli anunzia-  
vit Sauli: Nec obstat, quod arte dæmo-*

num hoc dicitur factum : quia et si dæmones animam alicuius Sancti evocare non possint , nec cogere ad aliquid agendum , potest tamen hoc fieri , ut dum dæmon consulitur , ipse Deus per suum Nuntium veritatem enuntiet : sicut per Eliam respondit veritatem Nuntijs Regis Ochozie , qui mittebantur ad consulendum Accaron . 4. Reg . 1. Idem habet lib . 89. quæst . 9. cap . artic . 8. & similia habet August . lib . de Cura pro mortuis , cap . 15. Resp . Ibi bene constare non fuscitatum Samuelem arte magica : quia Pythonisa perterrita est , vers . 12. Cum autem vidisset mulier Samuelem , exclamavit voce magna , dixit ad Saul : quare imposuisti mihi ? Vers . 13. Deos vidi ascendentes de terra : quibus aperte monstravit insolitam fuisse arti suæ similem fuscitationem . Qui occasionaliter tunc fuscitus est , vel in pœnam , vel in salutem Saulis iuxta illud : *Cras in , & filij tuoi mecum eritis , quæ futura etiam non possunt prædicti à dœmone .*

36 Obijc . 3. Facere miraculum in illis circumstantijs , non suadet Deum habere intentionem manifestandi illam doctrinam esse de sua mente ; sed solum  
ins-

intentionem manifestandi , & suadendi illam doctrinam : ergo etsi faceret miraculum in illis circumstantijs , non mentiretur : quia non habet quod requiritur ad locutionem. Prob. ant. Deum media nocte producere lucem manifestativam rerum , non suadet dari in Deo intentionem manifestandi illas res esse de sua mente , sed solum intentionem manifestandi illas res : ergo Deum facere miraculum manifestativum doctrinæ , non suadet dari in Deo intentionem manifestandi doctrinam esse de sua mente ; sed solum intentionem manifestandi eam doctrinam. Argumentum probat eadem ratione posse à Deo fieri miracula ex directa intentione confirmandi doctrinam falsam.

Resp. Neg. antec. ad prob. conc. antec. neg. cons. disparitas stat in diverso modo manifestandi , quia lux suadet obiectum per modum conditionis illud applicantis potentiae visivæ: Ideoq; miraculum producendi lucem solum arguit intentionem manifestandi illa obiecta , et verò miracula , ex dictis, non alias vires habent manifestandi obiectum , nisi quatenus sunt signa loquutiva indicantia , illud esse de mente lo-

quentis: Ideòque si fiat in circūstantijs,  
quibus per se suadetur aliqua doctrina,  
hoc ipso indicat illam esse mentem Dei.

37 Obijc. 4. Si Deus Eucharistiam instituisset, ita ut maneret in carne visibili, poneretur visibilis ad præsentiam verborum consecrationis, etiam casu quo consecrans abutetur hoc miraculo ad confirmandam doctrinam falsam. Item, si Deus concessisset alicui gratiam sanitatis, sanaret ægrotos, etiam casu quo minister offerret miraculum sanitatis in confirmationem doctrinæ falsæ: ergo saltem dum Deus medio ministro facit miraculum potest illud facere in circumstantijs, quibus minister eo abutatur ad confirmandam doctrinam falsam. *Resp.* Deum facturum dicta miracula, si in illis circumstantijs non confirmetur per se doctrina falsa; secus aliter. In casu tamen consecrationis fortè non confirmaretur per se doctrina falsa: quia mediocriter credentes, sciunt Christum ex vi verborum extitutum ibi, quamvis minister ex malo fine consecret; & sciunt illud miraculum esse liberum Sacerdoti: quia data est ipsi virtus ad illud faciendum ex quovis sine: Ideòque suspicari possunt,

sant; miraculum non fieri in confirmationem illius doctrinæ; sed non posset ita consecrare in terris remotis, ubi non haberetur fundamentum ad iudicandum virtutem illam datam esse ad consecrandum universaliter ex quovis fine, nisi Deus, ut dicit Lumbier de Fide, quæst. 4. artic. 2. præconizaret, miraculum fieri à Deo ex alio fine.

38 Idem dico de gratia sanitatis. Si detur fundamentum ad iudicandum gratiam sanitatis datam esse ad vtendum illa ex quovis fine, sanitas ægroti non confirmabit per se doctrinam: Ideoque non sanabit ægrum in confirmationem doctrinæ falsæ in circumstantijs, quibus non possit prudenter iudicari virtutem sanandi datam esse ad vtendum illa etiam ex malo fine: quia Deus tacens virtualiter loqueretur per miraculum doctrinam falsam; sicut non potest uti verbis amphibologicis in circumstantijs, quibus non possit iudicari ea verba habere aliud sensum. Vnde in casu quæstionis non privatur Deus ex malitia ministri potestate faciendi miraculum: quia potest in illo casu facere miraculum, ostendendo fieri ex alio fine; si autem nolit ostendere fieri ex

alio fine ; per hanc nolitionem, & non per malitiam ministri impeditur Deus à patratione miraculi.

39 Dices : Deus potest loqui amphibologicè : ergo etsi miracula sint locutio, poterit facere miracula æquivalentia locutioni amphibologicæ , seu amphibologica suadentia verum, & falsum. Prob. conf. ponendo casum. Promittat verus minister suscitationem mortui crafstinam in confirmationem veræ doctrinæ : Sciat hoc falsus Propheta , & promittat illam suscitationem mortui in confirmationem falsæ doctrinæ , tunc Deus posset facere miraculum. Sed illud æquè suaderet vnam, ac aliam doctrinam : ergo potest facere miraculum in circumstantijs , quibus æquè suadeatur verum, ac falsum. *Resp.* quod sicut Deus non potest uti verbis æquivocis in circumstantijs , quibus reddatur prudenter credibilis doctrina falsa ; id est , sine prudenti formidine oppositi ; ita in ijsdem non potest facere miracula amphibologica. Fortè tamen dicet aliquis , quod poterit facere miracula amphibologica , etsi probabilitè reddatur suavisibilis doctrina falsa, dummodo sit suavisibile oppositum esse

de mente Dei , & doctrinam illam falsam non suaderi miraculo : sicut verba Scripturæ probabilitè explicantur sæpe , & à viris SS. in sensu in re falso. Sed hoc aliorum iudicio relinquo. Et ideo fortè in casu posito poterit facere miraculum, quin ostendat, pro qua doctrina confirmanda illud faciat. Si tamen doctrina esset de his , quæ teneamus credere, existimo non posse facere eiusmodi miraculum apud Barbaros, nisi ostendendo pro qua doctrina confirmanda id faciat : sic enim magis piè sentiemus de Deo , removendo quantum possumus causalitatem per se erroris tam pernitiösi.

**40 Obijc. 5.** Eatenus Deus non posset facere miracula in dictis circumstantijs , quatenus cooperaretur abusui ministri offerentis miracula ad confirmandam doctrinam. Sed quamvis facret miracula , non cooperaretur abusui ministri : ergo potest facere miracula. Prob. min. Potest minister abuti potestate supernaturali consecrandi , & gratia sanandi ex fine vanæ gloriæ. Sed tunc Deus esset causa per se consecrationis , & sanitatis , & solum esset permissor abusus ministri, quia potest per-

se influere in consecrationem , & sanitatem , quin intendat adhuc virtualiter abusum ministri: ergo quamvis ficeret miracula, non cooperaretur abusui ministri illa offerentis in confirmationem falsæ doctrinæ.

41 Ut clarè procedamus , duplex abusus distinguendus est in offerente miracula ad confirmandam doctrinam falsam: alter consistens in eius mala intentione , & in hunc non influit Deus per se, et si ficeret miracula: alter est deceptio aliorum interposita autoritate Dei ; & in hunc influeret Deus per se: quia idem est facere miracula in illis circumstantijs , & nolle ostendere fieri ex alio fine , ac virtualiter dicere illam doctrinam esse de sua mente. Hinc patet ad exempla. In abusu potestatis consecrandi , & gratiæ sanitatis non est aliis abusus, quam mala intentio ministri, & verba, & actiones naturales inde ortæ , in quas non influit Deus per se ; consecratio , & sanitas per se sunt bonæ, & à solo Deo physicè elicité, nec vitiantur respectu Dei ex mala intentione ministri : quia Deus non vult illas ut intentas à ministro ; sed illas secundum se. Vnde non est mirum, Deum posse

posse illas causare per se , quin per se cooperetur abusui ministri : in primo tamen casu datur duplex abusus , & uterque malus , & quæcumvis Deus non sit causa per se malæ intentionis ministri , erit causa per se deceptionis interposita auctoritate Dei .

42 Insistet : Quamvis homo dicere , Deum facere miracula ad confirmandam doctrinam falsam , non ideo Deus concurret per se . 1. Quia homo nec per suum dictum , nec aliter , potest obligare Deum , ut concurrat per se ad actiones pravas . 2. Quia hominis dictum , & circumstantiae , in quibus sit miraculum , non obligant Deum fortius , quam lex , & necessitas naturalis concurrendi cum creaturis ad actiones pravas . Sed haec lex non obligat Deum ad concurrendum plusquam permissivè ad actiones pravas : ergo nec illæ circumstantiae . 3. Posset Martyr facere miraculum apertum in confirmationem suæ doctrinæ , ita ut audientes dicerent vera est huius doctrina . Sed nescimus quænam sit eius doctrina ; accidat assistance haereticum , qui dicat doctrinam Martyris esse hunc , & illum errorem Lutheri : ecce quomodo possit fieri

miraculum in confirmationem erroris;  
*Res p. conc.*, ant. quod rectè probatur;  
 sed nihil contra nos: quia ratio cur  
 Deus concurrit per se ad confirmationem  
 illius doctrinæ, non est quia ho-  
 mo dicit miraculum fieri in confirma-  
 tionem doctrinæ; sed quia Deus non  
 vult manifestare miraculum fieri ex  
 alio fine: Si enim hoc manifestaret, pos-  
 set facere miraculum, quin per se con-  
 curreret ad confirmationem doctrinæ,  
 etiam dicente hoc, miraculum fieri in  
 confirmationem doctrinæ. *Ad 3* Con-  
 cesso casu, neg. sequelam: quia non at-  
 testaretur per miraculum doctrinam  
 hæretici, cum per miraculum anterius  
 non confirmetur doctrina subsequens,  
 aliás etiam per resurrectionem Lazari  
 posset idem hæreticus suadere suam do-  
 ctrinam, dicendo factum esse in con-  
 firmationem huius, & illius erroris:  
 quia ratio est eadem: sicut ergo in hoc  
 casu deceptio tribueretur soli hæreti-  
 co; & Deus non tenetur id vitare; ita  
 & in primo.

*43 Obijc. 6.* Si miracula sint re-  
 velatio quamvis redundans, & non ne-  
 cessaria, qui evidentè cognosceret mi-  
 racula, evidentè cognosceret mysteria;

Sed

Sed hoc est falsum: quia dæmones evidentè cognoscebant miracula Christi, & fieri in confirmationem Deitatis ipsius; & tamen, ut inquit Div. Thom. 3. part. quæst. 44. artic. 1. ad 2. tantum suspicione coniestarunt eum esse Deum: ergo &c. Hoc argumentum est contra omnes: quia iuxta omnes in praesenti providentia miracula sunt revelationes Dei. *Resp.* conc. mai. scilicet, qui evidentè cognosceret miracula, evidentè cognosceret mysteria, si cognosceret etiam evidentè miracula fieri in confirmationem huius mysterij: quia tamen dæmones, vel non cognoscebant evidentè metaphysicè miracula, vel non cognoscebant evidentè fieri in confirmationem huius mysterij: quia ut inquit August. lib. 9. de Civit. Dei, cap. 21. *Christus tantum innovit dæmonibus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit.* Ideò non cognoverunt evidentè Christum; sed solum evidentè moraliter, ut insinuat D. Thom. 2. 2. quæst. 5. art. 2. afferendus disp. 7.

44 Obijc. 7. Doctrina falsa potest reddi ita prudenter credibilis per ficta miracula, ut prudenter dubitari non

possit esse vera miracula; immo talia futura aliqua miracula Antichristi dicunt Maluenda, & Granados: ergo doctrina falsa potest reddi prudenter credibilis veris miraculis. Prob. conf. Eatenus vera miracula in nostro casu essent loquutiones divinæ, quia se se proderent esse tales. Sed hæc ratio est nulla: quia ficta miracula in casu Antichristi se proderent esse revelationes divinas, & non forent: ergo nec vera miracula in nostro casu essent loquutiones divinæ. Resp. Neg. ant. & subsumptam prob. loquendo de credibilitate universali, cum Suarez, dicente Deum tenevi manifestare illa miracula ita similia veris esse ficta: Ideoque de alijs miraculis prævenit Deut. 13. *Si insurrexit in medio nui Prophetes, aut quasi somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & evenierit, quod locutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, non audies.* Corn. Quia ea signa divinitatis tibi non ostenderunt, quæ ego in Egypto, & deserto ostendi. Ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evagelizavimus vobis, anathema sit.* Et respectu Antichristi, dedit

dedit Deus notitias, & regulas ad cognoscendam falsitatem miraculorum Antichristi: & generaliter inter alias regulas dicit Clemens lib. 3. Recognitionum, *Quod miracula, que sunt à malo spiritu, nulli profunt; sicut quae à bono, & quod personæ patrantes miracula nullam patiuntur exceptionem in rectitudine morum.* Ita Suarez disp. 3. sect. 13. num. 9. Alias regulas dedimus ex Aug. & D. Thom. sect. 1. quia 2. regula patitur exceptionem assignatam à Div. Thom. & Aug. Hæc vera iudico respectu totius Ecclesiæ: quia respectu aliquis poterit etiam in hac providentia reddi credibilis falsa doctrina per ficta miracula: sicut per propositionem Parochi potest reddi credibilis quaternitas personarum. Sicut etiam S. Carolus Borromæus iussit deleri è Martyrologio aliquos, qui in ea Provincia habebantur, & celebrabantur, ut Sancti, & Innoc. XI. iussit auferri nomen Sancti à Ioann. Kala, qui ut Sanctus celebatur in Sicilia, & non semel contingit Concilia Provincialia errasse in rebus fidei proponendis. Vide Bellarmin. tom. 1. lib. 2. de Authori Conc. cap. 1.

45 Adde , per miracula facta non loqueretur Deus , quia miracula facta non sunt loquutio Dei; sicut si dæmon loqueretur per verba similia verbis Dei non loqueretur Deus per illa verba; ad modum quo Rex non sygillaret , quæ sygillantur per sygillum factum Regis. Nihilominus iudico Deum nec de potentia absoluta posse permettere per miracula falsa fieri vniuersaliter ita credibilem falsam doctrinam , ut prudenter formidari non posset esse falsam : quia sicut diximus Deum non posse mentiri de potentia absoluta quia si de potentia absoluta posset mentiri , timere possemus mentiri de facto : quia forte tunc mentitur , dum dicit se non mentitum de potentia ordinaria : Ita simili- ter si de potentia absoluta permettere posset , reddi vniuersaliter credibilem falsam doctrinam , timere possemus de facto reddi credibilem falsam doctrinam , vel saltem tepide assentiremur mysterijs præ creditibilitate : quia statim occurret : quid scio , *An dum reddi- tur credibile , quod in hac providentia non permittit , reddi credibilem falsam do- trinam , hoc accidat per facta miracu- la?* Itaque ex eo quod mysteria nostra fidei

fidei sint credibilia sine formidine nec  
tempore in fertur , nec de potentia ab-  
soluta posse reddi credibilem vniuersa-  
liter falsam doctrinam per facta miracu-  
la : alias Deus non esset de facto sum-  
me fidedignus respectu mysteriorum ;  
quia dignus est , quod non creditur  
summa firmitate , & sine tempore ille , cui  
non repugnat talia permittere , cum  
vitare posset. De hoc disp. 6.

46 Obijc. 8. Etsi Rex sciret suum  
ministrum sygillare aliquod testimo-  
nium per sygillum Regis contra Prin-  
cipis voluntatem , non loqueretur vir-  
tualiter per illud sygillum : ergo idem  
accidet in Deo respectu ministri , cui  
tradidit facultatem sygillandi doctri-  
nam per vera miracula. *Resp.* Dicit. an-  
tec. non loqueretur Rex , si non posset  
facile vitare talem sygillationem , aut  
ostendere , se non sygillare , permitto  
antecedens ; si haec posset facile neg. an-  
tec. cum tamen Deus facile possit vita-  
re tale miraculum , vel latenter ostende-  
re se non sygillare talem doctrinam ,  
hinc est quod in tali casu virtualiter  
loqueretur ; imò hinc sumitur do-  
ctrina ad superius argumentum. Rex  
non esset fidedignus per suum sygil-  
lum,

Ium, si in eius providentia regulari cadere posset, quod sciens, & potens facile impedire, permetteret per sygillum falso sygillati aliquas litteras: ergo neque Deus esset firmissime fidelis, si permittere posset, per sygillum falso sygillari universaliter falsam doctrinam.

46 Obijc. 9. Non datur minor connexio inter entitatem peccati, & malitiam, quam inter miraculum, & abusum. Sed Deus potest causare per se entitatem, & permettere malitiam: ergo poterit causare per se miraculum, & pure permettere abusum. Imò & abusum causare poterit per se, & sygillare quoad entitatem; non quoad malitiam. Argumentum forte vim habebit contra Thomistas. Nos conc. mai. negamus min. De quo latè disp. 5. de Peccatis.

47 Obijc. 10. Posset Deus solvere linguam muti, & quod hic inmediate proferret mysterium falso. Sed tunc confirmaret doctrinam falsam: ergo. 2. Si Deus omnibus notificaret, se nolle per miracula etiam extraordina-ria confirmare ullam doctrinam, tunc possent fieri miracula in confirmationem

nem doctrinæ falsæ. Tunc sic : ergo miracula non habent ex se esse locutionem doctrinæ , pro cuius confirmatione fiunt; sed ex lege Dei. Sed in alia providentia non esset lex Dei : ergo in alia providentia possunt fieri in confirmationem doctrinæ falsæ. Lumb er, & Munies. conc. mai. neg. min. Verius iudico non posse fieri illud miraculum, nisi aliunde satis constet , non esse factum ad proferendum errorem. *Ad 2.* conc. antec. neg. conf. quia lapis habet naturaliter motum deorsum ; & potest negari motus : habet igitur ex se esse locutionem , sed impediri potest per legem ab habendo in actu secundo, quod ex se petit habere in actu secundo , & conc. min. dist. conf. Si constat non fieri in confirm. conc. conf. si non constet , neg. conf. Quia si constet, non fieri in confirm. nec erunt locutio, nec argumenta credibilitatis : & contraria sententia dicit , posse fieri , dum etiam sint argumenta credibilitatis. Si non constet , saltem erunt argumenta credibilitatis : & hoc sufficeret , ne posset Deus ea facere : & virtualiter essent locutio in actu 2. Quia non habent viam studendi , nisi quatenus denotant esse de mente Dei.

## SECTIO IV.

*An assensus supernaturalis fidei divinae possit esse falsus?*

48 Sup. 1. Modo non disputa-

**S**tare, an falsitas repugnet omni assensui supernaturali: quia hæc est universalior quæstio, in qua Ripalda disp. 59. de Ente dicit, non repugnare assensum supernaturalem falsum; & licet id videatur extendere inter argumenta ad actum fidei; circa hunc suam mentem explicavit de fide infra.

49 Sup. 2. Ex duplice capite fingi posse fidei divinæ non repugnare falsitatem. 1. Quia Deus posset mentiri, vel falsum asserere. 2. Quia actus supernaturalis fidei posset ferri, & moveri ex revelatione falso existimata. Cum ergo dixerimus, Deum non posse mentiri, tota difficultas est, an assensus fidei possit ferri, & moveri ex revelatione falso existimata.

50 Scotus in 3. disp. 23. quæst. 1. inclinat, actum fidei posse moveri ex revelatione falso existimata: ut in casu frequenti rustici, qui assentiret mysterio

rio quia dicto à Deo. Et Ripalda de Ente , disp. 59. num. 33. dicit , posse sine temeritate defendi. Oviedo , duo dicit controv. 5. punct. 2. num. 15. dicit , actum fidei non posse ferri naturaliter in revelationem falsò existimatam. Addit , in hanc omnes Theologos conspirare , & à qua nullus sine temeritate discedet num. 53. non dari repugnantiam purè physicam in actu fidei tendente in revelationem falsò existimatam ; ne tamen , dicit , mihi in ponam onus excutiendi censuras , quibus non pauci imperunt proferentem , posse actum fidei esse falsum , ideo cogitavit aliam repugnantiam , quam vocat maiorem , scilicet repugnantiam moralem , & Theologicam resultantem ex beatitate , & perfectione Dei , & radicatam in natura actus , vi cuius perfectionis metaphysicè repugnat , actum fidei tendere in revelationem existimatam , & esse falsum : quia indecens esset Deo præbere concursum supernaturalem ad tales actum. Reliqui omnes cum Suarez disp. 6. sect. 5. & disp. 3. sect. 13. post Bonav. in 3. dist. 23. D. Thom. in 3. dist. 23. part. 2. art. 4. quæst. 1. ad 2. & dist. 24. quæst. 1. art. 1. &

noviter Munies. de Fide, disp. 5. sect. 9; Palanco disp. 2. quæst. 4. Addit Petr. Hurtado disp. 19. sect. 5. se non ausu-  
rum afferere oppositā sententiam teme-  
ritate vacare. Et Lugo disp. 4. dicit,  
oppositum esse temerarium. Hæc latè  
proposui, vt iudicium feratur de sen-  
tentia. Maior in 2. dist. 23. quæst. 10.  
mediam viam aggressus est, dicit, habi-  
tum fidei posse elicere actum circa re-  
velationem prudenter; sed falsò existi-  
matam; hunc tamen actum non fore fi-  
dei divinæ.

51 In primis displicet Oviedo di-  
cens, actum fidei non esse ab intrinseco  
metaphysicè infallibilem, esse tamen  
metaphysicè infallibilem ab extrinseco,  
& similiter dicit, visionem beatam re-  
præsentantem determinatè suam perpe-  
tuitatem non esse ab intrinseco meta-  
physicè infallibilem; sed ab extrinseco:  
quia indecens esset, Deum destruere ta-  
lam visionem: cum ergo hæc repug-  
nantia formaliter fundetur in perfe-  
ctione, licet radicatur in actu fidei, ideo  
est repugnantia moralis, & non physi-  
ca; repugnantia extrinseca, non intrin-  
seca actui fidei. De hoc modo discurre-  
di, quod attinet ad visionem, diximus  
disp.

disp. 2. de Visione , sect. 1. quod attinet ad actum fidei displicet.

52 1. Actus ex natura sua metaphysicè connexus cum eo , quod sit à Deo ut causa per se , & cum eo , quod Deus non sit causa per se falsitatis , ex natura sua connectitur metaphysicè cum eo , quod non sit falsus. Sed actus fidei , ut potè supernaturalis , ex natura sua connectitur metaphysicè cum eo , quod sit à Deo ut causa per se ; & cum eo , quod Deus non sit causa per se falsitatis : ergò. Minor quoad 1. partem conceditur ab ipso: quoad 2. prob. min. Actus fidei ex natura sua connectitur cum Deo perfecto. Sed iuxta ipsum , si Deus causaret per se falsitatem , esset imperfectus : ergo connectitur metaphysicè cum eo , quod Deus non sit causa per se falsitatis. 2. Actus per se habens metaphysicè , quod non procedat à Deo *falsus* , ex natura sua habet , quod sit metaphysicè verus. Sed actus fidei supernaturalis per se habet metaphysicè , quod non procedat à Deo *falsus* ergò. Prob. min. Actus per se habens , quod si procederet talis , redderet Deum imperfectum , per se habet metaphysicè , quod non procedat à Deo talis. Sed

actus fidei supernaturalis per se habet metaphysicè , quod si procedat à Deo falsus redderet Deum imperfectum : ergò. Prob. min. Titulo supernaturalis per se habet iuxta ipsum , quod si procedat à Deo, procedat tanquam à causa per se. Sed si procedat à Deo tanquam à causa per se iuxta ipsum, reddet Deum imperfectum : ergò.

53 Confirm. Quia peccatum , *ut tale*, v. gr. mendacium peccaminosum, per se habet, quod si procederet à Deo *ut causa per se* redderet Deum imperfectum , per se , & natura sua habet, quod nec metaphysicè possit procedere à Deo *ut causa per se*. Sed actus supernaturalis fidei falsus per se , & ex sua natura habet, quod si procederet à Deo *ut causa per se* , redderet Deum imperfectum : ergo per se , & ex natura sua habet, quod nec metaphysicè procedat à Deo *ut causa per se*. Sed iuxta ipsum, titulo supernaturalis per se habet, quod si sit , procedat à Deo *ut causa per se*: ergo per se , & ex natura sua habet, quod nec metaphysicè possit esse falsus. Hæc proposui non solum ad impugnandam sententiam Oviedo; sed etiam, *ut advertam Palanco cum impugnare*

insistendo in eo , quod verè est maximum absurdum, quod iuxta Oviedo solum moraliter repugnet , actum fidei esse falsum : cum Oviedo dicat , metaphysicè repugnare actum esse falsum ; sed eam impossibilitatem formaliter non esse intrinsecam actui ; sed extrinsecam consistentem in perfectionibus moralibus Dei , quæ ideo dicitur mortalis.

54 Dico cum omnibus , actum fidei supernaturalis esse metaphysicè infallibilem , & cum ferè omnibus , ex natura sua esse metaphysicè infallibilem , quod id habeat ex natura sua , casu quod sit metaphysicè infallibilis , probatum manet contra Oviedo . Quod sit metaphysicè infallibilis , missis alijs rationibus apud Gonet disp. 1. art. 4. §. 6. Sendin controv. 7. à num. 11. Palanco disp. 2. quæst. 4. Prob. 1. Actus absolute , & infallibili certitudine certus , est metaphysicè infallibilis . Sed actus fidei est absoluta , & infallibili certitudine certus : ergo . Maior videtur nota : quia quidquid dicat Oviedo , hæc verba *absoluta* , & *infallibilis certitudo* , plus sonant , quam certitudinem naturalem . Prob. min. ex Trideot. sess. 6. can. 16.

*Si quis magnum illud usque in finem  
perseveranie donum se certo habiaturum  
absoluta, & infallibili certitudine dicere  
rit, nisi hoc ex speciali revelatione aidi-  
cerit, Anathema sit.* 2. Notitia non so-  
lum certa, sed certissima est notitia  
metaphysicè infallibilis. Sed actus fidei  
est notitia non solum certa, sed certis-  
simæ: ergò. Prob. min. Act. 2. Certis-  
simè sciat domus Israel, quia & Domi-  
num eum, & Christum fecit Deus hunc  
Iesum, quem vos crucifixistis.

55 3. Actus fidei est magis cer-  
tus, & infallibilis, quam actus scientiæ.  
Sed actus scientiæ, saltem plures, sunt  
metaphysicè certi, & infallibles: ergò.  
Maior est August. 7. Confes. cap. 10.  
*Facilius dubitarem me vivere, quam esse  
vera, quæ audivi.* Chrysost. homil. 21.  
ad Hebr. 11. *Fides est argumentum non  
apparentium, id est, maiorem certitudi-  
nem de illis faciens, quam de his, quæ  
videntur.* Basil. homil. in Psal. 115. ait:  
*Fidem persuader e præ omnibus rationali-  
bus methodis.* Et hæc est conclusio Div.  
Thom. 2 2. quæst. 4. art. 8. *Quam-  
quam sapientia, scientia, & intellectus  
quoad nos certiores sint ipsa fide;* secun-  
dum se tamen cum fides imitatur prima  
veritatis.

veritatis, ea est omnium virtutum intellectualium certissima. Ne quis tamen fallatur, ibi explicat Div. Thom. quo sensu scientia sit certior quoad nos: Quia ea, quae sunt fidei, sunt supra intellectum hominis; non autem ea, quae sunt scientiae, sapientiae, & intellectus, ideo ex hac parte fides est minus certa. Et hac ratione fides compati potest cum formidine indelibera, cum qua non componitur scientia. Ita explicat D. Thom. hanc maiorem certitudinem scientiae quæst. 10. de Veritat. art. 12. ad 6. & quæst. 14. art. 2. ad 7. & in 2. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. De hoc agemus disp. 9. Dicitur etiam fides certior scientia; non quia inter connexiones metaphysicas detur vna maior alia absolute, & positivè; sed quasi conditionatè & negativè; id est, ita ut faciat hunc sensum: Si aliqua est certior, est fides: si pro vna relinquenda est alias scientia relinquenda pro fide. Quia principia scientiae aliquando se ferunt, fidei nunquam. Idem Bern. Alens. Bonav. Richard. à S. Victor. apud Suarez. disp. 6. sect. 6.

56 Confirm. Actus habens move-  
ri ex motivo certiori, seu certius con-

nexo cum obiecto , & ex principio ins-  
fallibiliōri , est certior. Sed actus fidei  
ex se habet moveri ex testimonio Dei  
in re existenti , quod est certius , seu  
certius connexum cum obiecto , quam  
motiva scientiæ ; & ex habitu fidei, ins-  
fallibilis influens in actum, quam ha-  
bitus scientiæ : ergo. Totus discursus  
est Div. Thom. immediatè citati : ideò  
dicit ibi ad 2. *Multo certior est homo de*  
*eo , quod audit à Deo , qui falli non po-*  
*test ; quam de eo, quod videt propria ra-*  
*zione, que falli potest. Et ibi: Sed contra*  
*accepistis id non ut verbum hominum; sed*  
*ut verè est verbum Dei. Sed nihil est cer-*  
*tius verbo Dei : ergo scientia non est cer-*  
*tier fide. Ideò lumen naturale circa ea,*  
*que videntur prima principia, que sunt*  
*eadem uni tertio sunt eadem inter se , li-*  
*mitamus , vel corregimus in Trinitate;*  
*& alia limitamus in Incarnatione, & Eu-*  
*charistia. Principia verò fidei , & lu-*  
*men fidei nunquam limitatur , nec li-*  
*mitari potest.*

57 Confir. 2. ex D. Thom. 2. 2.  
quæst. 1. art. 3 . vbi quæst. inquirenti,  
An fidei possit subesse falsum ? respon-  
det: *Cum obiectum formale fidei sit veri-*  
*eas prima, ei nullum potest subesse falsum.*  
Vbi

Vbi dat conclusionem , & rationem: quia supponit fidem non posse moveri ex revelatione existimata ; sed solum ex vera revelatione infallibiliter connecta cum objecto. *Confirm.* 3. Certitudo , & veritas , ut potest proprietates actus intellectus , eo altiori gradu debent poni in actibus intellectus , quo isti sunt nobiliores . Sed possunt dari actus naturales , qui habeant veritatem , & certitudinem metaphysicam : ergo assensus fidei , qui praeter Dei visionem est omnibus nobilior , debet habere veritatem , & certitudinem metaphysicam .

49 3. Iuxta Div. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 1. *Omnis virtutes , quæ perficiunt intellectum , excludunt totaliter falsum.* Sed habitus , & actus fidei sunt virtutes , quæ perficiunt intellectum : ergo. 2. Iuxta D. Thom. hic ad 1. *Quia de ratione virtutis est , quod se habeat solum ad bonum.* De ratione virtutis supernaturalis est perficere perfectione propria illius virtutis. Sed perfectio propria virtutis intellectus est veritas formalis ; sicut perfectio propria virtutis voluntatis est bonitas formalis : ergo sicut implicat voluntatem perfici virtute supernaturali voluntatis ,

quin actus sit formaliter bonus; impli-  
cabit, intellectum perfici virtute su-  
pernaturali intellectus, qualis est habi-  
tus fidei, quin actus sit formaliter ve-  
rus, & consequenter fides non potest  
moveri ex revelatione falsa existimata,  
& actus quo rusticus credit quaterni-  
tatem personarum non erit actus fidei  
Theologicæ supernaturalis: quia est  
conditio necessaria, ut Deus paret con-  
cursum ad actum fidei Theologicæ sim-  
pliciter talem (& non solum secundum  
quid talem) veritas obiecti: sicut quod  
obiectum delectabile non sit prohibi-  
tum, ut Deus paret concursum Christo  
ad eius amorem.

50 Explicat conclusio ex Suarez.  
Possibilis est virtus supernaturalis ita  
determinata ad verum, ut non possit  
moveri, nisi ex obiecto vere existenti:  
quia non apparet implicatio. Sed recte  
concipitur, habitum fidei esse huiusmo-  
di: quia est participatio divini luminis,  
ut cum omnimoda certitudine moveat  
intellectum ad suos actus, cumque affi-  
gar veritatibus obscuris: ergo habitus  
supernaturalis fidei non potest moveri,  
nisi ex obiecto vere existenti: neque ad  
actus non verum. Ex his patet, dispa-  
ritas

ritas ad virtutes voluntatis intrinsecā respicientes bonum : quia hæ virtutes perficiunt formaliter voluntatem perfectione propria virtutis , eo præcisè , quod tendant in obiectum apparenter bonum: quia hoc ipso actus erit amplexus bonitatis , honestas formalis erit voluntaria , & imputabilis ; sicut contra actus erit formaliter malus , si tendat in obiectum in re bonum , & apparenter malum ; at verò actus intellectus non erit formaliter verus , si obiectum non existat in re : ideoque actus ruflici de quaternitate personarum non elicetur à fide ; habet tamen meritum fidei consistens in imperio , quod est supernaturale.

51 Circa iudicium , seu cognitionem regulantem hoc imperium , vel dic esse iudicium reflexum dictans , *Quoties proponitur obiectum moraliter certum , & obligatoriè credendum , honestum est credere.* Quod iudicium sive sit conclusio formalis , ut vult Coninc ; sive non , ut Lugo , est verum ; vel dic regulari apprehensione suaviva supernaturali veritatis , ut vult Ripalda : quia cum in apprehensione nequeat esse falsitas , rectè poterit esse supernaturalis , quamvis

In falsitatem inclinet consequenter; vel si neque apprehensio praecedat supernaturalis suavis, nec iudicium supernaturale reflexum; sed solum iudicium naturale directum de veritate obiectis, tunc imperium non erit meritorium praemij supernaturalis: quia iuxta omnes, ad primum supernaturale requiritur cognitionem regulativam meriti esse supernaturalem, quale non esset iudicium falsum. Hinc patet quale sit iudicium prudentiae supernaturalis dictans adorationem hostiæ, & elargitionem eleemosynæ; nō enim est directum judicans, hostiam esse consecratam, hominem esse pauperem; neque reflexum dictans, honestum est adorare hostiam consecratam, & hoc est consecrata: quia posset esse falsum: sed ita: *Honestum est adorare hostiam, quæ prudenter creditur consecrata.* Et similiter de elargitione eleemosynæ, quæ iudicia sunt vera etiam in minori. Itaque cognitio regulans actus supernaturales virtutum moralium, non est falsa.

52 Obijc. Actus fidei supernaturalis non est verus titulus nitendi testimonio Dei: quia assensus de quaternitate personarum in rusticò nititur testimonio

monio Dei , & est falsus ; neque titulo Supernaturalis : quia supernaturali tati actus sufficienter consilitur , si ex natura rei nequeat esse falsus : ergo actus fidei ex nullo titulo est essentialiter verus. *Resp.* permis. actum fidei non habere esse essentialiter verum titulo supernaturalitatis prae cisè , nec titulo intendi restimonio Dei ; habere posset ex utroque cap. Sicut homo non habet esse risibilem ex eo , quod sit animal ; neque ex eo , quod sit rationalis ; sed ex complexo , & sic accidit in alijs : ideo argumentum sumptū ex divisione predicatorum , plerumque est inefficax . Deinde id habet ex eo , quod actus supernaturalis fidei habet moveri ex revelatione vere existenti , & non aliter , & ex eo , quod habitus est essentialiter determinatus , ut non moveatur nisi ex obiecto vere existenti : & insuper , ut non influat nisi in actum verum , propter rationes conclusionis . Habitus fidei ex eo , quod sit participatio divini luminis , data , vt cum omnimoda certitudine moveat intellectum ad suos actus nequit influere in actum falsum .

53 Obijc. 2. Visio beata non est essentialiter infallibilis : ergo neque assen-

offensus fidei. Prob. aut. Visio beata tristis  
et loquentis, est perpetua, & repræsen-  
tativa perpetuitatis visionis: vel ergo  
est destructibilis, vel non. Si primum,  
est falsa: quia affirmat suam perpetui-  
tatem destructibilem, & connectitur  
metaphysicè cum sui non destructione.  
Si secundum, erit Deus, cui solum con-  
venit esse indestructibilem. Resp. omis-  
sis aliorum solutionibus. Visionem istam  
numero esse naturaliter indestructibili-  
bem; idèoque ista numero durabit per  
æternitatem: non est essentialiter in-  
destructibilis, nec affirmat se determinatè  
duraturam per æternitatem; sed hanc,  
vel illam vagè duraturam per æterni-  
tatem, cum qua veritate essentialiter  
connectitur. Si roges cur hæc visio non  
affirmet se determinatè duraturam per  
æternitatem, siquidem re vera est dura-  
tura? Resp. Ideò non repræsentare de-  
terminatè suam durationem, ne sit es-  
sentialiter indestructibilis: quia cum sit  
essentialiter vera, connecteretur meta-  
physicè cum sui non destructione. De  
hoc latè disp. 2. de Visio, à sect. 1.

54 Obijc. 3. Si aliquod absurdum  
sequeretur ex possibilitate falsitatis in  
nostra fide, esset quia prudenter posse-  
mus

mus dubitare , aut formidare de eius  
veritate ( sic probant aliqui nostram  
conclusionem ) sed hoc non sequitur ,  
quia ad prudentem formidinem exclu-  
dendam sufficiunt argumenta credibili-  
tatis , quæ solum habent connexionem  
moralem , & eadem possent dari non exi-  
stente revelatione in re , ut diximus de  
rustico : ergo nullum absurdum sequi-  
tur. In primis huic argumento respon-  
dere tenentur , hi qui prædicto modo  
probant conclusionem ; nos vero qui  
aliter eam probamus , respondere non  
tenemur. Nihilominus respondeo ex  
dictis : argumenta credibilitatis , quæ  
reddant universaliter credibilem do-  
ctrinam respectu totius Ecclesiæ , quid  
quid sit de uno , vel altero ; una , vel al-  
tera Provincia , habere connexionem  
metaphysicam cum veritate doctrinæ :  
quia connectuntur metaphysicæ cum  
eo , quod Deus non permittat doctri-  
nam falsam , ita universaliter proponi ,  
ut suo nomine obligatoriè credendum :  
non enim esset dignus summa fide res-  
pectu mysterij veri , qui permettere  
posset , eadem credibilitate , & obliga-  
toriè proponi credendum mysterium  
falsum ; ut docet Suarez disp. 3 . sect . 1 . 3 .

de quo disp. 6. Quia tamen hoc solum est probabile, ideo dicimus, assensum fidei resolvi non posse in argumenta credibilitatis: quia hæc *certò* solum habent connexionem moralem cum mysterio; non vero habent *certò* connexionem metaphysicam.

55 Obijc. 4. Actus supernaturalis fidei potest influere in actum falsum: ergo potest esse falsus, cum non magis videatur repugnare unum, ac aliud. Prob. ant. In hoc syllogismo, *Omnis homo est peccabilis: Christus est homo: ergo Christus est peccabilis:* minor, quæ est de fide, influit in conclusionem falsam. *Aliter:* Dicta conclusio falsa, est, vel potest esse ab intrinseco conclusio, & consequenter essentialiter dependere à præmissa illa supernaturali. Sed quod dependet essentialiter à principio supernaturali, est supernaturale: ergo dicta conclusio est supernaturalis, & falsa; & consequenter poterit dari cognitio supernaturalis falsa. Ex his concludunt, habitum fidei posse continere actum falsum, sicut eum continet actus fidei. Omisis alijs solutionibus, respondeo, permisso, quod actus fidei possit influere in actum falsum,

sum, non posse esse falsum in se; ad modum quo infusio erroris potest esse supernaturalis; & error non tam facile convincitur, quod possit esse supernaturalis; at verò ex hoc non sequitur, quod conclusio, quæ est falsa sit supernaturalis essentialiter: quia conclusio, et si talis sit essentialiter, non petit minorē esse supernaturalem; eodem enim modo daretur talis conclusio, si minor, scilicet, *Christus est homo*, esset actus naturalis, ut patet. Nec sequitur, habitum fidei posse influere in actum falsum: quia aliás non esset ita excellens participatio divini luminis, ut cum omnimoda certitudine moveat intellectum ad suos actus; at verò nullum sequitur inconveniens, ex eo quod consequenter ad hunc errorem invincibilem, *Omnis homo est peccabilis*, actus fidei causet per se actum falsum; ad concurrendum enim per se non requiritur inclinatio, saltem in causa inadæquata ut tali.

56 Obijc. 5. In casu rustici iudicium credibilitatis esset supernaturale, & etiam est falsum: quia dictat, quaternitatem personarum esse credendam à de supernaturali. Sed circa quaternitatem

tatem personarum non potest dari fid  
des supernaturalis; ergo illud iudicium  
est falsum. 2. Actu fidei credimus, quod  
in Hostia Altaris est Christus. Et mori-  
bundo proponitur credendum esse  
Christum id, quod Sacerdos habet in  
manibus. Sed hic actus potest esse fal-  
sus: ergo. Resp. Illud iudicium non es-  
se falsum, quia non dictat determinatè,  
& signatè, quaternitatem personarum  
esse credendam fide supernaturali; sed  
absolutè esse credendam ex motivo di-  
vino, quod verò illa fides debeat esse  
supernaturalis, seu simplicitè Theolo-  
gica, aut naturalis, seu Theologica se-  
cundum quid; hoc non affirmat. Ad  
secundum respondet Div. Thom. 2. 2.  
part. 1. art. 3. ad 4. *Fides credentis non  
refertur ad has species panis, vel illas;  
sed ad hoc quod corpus Christi, est sub  
speciebus panis, quando est consecratum.*  
Seu credit ibi esse Christum, si est con-  
secratum: quod iudicium est verum, &  
similiter ibi adoratur Christus, cultu  
absoluto quoad existentiam Christi sub  
speciebus panis consecrati; & cultu  
conditionato quoad existentiam ibi.

57 Obijc. 6. Habitus fidei potest  
producere suum actum quando con-  
iungit

fungitur cum suo obiecto, & est verum: ergo poterit illum producere quando non coniungitur cum suo obiecto, & est falsum. Prob. conseq. Existens actus est distincta ab existentia obiecti, Ideoque eadem est, sive existat, sive non existat obiectum. Sed habitus ordinatur ad producendum actum secundum se, non ad actum reduplicativem, ut verum: quia sic dixit existentiam obiecti, quae non est terminus actionis habitus: ergo &c. Si dicas existentiam obiecti esse requisitam ad existentiam actus, id tantum erit per modum conditionis, quae non est, cur nequeat suppleri a Deo. Argumentum eodem modo probat Christum posse amare obiectum delectabile, quod sit malum, quia prohibitum. Resp. negat habitum posse producere actum quando non coniungitur cum obiecto: quia licet existentia obiecti sit distincta ab essentia actus; si tamen existentia actus sit connexa cum existentia obiecti, non poterit produci actus non existente obiecto; & consequenter existentia obiecti erit conditio essentialiter requisita ad producendum actum: ad

modum quo extrema sunt distincta ab essentia vniōnis, tamen productio vniōnis, quando solum terminatur ad vniōnem secundum se, nequit illam producere, quando non coniungitur cum extremis, quin possit suppleri à Deo conditio existentiæ extremonum. Ita quamvis habitus non ordinatur ad producendum actum, ut verum formaliter: quia tamen ordinatur ad actum essentialiter connexum cùm sua veritate formalis, nequit illum producere quando non coniungitur cùm obiecto.

58 Hinc scies: Habitum supernaturalem, fortè posse de potentia absolute producere actum naturalem falsum: quia habitus non est determinatus, ut cùm omnimoda certitudine moveat intellectum ad actus, qui non sint sui; non tamen poterit producere actum supernaturalem falsum: quia hic nequit esse falsus, tūm ex parte luminis, tūm titulo talis actus: Scies etiam ex Philosophia quomodo hæc propositio, *Christus veniet*, & similes sint veræ, scilicet, veritate de prædicto, ut iudico: quia existimo proposi-

sicio.

sitiones non posse transire de veris in  
falsis ; posse tamen transire de esse ve-  
ris de futuro , ad esse veras de præsen-  
ti ; & de esse veras de præsenti ad esse  
veras de præterito ; vel dic illas pro-  
positiones esse veras relatè ad instrans,  
in quo prolatæ sunt , vel esse veras per  
alienationem quoad obiectum, quia  
adventus Christi iam  
præterijt.

## F I N I S.



# INDEX

## DISPUTATIONUM & Sectionum,

### DISPUT. I.

- D**E Obiecto formalis Fidei Di-  
vinæ, Pag. 2.  
Sect. 1. An actus credendi Deo indi-  
geat obiecto formalit? pag. 3.  
Sect. 2. Quodnam sit obiectum forma-  
læ Fidei Divinæ? pag. 12.  
Sect. 3. Solvuntur obiectiones inten-  
dentes nullam revelationem , neque  
internam , neque externam esse mo-  
tivum fidei, pag. 36.  
Sect. 4. An Deitas , ut ab attributis  
præcisa sit sufficiens authoritas pro  
revelationibus assertorijs , & pro  
missorijs, pag. 56.  
Sect. 5. An veracitas connotando sa-  
pientiam , aut sapientia connotando  
veritatem sit sufficiens authoritas?  
pag. 79.  
Sect. 6. De Perfectionibus constituen-  
tibus divinam authoritatem pro re-  
velationibus promissorijs, pag. 133.  
Sect. 7. An actus credendi obsequio-  
sus,

# INDEX.

Ius , & meritorius debeat intrinsecè  
attinger e obiectum formale? p. 140.

## DISPUT. II.

- De ultimo resolutivo fidei, pag. 171.  
Sect. 1. Quodnam sit motivum assen-  
tiendi divinæ authoritati? Ibi.  
Sect. 2. Nostra sententia per varias  
conclusiones declaratur, pag. 179.  
Sect. 3. Quodnam sit motivum assen-  
tiendi revelationi? pag. 196.  
Sect. 4. Iudicium aliarum sententia-  
rum, pag. 219.  
Sect. 5. Iudicium de Recentiorum re-  
solutivo, pag. 234.

## DISPUT. III.

- De Credibilitate Mysteriorum fidei,  
pag. 255.  
Sect. 1. Vtrum Mysteria nostra fidei  
sint evidenter credibilia, seu , an sic  
evidens esse digna assensu firmissimo  
excludente formidinem etiam im-  
prudentem? Ibi.  
Sect. 2. Solvuntur obiectiones,p.271.  
Sect. 3. An evidentia credibilitatis sic  
sufficiens ad credendum , etsi sub-  
eis,

## I N D E X.

- eisdem signis possit proponi falsum;  
vel non revelatum? pag. 284.
- Sect. 4. An evidentia credibilitatis ne-  
cessaria sit pro omnibus actibus cre-  
dendi? pag. 301.
- Sect. 5. Solvuntur argumenta, p. 311.
- Sect. 6. An qui iudicaverit esse mora-  
litèr certum, obiectum esse revela-  
tum, possit credere fide divina si in  
re sit revelatum, quamvis alij AA.  
dicant non esse moralitèr certum  
esse revelatum, quorum opinio sit  
probabilis? Et an hoc censeatur  
etiam damnatum ab Innoc. XI. in  
præfata damnatione? pag. 333.
- Sect. 7. De Supernaturalitate, & prin-  
cipio iudicij credibilitatis, pag. 335.

## D I S P U T . I V.

- De Pia affectione, pag. 347.
- Sect. 1. An sit necessaria pia affectio,  
seu prævius affectus voluntatis ad  
credendum? Ibi.
- Sect. 2. Solvuntur obiectiones, p. 357.

## D I S P U T . V.

- An Dens possit esse causa per se erro-  
ris? pag. 370.
- Sect.

## INDEX.

- Sect. 1. An Deus possit de potentia  
absoluta loqui falso, & mentiri?  
pag. 371.
- Sect. 2. An Deus possit causare per se,  
& infundere errorem in intellectu  
creato? pag. 387.
- Sect. 3. An Deus possit causare per se  
errorem moralem perniciem, seu  
contrarium fidei, aut bonis mori-  
bus? pag. 442.
- Sect. 4. Solvuntur obiectiones, p. 465.


## D I S P U T . VI.

- De Patratione miraculorum in confirmationem doctrinæ falsæ, & de infallibilitate obiectiva fidei, p. 483.
- Sect. 1. An, & quæ miracula, vel mira  
possint fieri à dæmonibus? Ibi.
- Sect. 2. An Deus possit facere vera mi-  
racula in confirmationem doctrinæ  
falsæ? pag. 491.
- Sect. 3. Solvuntur obiectiones, p. 525.
- Sect. 4. An assensus supernaturalis fi-  
dei divinæ possit esse falso? p. 544.

FINIS.









Saint Leo.

Est 32

Table

Num. 13

4620

3862